



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies primus et secundus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1866**

Dies Septima Octobris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73889](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73889)

AUCTORE  
ANONYMO.

regis Johannis coronationem anno, ad petitionem illius tranfretavit iterum beatus episcopus, ut interesset colloquio ipsius cum rege Francorum, in quo demum pax reformata est.

hh *Hujus nominis secundo. Obierat anno 1188.*  
ii *Bernardus II Bellicensem cathedram occupabat anno 1198. Catalogus illustrium Carthusianorum, teste Guichenono, de illo hæc habet: Obiit vi Martii mcccvii Bernardus, ex Carthusiano Bellicensis episcopus, omnis virtutis et sanctitudinis speculum.*

kk *Guichenono teste in Historia Breviæ et Beugesæ, ita habet Catalogus illustrium Carthusiensium: Sanctus Artholdus, ex Cartusiano*

Bellicensis episcopus, stupendis miraculis clarus obiit anno mcccvi pridie Nonas Octobris. *Item Martyrologium ecclesiæ Lugdunensis: Secundo Nonas Octobris obiit Artoudus, bonæ memoriæ monachus Alverni et sacerdos, quondam episcopus Bellicensis.*

ll *Anno 1200 Guigo hic, Averni Prior, una cum Bernardo Bellicensi præsule mox memorato ortam inter Carthusianos Portarum et monachos Ynimontis litem composuit; ut ex confecto ea de re ab ipsis instrumento patet apud Guichenonum in Serie episcoporum Bellicensium pag. 58 et binis sequentibus,*

## DIES SEPTIMA OCTOBRIS.

SANCTI, QUI NONIS OCTOBRIS COLUNTUR.

- S**ancta Justina V. M. Patavii in Italia.
- B** SS. Marcellus et Apuleius MM. Romæ.
- S. Eumenius episcopus conf. Alexandriae in Ægypto.**
- SS. Sergius et Bacchus martyres in Syria.**
- S. Julia virgo martyr in Syria.**
- SS. Quartus et Marcellinus Capuæ in Campania Italiae.**
- S. Marcus Papa confessor Romæ.**
- S. Helanus presbyt. conf. in pago Remensi in Gallia.**
- C S. Leopardinus monachus M. Albiniaci in pago Borbonico.**
- S. Augustus presbyt. abbas apud Bituricas in Gallia.**
- S. Palladius episc. conf. Mediolani Santonum in Aquitania secunda.**
- S. Ositha vel Osgitha, V. M. in sui nominis oppidulo comitatus Essexiæ in Anglia.**
- S. Adelgisus episc. Novariensis conf. in ducatu Mediolanensi.**
- S. Martinus primus abbas Belli-fontis, nunc Vallisparadisi, in Legionensi regno Hispaniæ.**
- S. Geroldus Coloniensis, pro martyre cultus, apud Cremonam in Insubria.**
- S. Pipio diaconus conf. Bellnæ in Vastinensi Galliæ tractu.**

## PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

**S**anctæ Pharaïldis corporis Gandavum relationem hac die signat Ms. Florarium Sanctorum hoc modo: Apud Gandavum Relatio sanctæ Pharaïldis virginis, sororis sanctæ Gudulæ virginis, de stirpe Karolidarum. Hujus sanctæ Virginis gesta exposita apud nos sunt, de ejusdemque translationibus actum est die

iv Januarii.

S. Virgilius. Arelatensis archiepiscopus in Gallia, hodie legitur apud Bucelinum in Menologio Benedictino. Actum de eo in Opere nostro est die

v Martii.

Marci eremite in Ægypto, qui Anachoretarum

Vitas scribebat, hodie meminit Franciscus Maurolycus in suo Martyrologio, eumque secuti sunt Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum, qui non leguntur in Romano, auctorque Martyrologii Germanici, at de cultu illius nil proferunt. Vide, quæ de eodem annotata apud nos sunt in Synopsi historica de altero S. Marco monacho in Ægypto ad diem

v Martii.

SS. Silvii, Hilarii, et Honorati, episcoporum confessorum, et Pappoli episcopi et martyris Inventionem Tolosæ hoc die memorat Molanus. Simili modo Saussayus in Martyrologio Gallicano ad eundem die habet: Tolosæ inventio sancti Pappoli episcopi et martyris, ne non

- A necnon sanctorum confessorum, pariterque pontificum, Honorati, Hilarii senioris, et Silvii, in Basilica sancti Saturnini quiescentium. Ferrarius in *Catalogo Generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, quamvis Molanum in Annotatis laudet, unius dumtaxat S. Papuli inventionem refert his verbis*: Apud Tolosam Inventio S. Papuli martyris; monelque, hunc non fuisse episcopum, sed discipulum S. Saturnini episcopi. Sollerius noster ad istum Molani textum fateatur, nescire se, unde hæc accepta sint; ceterum Papulum inventum dici mense Octobri anno 1265. De S. Silvino episcopo Tolosano, ejusque ac reliquorum Sanctorum corporum inventionem adi diem xxxii Maii;  
De S. Hilario Tolosano idem episcopo xxi Maii;  
S. Honoratum ejusdem sedis antistitem Castellanus annuntiat die 25 Decembris, sed, eundem coli, ait, die 16 ejusdem mensis. Vide ergo dicenda ad xvi vel xxv Decembris;  
De S. Papulo denique consule dicenda iii Novembris.
- B S. Marcum, velut Bovinensem in regno Neapolitano episcopum, hoc die recenset Marius de Viperà in *Catalogo Sanctorum ecclesie Beneventanæ*, asserens, corpus illius Beneventum translatum in æde eidem dicata servari, hujusque translationis festum ibidem hodie celebrari, Natalem vero Bovini die 24 Julii; ceterum ignorari tum gesta ejus, tum tempus, quo ille sederit, quoque post obitum suum Beneventum fuerit translatus. Nec mirum est; nullus enim Marcus in Bovinensium episcoporum *Catalogo notus est apud Ughellum tom. VIII Italiae sacræ editionis Venetæ, ubi hic a col. 249 exhibetur; quem vero Bovinenses, non quidem die 24, sed 14 Junii colunt, et cujus corpus servant, non fuit is Bovinensis episcopus, sed Luceriensis in Apulia Daunia, cujus gesta Henschenius noster illustravit ad dictum diem 14 Junii, ibique docuit, illum a Bovinensibus coli, non ob gestum Bovini episcopatum, sed ob translatum eodem corpus. Porro in Vita ibidem edita num. 15 dicitur hujus Sancti festum celebrari Nonis Octobris, hincque factum est, ut ad 24 Junii in Prætermissis ex Viperà laudatus S. Marcus ad præsentem diem 7 Octobris remissus fuerit: verum ex iis, quæ Henschenius in Commentario prævio ad S. Marci Luceriensis episcopi Vitam disseruit, satis liquet, Marcum octavo Kalendas Julii Beneventi cultum, vel prorsus ignotum esse, vel Luceriensem episcopum. Consule ergo ipsum citato die xiv Junii.*
- S. Augustialem, ut episcopum, Bituricis in Gallia sic hodie memorat nostrum Ms. *Florarium Sanctorum*: Bituricas civitate depositio sancti Augustialis, episcopi et confessoris, cujus gesta habentur. Consonat Grevenus in *Auctariis Usuardinis apud Sollerium eodem die dicens*: Bituricas civitate, depositio sancti Augustalis episcopi. At quis est hic S. Augustalis episcopus Bituricis annuntiat; nam inter Bituricenses quidem episcopos nullus ejus nominis recensetur? Philippus Ferrarius in *Catalogo Generali Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano, eundem hoc quidem etiam die, sed Arelati annuntiat, Arelati, inquit, in Gallia, S. Augustalis episcopi, Octobris Tomus III.*
- atque in *Annotatis ibidem observans, hunc in Romano die 7 mensis Septembris celebrari. Arelati etiam Andreas Saussayus illum utroque die, 7 scilicet Septembris ac 7 Octobris assignavit. At, cur igitur, inquit, Augustalis hodie in Florario Grevenoque Bituricis annuntiat? Suspicio mihi est, auctorem Florarii ex affinitate nominum Augusti presbyteri, quem hoc item die Bituricis annuntiatum damus, et Augustalis episcopi, apud martyrologos ad diem 7 Septembris notioris, hodiernum sanctum Presbyterum et abbatem pro Augusto Augustalem et episcopum dixisse, relicto loco Bituricas. In Additionibus Mss. Carthusiæ Bruællensis ad Grevenum hoc ipso die legitur: Post AUGUSTALIS EPISCOPI ponebatur in margine: Alibi dicitur DEPOSITIO BEATI AUGUSTI PRESBYTERI ET CONFESSORIS. Vide itaque dicta hoc die in S. Augusto presbytero et abbate, ac in S. Augustali die vii Septembris.*
- S. Matthæi Evangelistæ natiuitas hodie legitur in Hieronymianis apud Florentinum. Colitur hic sanctus Apostolus et Evangelista, et apud nos datus est die xxi Septembris.
- S. Linus Papa hodie a Wandelberto, et Belino, ac in Appendice Adonis apud Rosweydim, in Florario autem nostro Ms. Sanctorum ejusdem Sepultura memoratur. Actum est de hoc sancto Pontifice martyre ad diem, quo in Martyrologio Romano recolitur, xxiii Septembris.
- S. Hieronymi, Ecclesie doctoris, Octava hodie legitur apud Grevenum et in Martyrologio Germanico, vulgo Canisiano. Colitur hic Sanctus doctor, gestaque ejusdem prolife illustrata in Opere nostro sunt die xxx Septembris.
- Commemoratio sanctæ Mariæ de Victoria, quam beatus Pius quintus, Pontifex Maximus, ob insignem victoriam a Christianis bello navali ejusdem Dei Genitricis auxilio hac ipsa die de Turcis reportatam, quotannis fieri instituit; et Gregorius decimus tertius annum solemnitatem Rosarii ejusdem beatissimæ Virginis Dominica prima hujus mensis ob eandem causam celebrandam decrevit. Ita hodie Martyrologium Romanum. Spectant hæc ad peculiare Opus, quod post decursum annum sacrum, ejusdemque supplementum de beatissimæ Virginis Dei Genitricis vita gloriaque conscribendum erit. Interea addo hic eruditissimi Cardinalis Baronii ad istam annuntiationem annotata. Eo nomine Neapoli nuper erecta est ecclesia, egregium plane divinæ benignitatis monumentum, cum nostra memoria, anno Salutis MDLXXI, fidelium classis Sanctissimi D. N. Pii Papæ V, ac Catholici Hispaniarum regis Philippi, necnon inclytæ Venetorum reipublicæ fœdere coacta gloriosam ac cunctis sæculis memorabilem de Turcis, Christiani nominis infensissimis hostibus, ad Echinadas insulas, captis hostium triribus centum et octoginta, ceteris dissipatis, victoriam reportavit, fractosque nostrorum animos in eam spem erexit, posse inimicos nostros (modo in unum Christianorum animi viresque conveniant) nullo negotio profligari atque deleri; præsertim si (ut tum in his actum est) præcipuam in Domino, et non in armis, spem ponamus, peccatorumque sordibus expiatis, puræ ad Deum preces offerantur, ac Dei Genitricis Mariæ auxilium piis votis impleretur. Hæc de Commemoratione 99 tione

- A *tionem S. Mariæ de Victoria: de solemnitate vero Rosarii subdit: Exstant litteræ Gregorii Papæ XIII, datæ sub annulo Piscatoris, anno Dom. MDLXXIII. Kal. Aprilis, quarum initium est: MONET APOSTOLUS, ubi singulis annis prima Dominica Octobris, ad memoriam dictæ victoriæ divinitus obtentæ perpetuo conservandam, et ad gratias Deo ac Deiparæ Virgini agendas, hujusmodi solemnitatem Rosarii perpetuo celebrandam decernit, atque in ea Officium duplex beatiss. Virginis recitari, in iis videlicet ecclesiis, ubi ejusdem Rosarii altare aliquod fuerit; cujus quidem Sodalitatis piæ preces ac processiones, ubique terrarum ea ipsa die, qua victoria parta est (quæ tunc fuit Dominica prima Octobris) de more factas, plurimum profuisse ad opem Dei Genitricis pro Christianorum classe obtinendam, pie credendum esse, profitetur. Hactenus Baronius. Porro Clemens Papa XI ob victoriam alteram a Carolo VI imperatore de Turcis in Hungaria anno 1716 relatam, ac paulo post eorumdem obsidione liberatam Corcyrensem insulam, eamdem Rosarii solemnitatem ad universam Christi Ecclesiam extendit.*
- B S. Marcum Papam geminum, primum ac secundum, hoc die memorant Mss. Additiones Carthusiæ Bruzcellensis et Martyrologium Germanicum, vulgo Canisianum. Nos non nisi unicum S. Marcum Romanum Pontificem agnoscimus, proximum S. Silvestri successorem, de quo hoc ipso die agemus; de altero vero quid censendum putemus, ibidem dicemus in Commentario prævio num. 14 et sequenti.
- Marcum Maximum, velut ex S. Benedicti discipulo Casaraugustanum in Hispania episcopum, cum Sancti titulo hodie annuntiat Buccelinus in Menologio Benedictino, laudans Franc. de Bivar, Manchesium, Cajet., atque ipsum Marcum Maximum. Tamayus eundem dedit ad diem 18 Septembris Beati appellatione honorans. Floruit quidem sub finem sæculi VI ac sequenti Casaraugustanus episcopus Maximus, cujus S. Isidorus Hispanensis in libro de Scriptoribus meminit; verum nec Marci nomen habuit, nec S. Benedicti discipulus, nec monachus fuit, nec denique eum sacrum cultum obtinuisse, usquam comperi. Lege, si lubet, eruditum Nicolaum Antonium in Bibliotheca veteri Hispaniæ tom. I, lib. v, cap. 2.
- C Dubhtachus de Druim-dhearb, episcopus Armachanus die 5 Februarii, vel 7 Octobris colitur, et Sanctus appellatur a Joanne Colgano in septima Appendice ad Acta S. Patricii, pag. 295, col. 2; ibidemque additur, eundem in Vita S. Tigernachi cap. 2 Duachum nominari. Hanc S. Tigernachi in Hibernia episcopi Vitam illustratam in Opere nostro habes ad diem 5 Aprilis, quam consule, si lubet, cap. 2, num. 10, præmissumque eidem Commentariolum num. 5. Sed ad diem 5 Februarii de Dubhtacho vel Duacho nihil apud nos dictum est; nec hoc die inter Sanctos Beatosse cum referre nobis licet, quia nescimus, quam firmum hic sit Colgani de ejusdem sacro cultu assertum.
- Sisai episcopi et confessoris hodie legitur in nostro Ms. Florario Sanctorum, et apud Greverum in sua Usuardi editione, ubi, unica litterula mutata, dicitur: Sysai episcopi et confessoris. Cum neutro loco hujus Sisai vel Sysai episcopalis sedes nominetur, nec alibi ipsum inveniam, præteor, nescire me, quis ille sit; ac, si quis noverit, libenter docebimur.
- D S. Marci, episcopi et confessoris, meminit Michael Monachus in Sanctuario Capuano pag. 70 ex Martyrologio Ms., cujus hæc verba exhibet: Nonis Octobris civitate Ecanæ S. Marci episcopi et confessoris. Quis fuerit hic Marcus, an Lucerinus in Apulia Daunia episcopus, et Bovinensium patronus, an vero Marcus, S. Prisci, Capuani episcopi et confessoris, Africa a Wandalis expulsi socius, haud satis liquet. Utrumque confudit Monachus, invitit licet utriusque Historia et diversa, qua uterque vixit, ætate. Verba laudati Martyrologii mox relata nulli aptius, quam Marco Lucerino episcopo, quadrant. Hujus Acta habes in Opere nostro tom. II Junii parte. 2 pag. 800 et sequ. jam pridem illustrata: de Marco vero, S. Prisci, Capuani episcopi, socio actum tum in Commentario ad Acta S. Prisci prævio tom. I Septembris pag. 210, num. 4, tum eodem tomo pag. 142 in Annotatis ad Acta altera SS. duodecim Fratrum martyrum lit. o.
- E Humbertum, velut Burbacensis monasterii Priorem, cum Sancti titulo hodie exhibet Arnoldus Wion lib. III Ligni Vitæ. In cœnobio, inquit, Burbacensi apud Frislarium, depositio sancti Humberti, Prioris illius cœnobii, conversationis sanctissimæ viri. Wionem secuti sunt Menardus et Buccelinus, hic in Menologio, iste in Martyrologio Benedictino; et Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano. Porro Wion præluxit Joannes Trithemius, ut ipsemet ibidem in Annotatis docet his verbis: Hac die notatur ejus natalis a Trithemio, de Viris illust. Ord. S. Benedicti lib. III, cap. 271; qui tamen, quo tempore claruerit, non refert. Ipsum ergo Trithemium loco citato audiamus. Sic habet: De sancto Humberto monacho cap. cclxxi. Humbertus monachus et Prior cœnobii in Burbach prope Frislarium oppidum, vir sanctus atque eruditus, atque regularis disciplinæ zelosus amator, sua sanctissima conversatione Deo valde complacuit. Cujus festum agitur Nonis Octobris. Ita quidem ipse; at ejus solius auctoritas, qua sola laudati martyrologi utuntur, nequit sufficere, ut Humberto inter Sanctos Beatosse locum in hoc Opere nostro demus; maxime cum ipsum, quo Humbertus ille floruerit, sæculum taceatur, isque tam ignotus fuerit Mabillonio, ut nec in Actis Sanctorum, nec in Annalibus sui Ordinis de illo, quantum comperi, usquam meminerit.
- F S. Emani presbyteri et confessoris memoriam in pago Remensi, hodie signat Ms. Florarium Sanctorum, qui non est alius a S. Helano, de quo ex Martyrologio Romano hoc ipso die agimus. Vide igitur S. Helanum.
- Havydem monasterii Clari-fontis in ducatu Luxemburgensi, Ordinis Cisterciensis abbatissam cum titulo Beate hodie laudat Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensis his verbis: In ducatu Lutzenburgensi beata Havydis abbatissa, angelicæ vitæ et humilitatis admirandæ virgo, quæ nobilitatem generis nobilioribus virtutibus illustravit, et in monasterio Clari-fontis, cujus virginibus sanctissime præferat, honorifice tumulata est. In Annotationibus ibidem eam primam loci abbatissam

- A batissam fuisse, asserit, aliaque ibidem tum de ipsa, tum de ejusdem monasterii per Ermen- sendem Luxemburgensem comitissam sæculo XIII fundatione enarrat; at nihil de illius cultu, quem sane honorifica ejusdem sepultura ne- quit probare. De ejusdem parthenonis funda- tione, eaque occasione de ipsa demum tractavit in Liliis Cistercii lib. II, distinctione 9; sed nihil magis de cultu habet; imo nec Beatam quidem, præterquam in præfixo Operi Kalen- dario, appellat. Ab eodem titulo cultuque asse- rendo etiam abstinet Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi 1216 cap. 10, ubi eandem fundationem retulit ex Henriquezio. Beatam tamen etiam illam dixit Augustinus Sartorius in Cisterciobis- tertio tit. 18, pag. 48; sed haud dubie sola nixus auctoritate Henriquezii, quæ nobis non sufficit ad Havymdem Sanctorum Actis inse- rendam. Ceterum Joannes Bertholet Societatis nostræ presbyter tom. IV Historiæ Luxembur- gensis Gallice editæ, pag. 425 monasterium illud quatuor leucis Luxemburgo, unaque Oro- launo dissitum, hodieque florere scribit; sed primam ejusdem abbatissam, non Havigem, sed Helenam, aliis Beatricem dictam, vocat; quod etiam facit tom. V, in Chronologia abba- tissarum Clari-fontis inter instrumenta pag. 2, in qua non nisi tertio loco Hadwis legitur, sed pariter sine ullo cultus indicio.
- B Jothæ abbatissæ sine ullo addito legitur in Gre- veni Auctario Usuardino apud Sollerium; neque explicatius ait nostrum Ms. Florarium Sanctorum: Sanctæ Jothæ abbatissæ. Si quis illam ejusque cultum nos edocuerit, de ea pe- terit in Supplemento, vel forte alibi agi.
- Petrus Guarrigneus martyr,  
Anastasius Mediolanensis conf.  
Joannes de Badonali conf.,  
Petrus a Pastrana conf.,  
Franca virgo,  
Ex Ordine  
S. Francisci,
- hodie cum præfixo singulis Beati titulo memo- rantur ab Arturo in Martyrologio Franci- scano, addunturque, Anonymi confessores, quorum sanctitas signis admirandis commen- datur, inquit Arturus, Tuvani in Corsica in- sula; verum nec ipse eorumdem cultum probat, nec Huëberus Beati titulum ulli eorum adscri- psit in Menologio, ubi hoc eodem die etiam alix utriusque sexus ex Franciscano Ordine personæ virtutibus insignes recensentur.
- C Joannæ et sociarum in civitate Arima in Japo- nia martyrium hodie signat Arturus in Gy- næceo sacro, easque Beatas appellat. De earum- dem cultu nihil novimus.
- Johannes in Fastis Æthiopum apud Jobum Lu- dolfum hodie memoratur; verum cum absque ullo addito id fiat, quo de Johanne ibidem sermo sit, ignoramus, eique proinde in Opere nostro inter Sanctos locum dare haud possumus.
- S. Demetrius martyr hodie in aliquot Kalenda- riis occurrit, qui non alius videtur ab illo, quem Romanum aliaque Martyrologia postri- die annuntiant, seu die VIII Octobris.
- Dionisi episcopi, Januarii, Faustini, Martialis, Privati, Eracli, Juliani, Pelagiæ nomina sic hodie in Antiochia memorat vetustissimum Ant- verpiense, seu Epternacense apographum He- ronymianum, apud Florentinum; at cum eorum aliquot repetat postridie, quo die iidem omnes in vetustiori Lucensi Florentinii et in Corbeiensi leguntur, vide dicenda ad VIII Octobris.
- S. Caletrici Carnutensis episcopi, hodie sic memi- nit Grevenus apud Sollerium nostrum inter Auctaria Usuardina: Civitate Carnotis, in- ventio corporis sancti Caletrici, ipsius civi- tatis episcopi. Castellanus eundem Sanctum ad diem 4 Septembris, velut illi emortualem, retulit, unde in Prætermisissis relatus fuit, at- que hinc etiam refertur ad diem, quo colitur, VIII Octobris.
- S. Palatiam, alias Palatiatem virginem marty- rem Anconæ hodie annuntiat Ferrarius in utroque suo sanctorum Catalogo. Castellanus eandem ad diem 8 Julii recensuit: in Romano autem Martyrologio una cum sui exsiliis ærum- narumque socia S. Laurentia, quam Castella- nus ad Kalendas Octobris reposuit, celebratur die crastino, seu VIII Octobris.
- S. Laurentia cum S. Palatiæ; vide hic in Præ- termisissis S. Palatiam seu Palatiatem.
- S. Birgittæ viduæ canonizatio in Usuardi edi- tione Lubeco-Coloniensi, ac variis sacris Fastis hoc die recolitur. De eadem sancta vidua in hodierno Martyrologio Romano ad diem 25 Julii sic legitur: Ibidem (Romæ) transitus sanctæ Birgittæ viduæ, cujus sacrum corpus Nonis Octobris in Sueciam translatum fuit, et festivitas octavo Idus ejusdem mensis ce- lebratur. Vide ergo dicenda ad diem VIII Octobris.
- S. Wolfgangi episcopi geminam memoriam cele- brat Usuardina editio Lubeco-Coloniensis his verbis: Translatio sancti Wolfgangi episcopi et confessoris, et canonizatio ejusdem. Con- sonant nostrum Ms. Florarium Sanctorum, ac fere Martyrologium Germanicum, Canisii vulgo dictum, in quo ille dicitur fuisse epi- scopus Ratisponensis, qui in Romano celebra- tur die XXXI Octobris.
- Julianus presbyter et Casarius diaconus hodie in Menologio Sirlletiano et Menæis excusis me- morantur; verum in Martyrologio Romano annuntiantur ad diem, quo proinde, ni quid ob stare fuerit inventum, dandi erunt, I Novembris.
- F S. Hugonis, Lincolnensis in Angliæ episcopi, Translatio hodie legitur in Martyrologio An- glicano. Inscriptus hic Romano est, dabiturque XVII Novembris.
- SS. Evasii et sociorum Translatio Casali in In- subria hodie legitur in Ferrarii Catalogo ge- nerali Sanctorum, qui non sunt in Romano. Vide dicenda de S. Evasio episcopo martyre, quo die in Romano Martyrologio Casali an- nuntiat, I Decembris.
- S. Lucius Britannorum rex hoc die legitur in Martyrologio Germanico, Canisii nomine vulgo noto. De eo agemus cum Martyrologio Romano die III Decembris.
- Polychronius martyr hodie in magnis Græcorum Menæis excusis et in Menologio Sirlletiano ce- lebratur; verum de eo, si nihil ob stare inve- niatur, tractandum ad diem, quo Martyrolo- gio Romano inscriptus est, VI Decembris.

## DE S. JUSTINA V. M.

PATAVII IN ITALIA.

## COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. B.

## § I. Sanctæ Martyris Acta subdititia, memoria in Martyrologiis, et sacer per Italiam cultus.

FORTE SUB  
NERONE VEL  
MAXIMIANO.  
Acta sanctæ  
Martyris S.  
Prosdocimo  
adscripta

**Q**uanto illustrior est S. Justinæ virginis et martyris Paduanæ, maxime per Italiam, qua Venetis parit, cultus, tanto fere incertiora sunt, quæ de ejus vita vulgo circumferuntur; non quod illius Acta, tituliue ad conciliandam his auctoritatem in speciem saltem idonei desiderentur, sed quod illa per se vitiosa et fidei nullius, tituli vero, quibus eorum recentiores fabularum inventores commendatam voluere antiquitatem, falsi sint ac inanes. Acta S. Justinæ Paduanæ Mombritius edidit tom. II de Vitis Sanctorum; et quidem, si illis ipsis fidere quis cupiat, ab oculato sanctæ Virginis martyrii teste conscripta: sic enim auctor illorum ad calcem num. 1 lectores alloquitur. Quæso autem vos, quicumque audire hæc aut legere pie ac religiose volueritis, ut hujus peccatoris ultimi memores sitis, qui in nomine Domini huic passioni interfui. Testis hujus oculati si nomen quæris, fuisse is dicitur S. Prosdocimus, S. Petri discipulus, primus Patavinorum episcopus, qui S. Justinam precibus suis parentibus ejus, ad Christi fidem opera sua traductis, a Deo obtinuerit, qui sacro illum fonte lustravit, virginitatem ac sanctos mores docuerit, qui denique pro fide Christi occisam terræ mandarit. Ita nimirum legitur in Actis S. Prosdocimi apud eundem Mombritium his verbis: Passionem vero ejus (S. Justinæ) idem vir sanctus Prosdocimus scripsit, et nostræ memoriæ tenendam commisit; quæ S. Maximi, proximi S. Prosdocimi in sede Patavina successoris, esse, nonnulli commenti sunt. Sed nec Acta S. Justinæ Prosdocimum, nec hujus Vita S. Maximimum auctorem habent.

nec apud  
Mombritium,

2 Baronius in Annotatis ad Martyrologium Romanum die 7 Octobris jam pridem recte advertit, nonnulla in utrisque Actis occurrere, quæ emendatione indigeant. Pauca ex his in medium profero. Ac primo quidem Acta S. Justinæ, ut apud Mombritium leguntur, vel obiter pervolventi liquido, ut opinor, apparebit vel ex ipso scribendi stilo, ea sancto episcopo, qui tum prodigiis a se patris, tum sacræ eloquentiæ flumine tantum effecisse dicitur, ut Patavinorum vicinorumque oppidorum ad fidem Christi conversorum Apostolus habeatur, prorsus esse indigna: imo vero non dubia præ se ferunt indicia, unde sæculo x vel serius, forte post inventionem corporis S. Justinæ, de qua postea, primum scripta fuisse concludas. Sane jejunos scribendi modus, pars versus, tendensque ad sydera palmas, quæ num. 3 habetur; vox Legenda, recentioribus tantum temporibus nata, recentiore pariter auctorem videntur arguere: nec satis credibile apparet, quod num. 6 refertur, sanctam Martyrem, post

transfixum letali vulnere latus, genibus provolutam, oculis manibusque in cælum sublatis, integro unius horæ spatio in oratione perstitisse. Eadem leguntur in altero Actorum S. Justinæ apographo Vaticano, signato 1190, et Actis Mombritianis passim simili; in eo tamen his minus vitioso, quod ab auctore, teste oculato, nusquam Acta conscripta dicantur.

3 Petrus Equilinus in Catalogo Sanctorum lib. ix, cap. 52 S. Justinæ Acta paulo aliter exhibet, sed fonte non minus tutulento hausta. Is S. Justinam Vitaliani regis filiam facit, ac passam scribit sub Maximiano rege, Vitaliani, S. Justinæ patris, ut apparet, successore; qui Mediolano Patavium veniens S. Justinam gladio perimi jusserit: at sub imperatoribus Romanis, ut recte Baronius observat, nulli fuisse in Italia reges aut reguli: quod si sub Maximiano quodam, non rege aut imperatore, sed provinciæ cujusdam in Italia, vel civitatis Patavinæ præside præfectove occisa fuerit sancta Martyr, novus habebitur in Actis Mombritianis, quæ illam sub Maximiano imperatore passam diserte tradunt, error; auctor vero Actorum, quem Petrus Equilinus præ manibus habuit, longe se a S. Justinæ ætate fuisse remotum, absono suo et temporum illorum scriptoribus inusitato loquendi modo nihilo scius manifestum facit. Tillemontio itaque tom. V Monumentorum Ecclesiasticorum pag. 140 affirmanti, nullam inesse Actis Mombritianis antiquitatem aut auctoritatem, lubens assentior: ait præterea ex Ms. quodam, vel ipsa facta, quæ in Actis enarrantur, auctorem arguere longe recentiore, quo quidem dicto respectisse videtur ad ecclesiam S. Justinæ ab Opilione multos serius excitatam, et ad diturnum in ea S. Justinæ cultum, quorum in Actis mentio fit. Nunc pauca de Actis S. Prosdocimi, S. Maximo, illius successoris, falso adscriptis.

E  
nec apud Pa-  
trum Equi-  
linum sincere  
sunt.

4 Horum auctor apud Mombritium pag. 220 uti nec Acta S. Prosdocimi, adscripta S. Maximo. versa subjunctum Actis epilogum his verbis orditur: Post obitum vero ejus ego Maximus successor ipsius, ab omni clero et populo electus, et a Romano episcopo consecratus, ista omnia, quæ vidi, et audivi de eo, scripsi. Colitur S. Prosdocimus 7 Novembris, ad quem diem ejus Acta fusius examinabuntur: hic solum monuisse sufficiet, tum in his quoque Actis Vitalianum, S. Justinæ patrem, Regem appellari, quod non nisi perperam quis S. Maximo adscribat; tum hæc cum Actis S. Justinæ Mombritianis conciliari non posse: in utrisque S. Justina e vivis ante Prosdocimum erepta dicitur; et quidem sub Maximiano imperatore: sed Prosdocimum jam inde a temporibus Claudii et Neronis, qui circa medium sæculi primi æræ Christianæ imperarunt, ejusdem Acta floruisse tradunt;

F

A *tradunt; atque adeo usque ad finem sæculi tertii aut initium quarti vitam procul dubio non protraxit, nec occisam sub Maximiano imperatore S. Justinam sepulturæ tradere potuit. Utraque Acta Cavacius lib. 1 Historiæ canobii S. Justinæ Patavinæ pag. 6 hac censura perstringit: Acta Prosdocimi, quæ Maximus successor descripsit, inter crebras civitatis direptiones et incendia intercederunt. Neque Acta Justinæ martyris, ab eodem Prosdocimo litteris commendata, ad nos pervenere, sed forsitan prope tempora Longobardorum pauca quædam, ac mutila, ad majores nostros delata sunt, qui, adjectis hisce veterum traditionibus, historias ediderunt, quæ præ manibus versantur. In his nihil vetustatem olet, non stilius antiqua tempora, non voces Latinum cultum, sed magis collapsam inibi Latinitatem deplores.*

Nota fere tantum est scriptoribus recentioribus

B *Quæ igitur S. Prosdocimi et S. Justinæ Acta tum ipsi Prosdocimo, tum S. Maximo afficta fuere, etiam Cavacius rejicit; et quidem merito: at facile nimis, ut quidem apparet, idem credidit, Acta S. Justinæ a S. Prosdocimo; Acta item S. Prosdocimi a S. Maximo fuisse aliquando exarata. Demus enim, Acta quædam mutila, antiquitus scripta, ad eorum, qui vulgata hodie S. Justinæ et S. Prosdocimi Acta litteris commendarant, manus pervenisse, quamquam et hoc versetur in dubio; efficitur hinc continuo, ea a SS. Prosdocimo et Maximo fuisse conscripta? Aut, si id illi existimavit, standum esse hac in re eorum judicio? Non aliunde nata videtur hæc de scriptis a supradictis sanctis præsulibus Actis S. Prosdocimi et S. Justinæ opinio, quam ex vulgatis S. Prosdocimi Actis a recentiore auctore conscriptis, qui, si, ut par erat, sinceritati studisset, factum proprium, eumque deformem S. Maximo supponere veritus enimvero fuisset. Tradit item citatus Cavacius pag. 11 Sermones duos, in solemnitate S. Justinæ habitos, ejusdem S. Maximi nomine venditari: Circumferuntur, inquit, duo Sermones Maximi titulo, habiti in solemnitate beatæ Justinæ, qui pium quidem auctorem odorant, sed posteriorum temporum ac monachum magis. Cur non et hic ait Cavacius, Sermones a S. Maximo olim quidem habitos, sed vel peritissimè, vel mutilos ad posteros pervenisse? Sermonum illorum mentio fit in schedis Mss. de*

C *S. Justinæ Majorum nostrorum diligentia collectis, et alterius quidem initium his verbis concipi dicitur: Solemnitatem, fratres dilectissimi, beatæ Justinæ virginis celebrantes etc.: alterius vero his: Diem festum sanctissimæ virginis Justinæ devotissime celebrantes etc.: quæ ex codice, signato S. 91, Bibliothecæ Ambrosianæ desumpta ibidem notatur: verum his recte subnectitur sequens observatio: Nihil in his nisi nomen Justinæ, reliqua moralia omnibus applicari Sanctis possunt: et sine dubio supposititia.*

et martyrologis,

*6 Unus itaque et veteribus, quod sciam, Fortunatus, episcopus quidem Pictavensis in Gallia, sed in Italia natus, sæculo vi S. Justinæ mentionem fecit, primum quidem lib. viii cap. 4, apud Browerum pag. 190, hoc versu:*

*Justinam Patavum, Euphemiam huc Calchedon offert.*

*Eulalia Emerita tollit ab urbe caput.*

*At præsertim sub finem lib. iv de Vita S. Martini, apud eundem Browerum pag. 553, ubi de ea hæc canit:*

*Si Patavina tibi pateat via, pergis ad urbem; Hic sacra Justinæ, rogo, lambe sepulchra beatæ,*

*Cujus habet paries Martini gesta figuris.*

*E recentioribus plures S. Justinæ martyrium scriptis suis celebrasse comperio: Bernardinus Scardeonius Historiæ Patavinæ lib. ii classe 6 de Hieronymo Cathaneo, S. Justinæ monacho, hæc prodit: Scripserat (ut audio) eleganti stylo Vitam B. Prosdocimi, et D. Justinæ martyris, et alia complura, quæ nondum mihi videre contigit. Pignorius in Originibus Patavinis cap. 10 de Valerio Moschetta: Solus Jacobus Cavacius, amicus noster, amœnissimi vir ingenii, in Historia sua monasterii S. Justinæ, istud (Concordiæ templum in ipsa olim urbe Patavina exstitisse) (affirmat, et post illum Valerius Moschetta in Vita sive Triumpho Justinæ virginis martyris. Cap. item 15 meminit Benedicti dell'Uva, qui scripserit de Martyrio sanctæ Justinæ. Denique Jacobus Philippus Thomasinus in Vita ipsius Pignorii, hunc anno 1626 Patavii edidisse, ait, Vitam sanctæ Justinæ virginis et porto-martyris Patavinæ: sed, cum horum lucubrations ad nos non pervenerint, aliorum, quos, ubi res exiget, indicabimus, opera uti compellimur.*

AUCTORE J. B.

*7 Nec minus apud antiquos martyrologos, quam historicos de Justina silentium est: locum habet in Auctariis aliquot Usuardinis apud Solerium ad diem 7 Octobris. Codex Florentinus sic habet: Apud civitatem Paduanam sanctæ Justinæ virginis et martyris. Grevenus: Patavi S. Justinæ virginis et martyris. Quæ regali orta progenie, cum ad jussu Maximiani nollet idolis immolare, gladio latus transfixa, martyrii gloriam est adepta. Eadem, ac iisdem fere verbis habet editio Lubeco-Coloniensis: nec multo aliter Viola Sanctorum, Molanus: Apud Paduam civitatem sanctæ Justinæ virginis et martyris. Consonat Belinus, monachus Ordinis S. Augustini, Paduanus: sic etiam fere Galesinius. Maurolycus: Patavii sanctæ Justinæ virginis et martyris, cum parentibus conversæ per Prosdocimum episcopum sub Maximiano rege, qui Vitaliano ejus patri successerat, gladio transfixa: ita Maurolycus, ut apparet, ex Petro Equilino supra citato. Sed reges, seu sub Nerone, seu sub Maximiano imperatore passa fuerit S. Justina, ut jam monui, in Italia tum nulli fuere. Hinc paulo aliter in Romano Martyrologio hodie usitato annuntiat: Patavii S. Justinæ virginis et martyris, quæ a beato Prosdocimo, S. Petri discipulo, baptizata, cum in fide Christi constanter persisteret, Maximi præsidis jussu gladio transverberata, migravit ad Dominum.*

E

e quibus Castellanus bis illam

*8 Martyrologii Romani verba modo adducta Gallice reddit Castellanus ad hunc diem, sed addit in margine: Ex xxx Novembris, seu potius, si mentem ejus assequor, eadem, quæ xxx Novembris annuntiat; ad quem diem Justina quædam virgo et martyr annuntiat, sed sine loco, tempore, ulloque adjuncto. Porro ad diem 50 Novembris de Justina, eo die Martyrologio Romano inscripta, sic annotat: Repetita ex vii Octobris, ubi Maurolycus, e quo id haustum est, illam non memoravit; sed hodie tantum. Censuit ergo Castellanus primo, S. Justinam virginem martyrem, sine ulteriori adjuncto ad diem 50 Novembris in Martyrologio Romano memoratam, e Maurolyco depromptam. Secundo, Maurolycum S. Justinæ semel tantum, id est, ad diem 50 Novembris*

F in Mrl. Romano recenseri

AUCTORE  
J. B.

vembris meminisse. Tertio, eandem sanctam martyrem bis memorari in Martyrologio, primum quidem 7 Octobris; iterum vero die 30 Novembris. Quod ad Maurolycum attinet, ex verbis num. superiore citatis liquet, eum S. Justinæ etiam ad diem 7 Octobris meminisse: licet autem S. Justinæ cujusdam martyris etiam ad diem 30 Novembris tam Maurolycus, quam Romanum Martyrologium meminerint, non inde efficitur, e Maurolyco S. Justinam ad diem 30 Novembris retulisse, qui Romanum Martyrologium emendarunt, cum utroque die S. Justinam ante illos etiam memorarint Belinus et Galesinius; imo Baronius ipse, emendatorum unus, non Maurolycum, sed vetus Martyrologium Romanum et vetera Mss. in Annotatis ad diem 30 Novembris allegavit.

non probat:

9 Eadem monumenta, quæ Baronius, Galesinius etiam laudat in Annotatis, ut ex Galesinio potius, quam ex Maurolyco Martyrologii Romani emendatores S. Justinam ad diem 30 Novembris memorasse videantur; hoc tamen discrimine, quod illi nusquam locorum S. Justinam annuntiant, Galesinius autem non Paduæ, sed Romæ; quam Tamayus in Martyrologio Hispanico, Flavio suo Dextero nixus, in Hispaniam (recte, an secus, non discutio) pertrahere conatur. Id certum apparet, Justinam, die 7 Octobris memoratam, aliam ab illa altera visam Galesinio fuisse: in eadem porro opinione Belinum et Maurolycum et Romani Martyrologii emendatores fuisse, longe verisimilius est, quam simul omnes in id oscitantia incidisse, ut S. Justinam Patavinam, sibi probe cognitam, nec unquam, quod equidem sciam, die 30 Novembris cultam; passam vero die 7 Octobris, bis retulerint. Ceterum nihil in eo apparet incredibile, sanctam aliquam Justinam a Paduana distinctam, alibi, quam Paduæ, aliquando martyrio fuisse affectam; quemadmodum de S. Justina, cum S. Cypriano Nicomediæ passa, ut alias tacem, abunde liquet. In litteris P. Alexandri Wilhelm Luxemburgo ad Papebrochium datis lego, sæculo præterito in pago Viller la Rue S. Justinæ virginis et martyris caput, Roma eo allatum, magna celebritate publicæ venerationi rite fuisse propositum: verum e tam tenui hujus rei noticia, eademne sit, quam Romæ Galesinius ad diem 30 Novembris annuntiat, uti et Martyrologium Romanum, sed sine loco; an alia, cui forsitan id nomen donatorum arbitrato fuerit impositum, dispicere nequeo.

at cultus ejus  
sacer

10 Uberius S. Justinæ elogium Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ concinnavit, aliquid etiam de ejus cultu addens: Justina virgo, inquit, Vitaliani præfecti, seu principis Patavini, et Præpedignæ, ejus uxoris, filia, ex eis in ultima fere ætate ad S. Prosdocimi episcopi preces genita, ab ipso Prosdocimo in fide Christiana educata et aquis expiata fuit. Mortuis parentibus, cum persecutio in Christianos fervesceret, ipsa ex prædio in urbem rediens, a militibus Maximiani præfecti in pontis ingressu septa, e rheda descendit, ac Deum genuflexa super saxo (in quo vestigia impressa genuum Virginis monstrari feruntur) ne sua virginitas in discrimen vocaretur, precati, præfecto sistitur. Qui, cum illam neque blanditiis, neque minis ad idolorum culturam flectere posset, gladio pectus ejus transverberari jussit; quæ brevi orans, sublati in altum manibus, suum Deo tradidit spiritum Nonis Octobris. Cujus corpus a S. Prosdocimo in eodem Campo-Martio, ubi confossa obiit,

sepultum fuit: quo in loco insignis postea basilica suo nomine exstructa fuit, quam monachi Benedictini opulentissimi tenent. Subdit in Annotatis: Porro celebris est memoria hujus Virginis, cum in toto fere dominio Veneto ejus dies festus celebretur. Quam vere id Ferrarius dixerit, ostendent tum ea, quæ de exstructis ejus nomini templis, et reliquiarum ejus translationibus post dicentur, tum ea, quæ de ejus cultu jam subdo.

11 Sacrum S. Justinæ cultum, mox a martyrio ipsi impensum, luculenter evictum darent, quos in ejus solennitate S. Maximus, Prosdocimi successor, habuisse fertur sermones, nisi subditi forent, ut jam dixi: sed, ut hoc præsidio destituamur, cultus ejus antiquitatem abunde probant, quæ de illa supra transcripsi, Venantii Fortunati verba. Eandem probat etiam ecclesia jam olim ejus nomini ab Opilione dicata, verum de hac fusior sermo recurrit § 5 et 4. Interim ubi locorum per ditionem Venetam modo colatur, videamus. In Aquileiensi provincia Carolus a S. Paulo in Geographia sacra, præter alias collocat has civitates, Venetas, Patavium, Veronam, Tridentum, quod episcopo suo sub comitis Tyrolensis clientela paret: in Mediolanensi vero Brixiâ, quæ Veneti juris est: Brixiæ S. Justinam die 7 Octobris coli Officio duplici, disco ex illius civitatis Directorio anni 1684; Tridenti item eodem modo, ex Proprio Sanctorum civitatis et diocesis Tridentinæ anni 1627; Veronæ, ex episcoporum Veronensium et aliorum Sanctorum, quorum vel reliquiæ illic servantur, vel templa visuntur, antiquis Monumentis per Rapiacem Bagatam et Baptistam Perettum collectis et ab Augustino Valerio episcopo contextis pag. 26. Ordo recitandi divinum Officium secundum ritum ecclesiæ cathedralis Patavinæ anni 1684 sub Gregorio Barbadoico, item anno 1699 sub Georgio Cornelio, episcopis Patavinis et S. R. E. Cardinalibus editus, festum S. Justinæ virginis et martyris ac civitatis patronæ Officio duplici primæ classis cum Octava celebrandum præscribit.

12 Ex Directorio vero Veneto anni 1685 habeo, non modo diem 7 Octobris in honorem S. Justinæ festum a Venetis agi; sed solemnem etiam ad templum, quod sibi dicatum Venetis habet, supplicationem institui: hanc senatus Venetus quotannis hoc die perpetuo habendam decrevit anno 1371 ob præclarissimam victoriam, quam eo anno Venetorum aliorumque Christianorum principum federatæ classes Joannis Austriaci auspiciis ad Echinadas insulas de Turcis ipso S. Justinæ die felicissime retulerunt: qua de re in Historia Veneta ab urbe condita usque ad annum 1673 Petrus Justinianus lib. xvi pag. 545 editionis Argentoratensis anni 1614 ita scribit: Post hæc, tantæ victoriæ (ibi latius explicatæ) memoria patrum animis insidente, lex in senatu lata est, ut, divæ Justinæ die inter festos relato, quotannis princeps, senatusque in lato clavo et toga ad ejus templum accederent, ubi gratias divinæ clementiæ referrent. Excusum mox numisma fuit, in cujus altero latere Justina virgo incisa manet cum recto ejus corporis statu effigie, his litteris circumscriptis: MEMOR ERO TUI, JUSTINA VIRGO. Rem totam brevicus explicat Cavacius lib. vi, pag. 289 et seq. ad annum 1371, cujus propterea hæc verba transcribo; ex quibus præterea discimus, S. Justinam tunc a Venetis inter Reipublicæ patronas fuisse relatum.

15 Ex



A  
celeber est.

15 Ex insigni victoria, inquit Cavacius, vergente anno, nomen et cultus S. Justinæ illustrior fuit. Turcæ rostratarum navium cc, ac minorum navigiorum plurimam classem agentes ad Echinadas insulas in adversam fœderatorum classem ipso die Justinæ virgini sacro inveci sunt. Hæc, hortatu Pii quinti Pontificis, ex suis, Hispanis, Venetis et auxiliariis comparata, licet rostratarum numero minor esset, militum tamen virtute, ac rerum omnium apparatu longe major, pugnam cupivit. Acriter diuque pugnatum est, maxime inter prætorias rostratas, ubi utrinque de vita imperatorum, de victoria ac fortuna Italia agebatur. Anceps ea fuit, ac sæpius utrinque instauratum prælium est, quo tandem duces Turcarum interfecti, et cæteræ naves vel incensæ, vel captæ. Unus Vlucialis trierarchus cum rostratis quinque ac viginti effugit. Duo præsertim eam victoriam peperere. Ventus, qui pugnae initio adversus fœderatos flare desit, et alter, qui ex Occidente in Turcas exortus est; atque Venetorum rostratae celsiores sex, omni tormentorum genere instructæ, quæ binæ singula cornua, ac mediam aciem præcunctis crebris tormentorum icibus ordines adversæ classis disjecerunt. Ea victoria Venetus ultus est injuriam erepti regni (Cyprî) et imminens Italiae universæ exitum propulsavit. Idem inter Tutelares Reipublicæ Justinam virginem accepit, et quotannis in ipsius templo coram senatu litari perpetuo sanxit, atque nummos argenteos cudi, quibus Justinæ imago et inscriptio: MEMOR ERO TUI JUSTINÆ VIRGO. De insigni hac victoria hæc modo satis: plura dicuntur hoc die in Prætermissis. Nunc de ædibus sacris et monasteriis S. Justinæ excitatis.

Templum  
Venetiis,

14 Ex his celeberrima longe sunt Paduanum S. Justinæ templum et Ordinis Benedictini cœnobium, de quibus tamen nihil hoc loci disserere constitui, commodius facturus id alibi, ubi de S. Justinæ corporis, ibi quiescentis, translationibus agendum erit. Ordior a templo, quod illi Venetiis excitatum esse, jam dixi: hujus origo prodigiosa quidem, sed non satis, ut his in rebus non raro fit, certo stabilitis, ornatur adjectis. S. Magnum, Opiterginum primum, deinde Heraclensem episcopum medio circiter sæculo vii suo seu hortatu, seu opera octo Venetiis excitasse ecclesias, Venetorum traditio est; quo de causa die 6 Octobris illius in illis festum magna celebritate peragitur. Inter eas ecclesias ordine recensetur sexta, inquit tom. XI Ecclesiæ Venetæ antiquis monumentis illustratæ pag. 199 Flaminus Cornelius, vir senatorio in Republica Veneta munere et eruditione conspicuus, quæ divæ Justinæ Patavinæ martyris titulo insignitur; eadem enim sancta Virgo (ut refert antiquum Lectionarium ducalis basilicæ) « sancto episcopo nube circumdata apparens templum » in » Veneta « urbe sibi ædificari petit in loco, » ubi vitem novos fructus emittentem videret. » Vitem itaque novos botros germinantem cum in extrema urbis parte reperisset vir sanctus, ibidem piorum subsidiis statutam ecclesiam ædificari curavit, quæ a sui exordio in parœciam proximarum ædium constituta fuit. Sed, ut eam condi curarit S. Magnus ecclesiam, haud æque facile, S. Justinæ apparitionem et germinantis more insolito vitis prodigium credet, qui meminert, quam frequenter olim ecclesiarum mo-

nasteriorumque exordiis temporum maxime lapsa fuerint afficta adjuncta, quibus plus admirationis, quam veritatis inesset. Lectionarium vero, quamvis id antiquum esse, Cornelio laudato id asserente, non ambigam, nescio tamen, num satis antiquum id sit, ut rem, quæ jam inde a sæculo vii debuit contigisse, evincat.

15 Neque certius quidquam statuere ausim de sazo, Venetiis in S. Justinæ ecclesia servato, in quo S. Justina a militibus comprehendenda, vehiculoque desiliens Dei auxilium imploravit genuflexa, genuumque vestigia impressa reliquerit, licet hæc marmoris insculpta sit epigraphe: Traditum est nobis ab antiquis indubia successione, hanc esse illam petram, in qua Justina virgo impressit vestigium genuflexionis suæ factæ pro oratione habita ante martyrium, quam hic reponi fecimus ad fidelium devotionem MCCCCLXII die xx Augusti. Cum enim Acta ipsa S. Justinæ non prius sæculo x aut xii scripta sint et ex traditione, temporum lapsu fortasse depravata, ne ipsum quidem miraculum aliquando contigisse, certo affirmari potest; imo id Tülemontius num. 5 laudatus veluti dignum Metaphraste sugillat. Traditio vero, ob quam anno 1462 parieti ecclesiæ sub ædrea concionatoria lapis iste infixus fuit, vocari tum quidem antiqua potuit; sed simul, a conscriptis S. Justinæ Actis, aut corporis illius inventionem tantummodo nasci, ac sensim apud parum cautos fidem invenire: quæ cum multis a S. Justinæ martyrio sæculis contigerint, non eam vim et auctoritatem habet ea traditio, ut illam in dubium vocare sit nefas. His accedit, nusquam, ubi de inventionem corporis S. Justinæ, aut de instauratione Patavinæ ejus ecclesiæ agitur, sazi illius mentionem ullam fieri; ut adeo, quo primum tempore in hominum notitiam venerit, vulgique sermonibus celebrari cœperit, plane videatur ignotum. Quod si ea traditio indubia visa sit iis, qui collocandi illic lapidis auctores fuere, probat id bonam eorum fidem, non traditionis veritatem.

AUCTORI  
J. B.

ubi sazum,  
genuum ejus  
vestigia exhibens,  
servari dicitur,

E

16 Multas ecclesia S. Justinæ Veneta vicissitudines subiit, quas e fusiori Cornelii Flaminii tom. XI a pag. 188 narratione contraho. Quæ primo parœcialis tantum fuerat, dein (incertum, quo tempore) in collegiatam evasit, ut ex litteris Innocentii III, datis anno ipsius Pontificatus x. Christi 1207 Flaminus probat. Multis sæculis conditam Hugolinus, Cardinalis Ostiensis, Pontificiæ Sedis legatus, consecravit ac Indulgentiis ornavit anno 1219, teste antiqua inscriptione lapidi incisa. In Prioratum jam transierat sub finem sæculi xiv, habuitque in Priorem ab anno 1590 saltem ad annum 1402 Andream Parassu. Dein Ordini Birgittino cessit, qui illam anno 1429 administrabat. Haud diu post, annuente Nicolao V, sanctimonialibus Beatæ Mariæ Angelorum de Muriano concessa est cum monasterio cura studioque Francisci Barbari. Hæc monasterium splendide instaurarunt, idque ingressæ sunt anno 1435, et privilegiis auctæ a Calisto III anno 1438. Cura animarum Capellano curato demandata, cujus electio penes sanctimoniales est, ut item adductis monumentis Flaminus laudatus ostendit. Addit denique, S. Justinæ templum anno 1500 magna ex parte corruisse, sed pia senatorum aliquot, et Hieronymi de Joanne liberalitate brevi instauratum, a Dominico Zono, Chissamensi episcopo consecratum fuisse anno 1514 die 14 Maii, non, ut relata a Flaminio

sibi dicatam  
habet,

F

AUCTORE  
J. B.

Flaminio inscriptio habet, Anno Domini MDXXII, Dominica secunda Maii, die xv: id vero ornasse, et pulchriori forma donasse Perpetuam Pasqualico, monasterii priorissam anno 1600. Recte Flaminus annum 1514, die 14 Maii S. Justinæ ecclesiæ consecrationi assignat, quo littera Dominicalis erat A et proinde dies 14 Maii erat Dominica: anno autem 1522 littera Dominicalis E, dies vero 15 Maii feria quinta post Dominicam secundam ejusdem mensis. Verum hæc de Veneto S. Justinæ templo dicta sufficiant; plura apud Flaminium laudatum, qui volet, inveniet.

et Ferrarie  
in Emilia;

17 Ferrariæ quoque, quæ Emilia civitas est, dicatam sibi ecclesiam S. Justinæ habet: conditam hanc scribit Marcus Antonius Guarini lib. II pag. 37 et seq. de Ecclesiis Ferrariensibus, in superiore civitatis parte et regione arcis Thealdi Occidentem versus, a monachis Casinensibus sub S. Leonis tertii, qui ab anni 793 mense Decembri usque ad annum 816 S. Petri Cathedram tenuit, Pontificatu, atque unitam abbatæ S. Justinæ Patavinæ; quod quidem facit, ut huic sanctæ Virgini, non alteri cuiquamque cognomini, dicatam fuisse existimem, licet id expressis verbis Guarinus haud asserat. Addit, juxta illam bina nosocomia curandis pauperibus infirmis excitata fuisse, aliquanto quidem tempore magna caritatis lauda administrata, sed sua ætate neglecta: animarum vero curam in ea semper fuisse exercitam, cujus ultimus rector anno 1385 obiit; deinde vero, occasione seminarii per Paulum Leonem Paduanum, Ferrariensem episcopum, anno 1584 exercitati, ad S. Mariæ Novæ et S. Blasii fuisse translata animarum curam; ecclesiam vero parochiali S. Blasii hodie subjacere.

monasterium  
vero Luca in  
Hetruria:

18 Monasterium S. Justinæ sacrum occurrit apud Franciottum de Imaginibus miraculosis et Vitis Sanctorum, quorum Luca in Hetruria reliquæ conquiescunt: scribit hic pag. 305, in monasterio S. Justinæ Lucensi S. Justinæ caput servari: verum ne lector forte hinc ansam binas in unam sanctas Virgines confundendi sumeret, hæc addit Italice: Non quidem illius, quæ Patavii, in cujus honorem earum (sanctimonialium Ordinis S. Benedicti) dedicata est ecclesia; sed Antiochene, quæ Nicomedie martyrium subit. Quo anno id conditum et a quibus fuerit, ignoro: at de illo ita Ughellus tom. I Italiæ sacræ col. 826, ubi de Balthassare, Lucensi episcopo: Hujus episcopi temporibus moniales S. Carbonis ex Ordine Cisterciensi cum monialibus S. Justinæ in unum collegium coierunt anno MCCCXLII. S. Carbonis seu Carbonii monasterium secundo a Lucensi civitate milliari distabat, quod sub annum 1440 redditibus et sanctimonialium numero valde imminutum, ad Patres Franciscanos Eugenii IV auctoritate translatum est, ut in ipsius Eugenii Pontificis ea de re litteris anni 1445 apud Waddingum tom. XI Annalium Minorum pag. 445 videre est. Meminit horum etiam Franciscus Gonzaga, Franciscani Ordinis Minister Generalis in Opere de Origine etc. Ordinis sui, anno 1387 Romæ excuso, parte II conventu 21 provincie Tusciæ pag. 246: sed duplex cum in locum error irrepserit; unus quidem, quo, annuente Eugenio IV, F. Joannes Discalciatus anno 1340 S. Carbonii monasterium occupasse dicitur; quod sub annum 1440 contigisse jam dixi: alter vero, quo moniales Cistercienses ad sanctæ Christianæ Ordinis Benedictini monasterium translatae di-

cuntur: lege, Justinæ, nimirum Patavinæ, ex Cæsare Franciotto.

19 Cum per totum Venetum dominium maxime in veneratione sit Justinæ, ac in diocesi Brixiana etiam colatur, ut supra dictum est, illi quoque consecrata opinor monasterium, ecclesiam, et oratoria, quorum Bernardinus Faynus in enumeratione ecclesiarum diocesis Brixianæ, in octo regiones claritatis causa distinctæ, mentionem facit. Regione 4, pag. 251, postquam parochialis ecclesiæ Salodii meminit, ita pergit: In hujus parochiæ ambitu venerantur. Ecclesia S. Mariæ cum monasterio Fratrum Carmelitarum. Ecclesia S. Justinæ cum cœnobio clericorum Regularium Congregationis Somaschæ etc. Regione 8 pag. 282 sic habet: Oratorium S. Corporis Christi et S. Justinæ in campestri regione de Rhò. Pag. seq. Oratorium S. Justinæ. Et iterum pag. 516 inter monasteria virorum ejusdem diocesis mox dictum monasterium his verbis recenset: S. Justinæ de Salodio Patrum Congregationis de Somasca. Augustinus Lubin in Notitia brevi abbatiarum Italiæ pag. 181 Abbatæ cujusdam sub titulo S. Justinæ (Patavinæ, an alterius?) in regno Neapolitano sitæ, sic meminit: Abbatia titulo S. Justinæ in regno Neapolitano, cujus anno circiter MDLXXXIX abbas erat Hieronymus Stranio Alexandrinus; ut refert Hieronymus Ghilini in Annalibus Alexandrinis ad hunc annum num. 14. Cavacius pag. 73 meminit ecclesiæ cujusdam, quam S. Justinæ Laurani appellat. Muratorius tom. III Antiquitatum Italicarum Dissertatione 54 Gregorii IV Papæ anni 828 Bullam refert, in qua item ecclesiæ cujusdam S. Justinæ, procul dubio Patavinæ, mentio fit in hunc modum: Nec non (concedimus et confirmamus Miloni, abbati S. Justinæ) ecclesiam in honorem sancte Justine virginis et martyris Christi in villa, quæ vocatur Corizza, edificatam. Quæ Bulla quamquam fœctitia videatur, certum tamen non est, ejus inventorem ecclesiam, quæ nusquam existeret, in eam intrussisse.

Brixia stem,  
ut apparet,  
templum,

E

20 Eodem Antiquitatum Italicarum tomo col. 53 et duabus seqq. charta quædam exstat Opilioni patricio adscripta et anno 795 data; in qua capella quædam, in civitate Bononiensi sita, S. Justinæ sacra existisse dicitur, ab eodem Opilione S. Justinæ monasterio Patavino donata. Verba chartæ sunt, Et capella una cum area sua et cum omnibus suorum pertinentiis infra civitate Bononiensis, quæ constructa est in honorem sancte Justinæ virginis et martyris. Nondum quidem anno 795 monasterium S. Justinæ fortassis exstabat (quod infra examinabitur) atque adeo prædicta capella illi ab Opilione dono dari tum non potuit; sed seu genuina, seu spuria sit charta illa, non ausim affirmare dicere, adeo impudentem fuisse illius auctorem, ut ædem S. Justinæ sacram fingeret, quæ nec sua nec majorum suorum ætate fuisse unquam sciretur. Ejusdem ædis sacræ, sub nomine monasterii, nisi capellæ post annum 795 adjectum fuerit, monasterium ante annum 828, Gregorii IV in Bulla paulo ante citata sic meminit: Monasterium unum, in honore sancte Justinæ dedicatum, situm infra civitate Bononia cum area sua et cum omni domo culto suo tam in ipsa civitate, quamque foris, cum casis, domibus, edificis, et cum omnibus sibi pertinentibus in integrum. At monasterii hic nomine nihil fortassis, quam ædes sacra intelligitur

aliaque loca  
sacra, aliis  
per Italiam  
locis:

F

A *gitur, ad cuius sustentationem, ornatum, usumve casæ, domus et fuerint assignatæ. Hujus quidem Bononiensis seu capellæ seu monasterii mentionem alibi non reperi hactenus; at fieri facile potest, ut olim quidem vere existit; licet nulla hujus rei, quæ quidem certa indubitataque sint, hodie forsitan supersint monumenta. Parte 5, tom. VI Thesauri Historiarum Italiæ præfixa est agrî Patavini tabula geographica Bernardini Scardeonii de Rebus Patavinis libris, in qua geminum locum reperio, qui a S. Justina nomen trazit: alter vicus est haud procul oppido, cui Campi S. Petri nomen; alter vero vallis est versus fluxum Athesin sita, non procul ab oppido Rhodigio, Italîs Rovigo.*

a Patavinis  
vero collitur  
ut patrona.

21 *Ex dictis hactenus concludi haud difficulter potest, quod merito Ferrarius dixit, ut supra aiebam, maxime per ditionem Venetam S. Justinæ cultum invaluisse: quod vero ad Patavinos spectat, solent ii ad S. Justinam, patronam suam, veluti ad tutissimum præsidium, maxime si publica forte calamitas ingruat, recurrere: cujus rei specimen unum alterumve habe ex Petri Savio Thesaurio viri Paduanæ pag. 22 et 25. Is*

B *priore loco e civitatibus Tabulis sic habet: Anno MDLXXV dum urgebat proventus propter pestilentiam in civitate, congregatis in palatio habitationis D. Potestatis de mense Octobris Mag. Provisoribus salutis simul cum mag. deputatis nomine totius consilii, unanimes vota humiliter fecerunt Altissimo, pro liberatione patriæ et præservatione viventium, promittentes statim, consumpto morbo epidimæ, se facturos tres processiones, quarum primam ad ecclesiam S. Justinæ, secundam ad ecclesiam S. Antonii, tertiam vero ad S. Prodocimum, cum omni populo, omni possibili devotione, et præcipue clarissimis rectoribus, et magn. deputatis et provisoribus salutis cum cereis accensis L. 5\* pro quoque expensis publicis, et celebrata Missa, ipsos cereos offerre etc. Posteriori vero: Die tertia Junii MDCCXXI vota civium ad obtinendam miserationem divinam perfecta fuere pro salute universali, promittendo quinque statuas argenteas, valoris in totum scutorum mille ducentorum, offerendas processionaliter, cum clero et populo et fratralibus comitantibus cum cereis, earum expensis, sacratissimum Corpus Christi,*

\* librarum  
trium

C *nam scilicet B. M. V. ad ecclesiam Carmelitarum: duas ad ecclesiam S. Justinæ, demonstrantes S. Prodocimum et Justinam etc. Apud Hieronymum Rubeum tom. VIII, part. 1, Thesauri historiarum Italiæ pag. 887 Litanie visuntur ante Gregorî Magni ætatem Ravennæ recitari solitæ, in quibus inter virgines sanctas S. Justina invocatur hoc ordine: S. Christina, S. Valeria, S. Eulalia, S. Justina. Joannes de Rubeis in Monumentis ecclesiæ Aquileiensi pag. 682 et seq. Litaniarum, sæculo x in diocesi Trevirensi exaratarum, et a S. Elisabetha Lantgravii Thuringiæ vidua sæculo xiii canonicis Forojuliensibus dono datarum, meminit, quibus, teste Fontanino in Commentario de S. Columba pag. 99 S. Justina inserta est hoc ordine: S. Eulalia, S. Christina, S. Columba, S. Margareta, S. Scholastica, S. Euphemia, S. Justina. Agi vero in utrisque de S. Justina Patavina, conjici utrumque potest ex eo, quod cum SS. Eulalia et Eufemia conjungatur, ut etiam a Fortunato, Pictavensi episcopo, num. 6 citato, factum est.*

Octobris Tomus III.

AUCTOR  
J. B.

## § II. S. Justinæ genus, et martyrium. An alii simul cum illa passi sint.

Q *ui S. Justinæ martyrium sæculo, ut diximus, tantum x aut forte xii ex superstite qualicumque traditione descripsit, cænobii eidem Virginii apud Patavinos dicati verosimiliter monachus, non admodum multa habuit, quæ de ea posterosedoceret. Patavinam fuisse, scribit num. 5: genere vero nobili ortam, indicat num. 2, cum inter generosas feminas excelluisse, dicit præclaræ indolis fama: parentes illi fuisse fidei Christianæ sectatores, eodem num. habet; sed quorum nomina ignorasse videtur: vix enim aliquin causa apparet, ob quam, si illa explorata habuisset, nihil tamen de iisdem edixisset. Ubiorem S. Justinæ notitiam exhibet Vita S. Prodocimi, primi Patavinorum, ut ajunt, episcopi, S. Maximo, S. Prodocimi successori, falso adscripta. S. Prodocimus, ut ibidem legitur, S. Petro Antiochiæ se primum adjunxit; Claudio imperante (imperavit autem annis 15, mensibus 8 ab anno Christi 41) una cum S. Petro, ejusque discipulis Marco et Apollinare Romam venit. S. Marco Aquileiam, Apollinare vero Ravennam fidei propagandæ causa misso, Prodocimum S. Petrus destinavit Patavium, cum viginti esset dumtaxat annorum, ubi episcopum egit, si credere lubet, annis nonaginta tribus, mense uno, et diebus quindecim.*

Sancta dici-  
tur nata

25 *Patavium ingressus, ægros, quos obvios habuit, crucis signo sanavit: tenebatur tum forte fortuna morbo implicitus Vitalianus, Patavii rex, ut Acta loquuntur; ad quem cum S. Prodocimi fama pervenisset, hunc ad se evocatum rogat, ut, quam aliis restituerat, sibi quoque restituat sanitatem; id si fecerit, se universamque familiam Christianam suscepturum sacra pollicitus. Placuit conditio S. Prodocimo, regemque cum suis Christianæ fidei dogmatibus instructum sacro fonte lustravit, pristinaque incolumitati restituit. Hinc liberum circumferendæ fidei campum nactus, Patavium locaque vicina tradidit ad Christum. Interim vero rex Vitalianus, ejusque uxor, nomine Præpigna (alii Præpedignam aut Perpedignam vocant) liberorum hactenus expertes, aucti sunt prole feminea, quam S. Prodocimus, sacris undis ablutam, Justinam nominavit, ac dein ad omnem virtutem effinxit. Habes itaque hic S. Justinæ tum parentum nomina, tum regium genus, ab altero anonymo vel ignorata vel certe præterita; quorum corpora seu cineres hodieque in templo S. Justinæ non sine honore servari, ex dicendis num. 156 et seqq. facile intelligi potest; et unde anonymi S. Prodocimi Vitæ scriptoris assertioni nonnihil sane probabilitatis videtur accedere.*

matre Præpigna,  
patre Vitaliano,

24 *Vitaliani hujus, e quo genus suum ducere, ajunt Patavini scriptores quidam, Vitalianorum, Borromæorumque familias, mentionem apud antiquos scriptores nusquam reperi. Vitalianum, prætorianis militibus sub Maximino præfectum, jussu senatus occisum, hominem crudelem et Maximino similem, memorat Julius Capitolinus de tribus Gordianis; quem S. Justinæ patrem fuisse, est, qui opinatus sit in Annotatis Mss. in*

qui quis fuerit, non liquet,

100 Vitam

AUCTORE  
J. B.

Vitam S. Justinæ, quæ, nescio, unde aut a quo ad nos pervenerint: verum neque Vitaliani illius mores, neque genus mortis, neque temporis, quo in vivis fuit, ratio pati videntur, ut is S. Justinæ pater fuisse dicatur. Sive enim sub Nerone, ut passim scriptores Patavini, sive sub Maximiano, ut alii volunt, martyrium S. Justinæ subierit, pater ejus, ante ipsam mortuus, sub Maximiano in vivis esse non potuit. Nero enim anno Christi 68, Maximinus 257 e vivis sublatus fuerunt; Maximianus vero Herculius sub annum 285 in imperii societatem a Diocletiano ascitus fuit. Multo minus ratio temporis patitur, ut S. Justinæ pater fuerit Vitalianus alter, cujus ibidem fit mentio, quique sub Honorio et Theodosio imperatoribus vixerit. Longius denique a vero abest, Vitalianum, qui Gothorum tempore sub Justiniano floruit, S. Justinæ patrem fuisse, quod, teste Cavacio lib. II, Cornelio Musso, episcopo Bituntino, est visum.

Patavino, ut  
fabulantur,  
rege:

25 Quod autem Vitalianum, S. Justinæ patrem, regem Patavinum fuisse, audis ex scriptore Vitæ S. Prosdocimi, id fabulatoris genio non dubitanter adscribe: hujusmodi enim hominibus familiaris et volupe solet esse, in rebus antiquis et obscuris, licet omni testimonio plerumque sint destituti, quo lectoribus admirationem moveant, vel rebus suis splendorem arcessant, magnis nominibus uti. Audi Cavacium, canobii S. Justinæ historiographum, regni Patavini fabulam his verbis refutantem: Hic (Vitalianus, cui alibi Justinus nomen adjicit) Patavini senatus princeps vel summæ apud eum auctoritatis, apud nonnullos historicos scite minus regis nomen obtinet, quo nihil ineptius, cum ex prædictis opinio regni Patavini explosa sit, et liqueat (quod adductis ceterum testimoniis paulo ante probatur) multo antea urbem Romano imperio adhaesisset. Quod si, florente eorum republica, post Porosenam Tuscorum regem nullum fere alium apud Italos legas; et apud Livium (Dec. 5, lib. VII) affirmet Scipio, regium nomen, alibi magnum, Romæ intolerandum esse, quibus auribus id acciperent cæsares, qui orbis monarchiam appetebant? Fuerit igitur, si probabiliori conjectura uti velimus, S. Justinæ pater vel provinciæ alicujus Romanæ præses, vel prætor, vel magistratus Patavini princeps, vel ex honoratiorum saltem optimatum numero: sed, qua singulari dignitate insignitus fuerit, quis divinet?

quo tempore

26 Scriptorem Vitæ S. Prosdocimi apud Mombrinium, ineptientem jam vidimus: nunc secum pugnantem habe. Medio circiter sæculo Christi primo, ut ex verbis ejus efficitur, Patavium S. Prosdocimus venit, ubi S. Justinam non modo sacro fonte lustravit, sed etiam martyrio ex hac vita sublata terræ mandavit. Verum cujus id jussu factum scribit? Audiens autem, inquit, impiissimus et crudelissimus Maximianus mortem Vitaliani regis, ardens in concupiscentiam beatissimæ Justinæ virginis, concito cursu Patavium ingressus est, et, missis militibus suis, sanctam Virginem sibi fecit præsentari, ut, relicta Christiani nominis cultura, idolis compelleret immolare, et ejus thalamis frui. Quæ, cum æterni Sponsi delicias adamasset, et culturam, quæ de terreno sponso promittebatur, aurum, argentum, servos et ancillas pro nihilo duceret, diversis pœnis cruciata est, et, gladio lateri infixæ sauciata, feliciter migravit ad Christum. Maximianus vero cito reversus est Romam.

Notissima est Maximiani Herculii, Diocletiani collegæ, tum crudelitas, tum libido ex Laclantio lib. de Mortibus Persecutorum cap. 8, quem, cum in Occidente imperasse prædictus auctor probe sciret, mox a peracto S. Justinæ martyrio Roman, imperii Occidentalis sedem, profectum dixit: unde vix dubito, quin Maximiani nomine Herculium, Diocletiani collegam, intellexerit: quin imo Maximianum imperatorem paulo infra diserte vocat: sed cum hic non nisi inclinante sæculo III imperare cœperit, qui potuit S. Prosdocimus Justinam, sub Maximiano occisam, concessis Prosdocimi episcopatus non annis dumtaxat 95, sed et multo pluribus, sepelisse, ac Passionem ejus descripsisse, quod paulo post tradit?

27 Vidit id Petrus Equilinus; eaque de causa lib. IX, cap. 52 S. Justinæ martyrium describens, Vitaliano, regi Patavino et S. Justinæ patri, successisse ait Maximianum quemdam, non Diocletiani collegam illum, in Occidente imperatorem, sed alium antiquiorem, huic scilicet cognominem, et Patavini tractus dumtaxat regem, cujus jussu S. Justinæ percempta fuerit. At explosa jam est ista de Patavinis regibus sub Romanis imperatoribus opinio. Quod si Maximianum hunc vel alicujus provinciæ præsidem vel prætorem, vel Patavini senatus principem facere, aliæ hujusmodi dignitate non regia ornare volueris, nihil quidem, quin hujusmodi Maximianus aliquis sæculo Christi primo secundoque existere potuerit, obstabit; verum id sine teste nec affirmari, nec credi necesse est. Maximiano nonnulli imperatorem Maximinum substituere: sed vel sic, judice Cavacio, concidunt, quæcumque de S. Justinæ vera narrantur. Nam Maximinus, ut ait Cavacius, non ante annum 256 inrasit imperium; ad cujus tempora S. Prosdocimus, circa S. Telesphori Papæ et Antonini Pii, id est, sæculo Christi secundo ad annum circiter 40 prorepto, ut illius Vitæ auctor scribit, defunctus, pertingere non potuit. Cavacius, qui Maximianum, proximæ Galliæ Cisalpinæ prætorem, vel militarem aliquem tribunum, legionis præfectum, a Nerone ad coerendum fidei Christianæ progressum per illas oras missum fuisse aumat, ultimo Neronis anno S. Justinæ martyrium illicat.

martyrium  
subierit, an  
sub Nerone,

E

28 Ultimo, inquit, Neronis anno passam Justinam, conjicimus e supputatione temporum ab accessu D. Prosdocimi. Advenit is anno IV Claudii Cæsaris (ita Vitæ illius auctor scribit) a quo ad ultimum Neronis annum enumerantur XXIV. Acta S. Prosdocimi, quæcumque sint, innuunt, septimo vel octavo anno a parentum conversione esse natam. Eandem in juventute passam, testantur reliquiæ ante non multos annos inspectæ, quæ exile corpus vix ultra pueriles annos demonstrant. Itaque si ætati illius XVI vel XVII annos demus, tempus martyrii assequimur, nimirum annum Christi 68. Ita quidem Cavacius: sed nec hic quidquam certi occurrit: primum quidem, quod opinio illa, secundum quam S. Justinæ sub Nerone passa sit, recentiori dumtaxat ætate sit nata: certe, quocumque tempore scripta sint Acta, tum S. Justinæ, tum S. Prosdocimi, ea tunc obtinuisse videntur apud Patavinos traditio, ut sub Maximiano imperatore passa crederetur; cum utrorumque auctores illum diserte nomenent. Dein dubium videtur, num S. Justinæ et S. Prosdocimus eadem ætate vixerint; nulla enim Prosdocimi mentio fit

F  
an sub Maxi-  
miano

A in Actis S. Justinæ infra edendis; imo, licet illa S. Maximo sint supposita, non a Prosdocimo, sed a Christianis generatim sepulta dicitur num. 7. Tertio denique haud satis liquet, quidquid dicant Acta illius exiguae vel nullius fidei, S. Prosdocimum Claudii et Neronis imperatorum ætate vixisse. Illum Patavini, inquit Tillemontius tom. V Monumentorum ecclesiasticorum pag. 140, primum suum episcopum faciunt, quod antiquorem non norunt: poterit igitur Maximiani ætate, si vera sint, quæ de illius et S. Justinæ necessitudine narrantur, fortasse vixisse. Neque vero contrarium apud scriptores Patavinos idoneo satis, ut omne ea de re dubium tollat, argumento stabilitum inveni. Quibus de causis S. Justinæ martyrium principio Commentarii sub Nerone vel Maximiano imperatoribus, sed dubitanter collocavi.

incertum:  
martyrii lo-  
cus et genus

B 29 Si vero sub Maximiano passa statuatur, quæratque, num sub finem sæculi tertii, an sub initium quarti occubuerit, verosimilius Baileto videtur sub initium potius sæculi quarti, quam sub finem tertii, in ea, quam diximus, hypothesi, illius martyrium contigisse: ita, quantum quidem apparet, censuit, quod apud Petrum Equilinum legerat, Maximianum, cum S. Justinam interfici jussit, Mediolano Patavium advenisse; ubi cum aliquandiu considerit, priusquam anno 303 imperii fasces ibidem deponeret, verosimile illi visum est, S. Justinæ martyrium anno 304 sex septemve mensibus ante abdicatum a Maximiano imperium, affigi posse. Sed Maximianum, S. Justinam interfecit, Romam reversum scribit Vita S. Prosdocimi auctor, et proin Roma Patavium advenisse, innuit: scriptor vero Martyrii S. Justinæ, unde Patavium profectus sit, silet: facit ergo horum auctorum exigua nec satis consentiens auctoritas, ut et hoc prorsus lateat in occulto. De adjunctis ceteris martyrii S. Justinæ inter auctores convenit, nempe de loco et genere mortis. Occisam ajunt in Campo Martio, qui, exuto gentili nomine, Novi Prati nomen induit, tunc quidem extra urbem sito, ubi modo locupletissimum templum ei dicatum cernitur: perit autem, seu potius cælo vivere cepit pectus gladio transfixa. Existare ait Scardeonius lib. II, classe 6 in ejus templo sanctæ Martyris epitaphium in tabula lapidea, sed, ut ex dictis colligi facile poterit, partim incertum, partim vero falsum: sic habet: Hic requiescit corpus beatæ Justinæ virginis et martyris Xhri, quæ fuit filia Vitaliani, regis Paduæ, et Maximiano imperatore gladio interfecit, et a S. Prosdocimo sepulta, postea vero a titulo Concordiæ Basilyca Justinæ fuit dicata.

non adeo du-  
bia. Cum illa  
et alios passos  
esse,

C 50 S. Justinæ palæstram, locumque sepulturæ paulo distinctius describit Ursatus lib. I, part. I Historiæ Patavinæ Italicæ ad annum Christi 79, ex quo sequentia habe: S. Justina, lethali ictu percussa, e ponte in eum locum transferri se jussit, in quo, ut Patavinorum antiqua traditio habet, exiguum visitar sacellum, a lævo latere euntis versus portam civitatis Pontis curvi, ab eo ponte sic dictam. Traditionis hujus antiquitatem ignoro: non videtur tamen eo tempore viguisse, quo Acta S. Justinæ conscripta fuerunt. Legesit num. 6 Actorum infra; ibi quidem S. Justinæ genuflexæ latus transfixum fuisse, reperies: at, accepto letali vulnere, alio sese transferri voluisse S. Justinam, non invenies; imo vero contra, eodem loco, quo vulnus acceperat, per

horam (quamquam id parum, ut diximus, videatur credibile) elevatis in cælum oculis mansisse, ibique spiritum Deo reddidisse: nihil quoque de S. Justinæ mox morituræ in alium locum translatione meminit Petrus Equilinus, scriptoræ Vitæ S. Prosdocimi: verosimilius itaque videtur, S. Justinam jam exanimem, alioque profectis interfectioribus, e loco martyrii, ad locum sepulturæ suæ fuisse translata. Sepulta autem fuit a S. Prosdocimo, ut Ursatus alique passim scribunt, in Oratorio, quod hic Virgini Deiparæ excitarat, non procul a loco martyrii. Ceterum in non solam S. Justinam tunc sævium esse, idem scribit Ursatus, verum et in alios promiscue, qui fidem Christianam Patavii ea tempestate profitebantur, Deo tamen S. Prosdocimum, Patavinum episcopum, ad gregis sui bonum persecutorum gladiis subtrahente.

E 51 Nihil quidem de martyrum illorum manipo, eadem, qua S. Justina, occasione pro fide occisorum, S. Justinæ et Prosdocimi biographi: rem tamen utcumque verisimilem faciunt multorum martyrum corpora juxta idem Virginis oratorium et in propinquo S. Justinæ templo inventa, quorum inventionem descripturus Cavacius ad annum 1269 ita præfatur: Ea tempestate maxime opinamur rem accidisse, quæ inter Historias hujus cœnobii relata, et antiqua apud cives traditione celebris, vitio tamen vel temporum, vel scriptorum non exprimit annum, quo gesta est, quamvis summa fide conscripta etiam a loco, memoria, rebusque secutis optime sibi respondeat. Tum Cavacius rei gestæ historiam suo stilo prosequitur: nos fontem ipsum hic exhibemus ex Ms., cui ad calcem ista subnectuntur: Historia desumpta ex Cronicis S. Justinæ de Padua Congregationis Cassinensis, alias S. Justinæ de Padua e libro, cujus est titulus: « Passio B. Justinæ et Vita S. Prosdocimi, nec » non aliorum Legendæ Sanctorum, monasterii » divæ Justinæ. » Ego D. Philippus Venetus, bibliothecarius, affirmo, ut supra. Titulus Historiæ hic est: Historia revelationis sanctorum Martyrum, quiescentium in ecclesia S. Justinæ de Padua ante chorum, quæ videlicet revelatio celebratur (mobiliter) feria secunda ante diem Ascensionis Domini: ipsa vero his verbis concipitur.

sequens ut-  
cumque sua-  
det historia.

F 52 Fuit quaedam mulier venerabilis, Veronensi oppido oriunda, nomine Jacoba, Deo devota, quæ a primævo suæ juventutis tempore cepit Domino servire. Diebus ac noctibus orationibus semper insistens, jejuniis et vigiliis corpus suum castigabat, pauperibus et orphanis subveniebat, et multis aliis virtutibus præclare insistens, sic juvenilem ætatem pertransiit. Tandem a Domino Jesu Christo, priusquam mortis debitum solveret, meruit hac revelatione consolari. Quadam igitur die post Resurrectionem Domini nostri Jesu Christi audiens, quæ Venetiis in die Ascensionis ejus in ecclesia S. Marci Evangelistæ indulgentia a poena et a culpa a summo Pontifice (Alexandro III) collata fuisset, et a successoribus confirmata, visitare illam desiderabat. Et sic multoties hoc in corde suo proponebat, ac totis viribus adimplere cupiebat et de sua substantia, quam sibi Dominus contulerat, pro necessariis præparabat. Una denique nocte, antequam iter arriperet, finitis orationibus, quas altissimo Deo offerre consueverat, capta est soporis somno, et, dum medio

Mulier Veronensis a B. Virgine.

ACCURRERE  
J. B.

silentio quiescerent omnia, et nox sui cursus perageret iter; apparuit beata Virgo, Mater Dei Maria, multitudine angelorum sociata, sicque alloquens ait : o mulier, quid agis? Quid mente tractasti? Perpendi enim, te velle pro indulgentiis alibi transmeare. Sed surge velocius, et perge ad urbem, quæ vocatur Padua, in ecclesia S. Justinæ : ibi per te Dominus Jesus Christus ostensus est gloriam suam fidelibus suis, et veram indulgentiam ibi adipisceris.

Martyrum  
reliquias

53 Mulier, hæc audiens, obstupuit, putans phantasma esse, et dixit : Quænam es tu, quæ et modo ista facis? Nondum enim cognoverat, quod beata Maria esset. Respondit ei Virgo gloriosa, dicens : Ego sum Mater Jesu Christi; nihil in me dubites, filia, sed, quæ dixero, constanter adimpleas. Mulier dixit : Loquere, Domina mea dulcissima, quia serva tua audit. Ait ei beata Maria : Est quidem in eadem ecclesia circulus quidam ante chorum, in medio ecclesiæ situatus, opere musello constructus, sub quo multa corpora Sanctorum requiescunt, qui ob Christi fidem coronam martyrii accipere meruerunt; ob quorum merita et reverentiam maximam indulgentiam ibidem consequeris tu, et omnes, qui devoto et corde contrito concurrerint. Unde scias, quod altissimo Deo placet, qui \* ob reverentiam et memoriam Sanctorum ipsorum, qui laverunt stolas suas in Sanguine Agni et dealbaverunt eas, dies natalitius eorum solemniter celebretur, et eorum memoria usque in seculum habeatur. Unde surge velocius, et ne moreris, fac, quæ tibi dico, ut gratia Dei semper tecum sit : et, hæc dicens, subtraxit se ab oculis ejus.

in S. Justinæ  
templo occul-  
tari

54 Mulier vero excitata a somno, mane expurgata, cepit cogitare et mente tractare de visione ista, qualiter sibi apparuerat beata Maria, et sic conferendo in corde suo apud semetipsam multum obstupuit, et dicebat : Qualisnam ego sum, ut Virgo Maria, Mater Domini mei, alloqui mihi dignetur? Non enim meis meritis, sed sui gratia et propter revelationem istorum Sanctorum. Ecce, quantam gratiam meruit hæc devota mulier, \* adhuc in hoc misero carnis ergastulo per tantam ac talem nunciatricem hac revelatione consolari, non nisi quia Domino quotidie sedulum exhibebat officium, et in eo totaliter spem suam ponebat, bonis operibus adornatam, juxta illud psalmigraphi Vatis : « Spera in Domino, et fac bonitatem, » quia sunt nonnulli, qui vane sperant in Domino, secundum opera bonitatis minime faciunt. Hæc autem venerabilis mulier non solum sperabat, sed et bonitatem faciebat, cum jejuniis, vigiliis et orationibus, et aliis præclaris virtutibus assidue insistebat. Ideo in spe sua invenit, quod quæsit : adepta fuit, quod desiderabat, quia perseveravit pulsans, tenens lampadem ardentem in manibus suis.

edocetur; quæ  
Patavium  
veniens

55 Stante autem illa in domo sua sic quiete, iterum per visum apparuit ei beata Virgo Maria simili specie, qua prius apparuerat, monens eam, ut, quod sibi revelaverat, devoto adimpleret. Surgensque mane de stratu suo, recordabatur de visione, præparansque sibi necessaria et commendans se Domino, ac invocans Dei Genitricem, ut sibi semper adesse dignaretur (Quid plura?) in pace iter arripuit. Appropinquans autem Paduæ civitati, priusquam intraret, vexillo præcelsæ Crucis se muniens Domino se

otis visceribus commendavit; erat enim feria secunda proxima ante Ascensionem Domini nostri Jesu Christi. Intrans vero civitatem, afflata Spiritu sancto, pro nimio gaudio admirabilis visionis, protinus increpando in fervore spiritus, magnis incepit clamare vocibus et dicere : O filii mei, laudate Dominum Jesum Christum, quia dignatus est plebem suam hodie in hac civitate visitare; surgite, surgite, dimitte res manuales, et ecclesiastica exerceate. Surgite, et ecclesiam sanctæ Justinæ sanctificate. Venite et videte opera Dei, quia mirabilia sunt. Ibi vere veniam peccatorum vestrorum corde contrito et humiliato consequemini. Levate capita vestra, ecce, appropinquavit in vos regnum Dei. Et hæc dicens, sciscitabatur, ubi esset ecclesia S. Justinæ? Multi enim hoc audientes, mente insanam eam deridebant, et tamquam fatuam suis colloquijs proponebant. Pueri vero, exemplo majorum ducti, eam infestantes, mente captam ipsam astruebant.

56 Alii, quibus mens sanior inerat, asserebant, forte eam Deus inspiravit; videamus, quæ dicit, et, si vera sint, credamus ei. Et sic dicentes, alios increpabant, ut tacerent, et sequebantur eam, ut viderent finem rei. Venerabilis autem mulier, tamquam vas Spiritus sancti, nihil horum curabat, ac si non audisset, et non cessabat eos increpare, ut hanc diem sanctificarent et ab operibus manuum cessarent, et ad ecclesiam properarent. Docta itaque, ubi sita foret ecclesia, festinanter properabat, acsi ad cælestia gaudia invitata graderetur. Ut autem vidit ecclesiam, immenso repleta gaudio, medio viæ genu flexo, cepit Deum benedicere, et dicebat : Benedictus es Deus patrum nostrorum in donis tuis, qui ita glorificas servos tuos, confirma me, et ope \* exercere digneris, quod meis auribus revelasti; exaudi me, bone Jesu, dominator vitæ meæ, qui vivis et regnas benedictus in secula. His dictis, surrexit et ecclesiam petiit; mox, ut intravit, visitavit sancta altaria, prospiciens per ecclesiam, si signum videret, quod sibi Dominus in visu demonstraverat. Tandem deveniens ante chorum, signum vidit, quod sibi fuerat demonstratum, et, ut de hoc certa foret, emit duodecim candelas a quodam, qui in ecclesia illo \* tunc vendere consueverat sustentationis causa, sedens ad alveum aquæ benedictæ, qui aspergebat venientes ad ecclesiam, petens eleemosynam.

reliquiarum  
locum indi-  
cat,  
E

\* opere

\* an illas?

F

mulieri fidem  
facientibus  
miraculis :

57 Quas (candelas) ut accepit (mulier) circumcirca ipsum circulum eas extinctas afflavit, et sic oravit, astantibus omnibus, ad Dominum, flexis genibus in medio circuli ante Crucifixum dicens : Domine Jesu Christe, rex æternæ gloriæ, supplico immensæ misericordiæ tuæ, ut, si vera sint ea, quæ mihi in visu per gloriosam Genitricem tuam Virginem Mariam benignissime ostendisti, omnes istæ candelæ simul in instanti accendantur. Vix sermone impleto, omnes illæ candelæ mox accensæ fuerunt. Sicut flos de arbore producit, sic lumen ex eis ortum fuit, et omnes campanæ, quæ erant in ecclesia, Dei nutu per se sonum dabant, ac si per alios pulsarentur. Monachi vero hoc audientes, et maxime, qui curam ecclesiæ habebant, concurrerunt, ut hoc spectaculum viderent. Audiebant quidem sonum, sed neminem pulsantem videbant. Unde non parum admirabantur. Et tandiu per se pulsaverunt, quamdiu illæ candelæ

A delæ combustæ fuerunt. Multitudo autem hæc signa videntes, laudaverunt Deum dicentes: Quia Deus visitavit plebem suam. Etiam non pauci, variis oppressi infirmitatibus, pristina restituti sanitati, congratulantes ad propria redierunt.

*hinc rei gestæ dies festus,* 58 In tantum hoc miraculum, Deo annuente, placuit omni populo, et tanta devotio in eis crevit, ut hæc dies pro solemnibus festo haberetur usque in hodiernum diem. Invalescente autem hujusmodi fama, audientes vicini villarum et castrorum, necnon et civitatum adjacentium devote ducti, catervatim concurrerant, et excubias noctis quamplurimi diligenter observabant, et quam pluries eos, multitudine auctos, vix ecclesia poterat\*. Venerabilis autem mulier, his peractis, non post multum temporis fiducialiter agens in nomine Domini, quievit in pace, et a viris Catholicis devote humana fuit, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est laus, honor et gloria cum Patre et Spiritu Sancto in secula seculorum. Amen. *His addit Cavacius citatus num. 51.* Hujus revelationis annua solemnitas agitur die II ante festum Ascensionis,

\* *supple: capere*

B quam sua ætate appellatam, festam diem stultæ mulieris, scribit Ungarellus. Nunc sola monachorum pietate agitur, ceterum apud cives pene ignota. Prodit idem auctor, ab episcopo Patavino sacrum puteum (cujus signum erat circulus, de quo supra) ne pedibus accedentium protereretur, obductum fuisse zophoro marmoreo egregii operis, et adjectam inscriptionem: « Hic requiescunt ossa innumerabilium sanctorum Martyrum. » Zophorus exstat, inscriptio deperit.

*et locus a fidelibus in veneratione haberi cepit.*

59 Monachi postea locum clathris ferreis circumdant; puteum tamen fodere vel aperire, neque ea ætas, neque posterior ausa est. Sed Majores nostri lustrantes proxima loca antiquissimum inibi cæmeterium reperiunt, in quo sepulcra, cuniculorum instar, visuntur, et in his ossa martyrum, ex quibus multa super os putei congegissimus in solatium, et ad excitandam pietatem orantibus. Descensus eo satis profundus est, et locus perpetuo madens. Olet tamen multam sanctitatem, ut nullus eo descendens erga Sanctos Dei devotior non ascendat.

C Ex his ante aliquot annos Serenissimus Bavarie dux Maximilianus, dum Roma in patriam rediret, reliquias postulavit, accepitque. De beata (*rectene Beatam vocet, ipse viderit*) Jacoba nihil hactenus comperi, præter pauca apud Scardeonium, qui eam Patavii sancto fine discessisse atque in templo nostro tumulum accepisse scribit. *Atque ita quidem se habet horum Martyrum inventionis historia, etsi singulorum, quibus ornatur, adjunctorum vadem ne præbere non velim; sed quoniam, separatimne, an simul cum S. Justina, aut qua ætate martyrium subierint, non liquet, illos S. Justinæ socios dare, neque hoc loci, neque in Commentarii hujus titulo ausi fuimus. Ad S. Justinam, unde digressio facta, redeamus.*

### § III. Templum S. Justinæ conditum ab Opilione: quo is tempore floruerit.

AUCTORE  
J. B.

Comment. hujus § 1 num. 14 mentio facta est Templi S. Justinæ nomini in Campo olim Martio juxta Patavium excitati: id si a S. Prodocimo, ut hujus quidem biographus scribit, consecratum est, sanctæ Virginis cultum mox ab illius martyrio vel certe ab illo non admodum diu initium cepisse, necesse est: at ne de sæculo quidem, quo sanguinem Christo S. Justina litavit, ex dictis constat; ac proin de tempore, quo templum illud conditum fuit, multo minus. Scriptor Vitæ S. Prodocimi, qui S. Justinam Maximiani imperatoris jussu trucidatam censuit, templum, de quo loquimur, sub Constantino Magno, reddita Ecclesiæ, pace, exstructum ait, idque ad opinionem suam sat congruenter; quod vero præterea ait, consecratum fuisse a S. Prodocimo, qui anno Claudii imperatoris quarto, seu æræ Christianæ vulgaris anno secundum Labbeum quadragesimo quarto Patavium venerit (nisi id recentioris additamentum sit) per se liquet, verum esse non posse. In hujus itaque sententia vel templi S. Justinæ consecratio, sanctæ Virginis educatio, ac parentum illius ad fidem conversio S. Prodocimo erit abroganda; vel hujus Patavium adventus ad sæculum saltem tertium differendus. Ex his, qui S. Justinam sub Nerone, vel sæculo Christi primo aut secundo passam credunt, alii templum eidem excitatum fuisse iisdem sæculis volunt; alii vero contra, quod et ii faciunt, qui sub Maximiano occisam volunt, longe serius id contigisse contendunt.

Templi  
S. Justinæ,

E

41 Quid senserint ea de re sæculo XVI monachi S. Justinæ, monumentum prodit, in parietibus summi templi S. Justinæ, ut scribit Sertorius Ursatus de Monumentis Patavinis lib. 1, sect. 1, pag. 14, ad aræ Majoris dexteram ipsi in hanc formam erectum: Memoriae clarissimi viri Opilionis Piccauri, nobilissimi Patavini, Patris patriæ, patritiique Romani, qui cum, imperatore Hadriano, circa annum Christi cxxxvii divino afflatu vetus, quod erat Concordiæ, templum Divæ Justinæ Martyri consecrasset, amplissimo hoc a fundamentis addito ac plurimis opibus ditato monasterio, in augustissima cella Divæ Mariæ Virgini dicata prope beatum Prodocimum voluit sepeliri, monaci congregationis Cassinensis memores posuere MDLXI. Verum non unum hic peccatum admittitur: præterquam enim, quod Opilio, nec familia Piccaurus, nec patria Patavinus verosimilius fuerit, nec Adriano imperante vixerit, nec denique monasterium S. Justinæ templo, quod infra fusius discutietur, primitus fuerit additum annus conditi S. Justinæ templi in monumento assertus ea tantum nititur opinione, seu traditione, ex qua S. Justina sæculo Christi primo vel secundo martyrium passa creditur; sed, ut diximus supra, prorsus incerta, nec satis constanti, ut tum e biographis S. Prodocimi et S. Justinæ, tum ex tabula lapidea efficitur, quam in templo S. Justinæ sua memoria existisse, Scardeonius scribit lib. II, classe 6, verbis num. 29 transcriptis, signatum: Cum enim secundum illos S. Justina sæculo tertio ad finem vergente, aut sequenti initio, seu sub imperatore Maximiano fuerit affecta

cujus epocha ipsi S. Justinæ monachis haud explorata fuit.

F



AUCTORE  
J. B.

offecta martyrio; Hadrianus vero sæculo Christi secundo floruerit, fieri haud potuit secundum eodem, ut illi Opilio templum sub Hadriano dicendum curavit.

conditor Opilio quidam fertur fuisse

42 Priusquam vero aliorum de tempore conditi S. Justinæ templi sententias referam, monumentum lapideum e veteris S. Justinæ templi ruderibus erutum, quo fere recentiorum sententia nititur, in medium proferam ex Cavacio lib. 1 de Canobio S. Justinæ Patavino ad annum 421, ubi illud exhibet, ac describit his verbis: Sed a diptychis episcoporum nos revocat pietas Opilionis, viri consularis, qui ea tempestate Divæ Justinæ templum excitavit. Hujus apud nos memoria est ex lapide, antiquis notis sculpto, quem e ruderibus veteris templi effossum asservamus. Sic habet: a ✠ Opilio. v. c. et » inl. pp. adque. patritius. hanc. basilicam. » vel. oratorium. in. honore. sanctæ Justinæ. » martyris. a. fundamentis. coeptam. Deo. Ju- » vante. perfecit. ✠ » Triangularis est lapis, et in ostio marmoreo super epistilio tympanum exhibebat. Ipsa autem inscriptio medio circulo, qui lauream demonstrat, continetur. Extra circum utrinque crux est, a cuius cornu minores cruces et Græci characteres pendent A et Q. Ea, veluti pietatem, rude quoque sæculum indicant, quo litterarum cultus et architecturæ rationes desiderant. Refertur eadem inscriptio a Scardeonio, sed quibusdam male mutatis. Lapidis vero inscriptionisque imaginem, Cavacianæ descriptioni omnino similem, exhibet Ursatus supra laudatus pag. 12. Scardeonius lib. III classe 15 pro particula et habet pe; pro adque habet atque. Vocem vero patritius scripsit patricius. Congruunt verba cetera.

ex inscriptione non satis antiqua.

43 Dubium quidem non est, quin lapis ille, templi S. Justinæ fabricæ, ut conditoris aut instauratoris memoriam posteris conservaret, jam olim alicubi fuerit commissus; verum quo tempore? Cum rude sæculum indicet illius structura, fatente Cavacio, et, teste Ursato, ab antiqua elegantia Romana deflectat, vel hinc satis appareat, inscriptionem illi incisam ad sæculum Christi primum aut secundum aut Hadriani imperatoris ætatem referri non posse. Addit Ursatus, eadem ætate nondum adeo Latini sermonis puritatem descivisse, ut adque illustris pro atque illustris scriberetur. Præter illustris seu illustris viri titulum, etiam viri clarissimi vel consularis (utrumque enim per litteras V. C. designare inscriptionis auctor potuit) et patricii titulo insignitur: hi autem Constantini Magni temporibus primum adhiberi cepti sunt, ut Ursatus in Historia Patavina pag. 158 ait: id verum est, Constantinum Magnum novum quoddam patriciorum genus excogitasse, si Zosimo credimus, lib. II ita scribenti: Optato quoque cum hoc interlici jussu, qui patricii dignitatem adeptus a Constantino fuerat. Eam honoris titulum Constantinus primus excogitaverat, lataque lege sanxerat, ut qui hunc consecuti fuissent, supra ipsos præfectos prætoriorum sessarent. A Constantino itaque vox patricius nomen novæ dignitatis et præfecturæ fuit; sed usurpatum jam diu ante, imo vel a Romuli tempore; ut apud Pitiscum in Lexico antiquitatum legere est. Series rerum ab Augusto gestarum apud Gruterum pag. 250, sic habet: Patriciorum numerum auxi: Inscriptio 1 pag. 405 Cn. Domitio, qui Vespasiani et Titi tempore fuit, ut alias apud eundem Gruterum

subinde occurrentes taceam, adlecto inter patricios dedicata est. Similiter et V. C. seu viri clarissimi titulus ante Constantinum adhibitus fuit: ita Cælius Urbanus anni 254 consul vir clarissimus dicitur in inscriptione, quam patri posuit: ita hæc habet apud Relandum in Fastis consularibus pag. 172: C. Cælio Saturnino V. C. præfecto prætorio C. Cælius Urbanus V. C. consularis patri posuit. Validius itaque Adriani temporibus positam Opilioni inscriptionem negat Ursatus ob adscriptum illi illustri titulum, cujus, etsi non adeo sit explorata origo, serius tamen natum contentur auctores. Vide Pancirolium in Notitia imperii Orientalis cap. 2, Bulengerum de imperio Romano lib. II cap. 21, Pitiscum ad illam vocem.

44 Petrus Equilinus lib. X cap. 55, S. Justinæ templum excitatum fuisse, scripsit, ad Opilio patricio et a S. Prodocimo consecratum; unde fit, ut ex ejus sententia sæculo Christi primo vel secundo jam inde illud exstiterit: verba illius sunt: Ad susonem autem beati episcopi (Prodocimi) patricius quidam, nomine Opilius, Christianus, ecclesiam in honorem sanctæ Justinæ virginis supra corpus illius erexit, et juxta eam oratorium beatæ Virginis composuit: quam ecclesiam simul cum oratorio Prodocimus episcopus consecravit. At Constantini Magni tempore excitata fuisse videtur ex mente auctoris Vitæ S. Prodocimi, in qua sic ille scribit: Proximo vero tempore, impiissimo Maximiano imperatore mortuo, in hac civitate Patavio quidam patricius nomine Opilius, vir Christianissimus, divina admonitione admonitus, construxit ecclesiam in honore S. Justinæ, et prope eam lapidibus pretiosis fecit oratorium in honorem sanctæ Mariæ: quam ecclesiam simul cum oratorio S. Prodocimus consecravit: quamquam cum his verbis componi nequeat, quod ad calcem Vitæ S. Prodocimi legitur, videlicet obiisse sanctum episcopum sub Antonino Pio, ut supra observatum est. Verum tempus, quo passa est S. Justinæ, ex ante dictis incertum est: assertiones vero istæ nullo legitimo antiquitatis suffragio nituntur, neque earum auctores ii sunt, ut iis fides habeatur. Opilius quidam Antonini Pii ætate vixisse videtur secundum inscriptionem quamdam Solodurensis, a Grutero pag. 87 num. 4 relata et his verbis conceptam: Deæ Eponæ M. Opilius Restio miles leg. XII Antonianæ P. P. F. immunis cos. cura. Salens. vico Salodor. DD. XXII Kal. Septembr. D. N. Antonio aug. II et Sacerdote II cos. V. S. L. M. Sed prima illius verba hominem hunc ethnicum fuisse demonstrant; nec tituli S. Justinæ templi conditori congruunt.

45 Variæ recentiores, sed minore successu, quam conatu, se torquent, ut, quis hic Opilio seu Opilius, qui S. Justinæ templi conditor audit, fuerit, quare vixerit ætate, dicent. Opilionis viri clarissimi et anno 455 in Occidente Consulibus, Vincemali in Oriente consulis collegæ, nomen in Fastis consularibus, in Actis concilii Andegavensis apud Labbe tom. IV conciliorum col. 1020 et in litteris Leonis Magni apud Quesnellum tom. I a pag. 608 usque ad 659 celebratissimum est; hunc Cavacius non modo ecclesiæ S. Justinæ conditorem, sed et Actii, celeberrimi sub Valentiniano belli ducis, qui Attilam, Hunnorum regem, in campis Catalaunicis fudit, et Valentiniani seu jussu seu manu occisus est, filium facit: Actii quidem filium ex Cassiodoro lib. I, variarum

incerta tradunt Petrus Equilinus et scriptor Vitæ S. Prodocimi de Opilionis ætate.

E

F

quem Cavacius, correcte Cassiodori textu, anni 455 consullem facit



A *variarum Epistolarum Ep. 4, ubi de Cassiodori ipsius, non avo, ut Cavacius ait, sed patre ita scribit Theodorius: Pater hujus candidati (Cassiodori) sub Valentiniano principe gessit tribuni et notarii laudabiliter dignitatem... sed, ut se pares animi solent eligere\*, patricio Aetio pro juvanda republica magna fuit charitate sociatus, quem tunc rerum dominus (Valentinianus) propter sapientiam sui et gloriosos in republica labores in omni consilii parte sequebatur. Ad Attilam igitur armorum potentem cum supradicti filio Carpilione legationis est officio non irritate destinatus. Hæc Cassiodori, seu, si mavis, Theodorici verba sunt, a Gareto editi: sed pro Carpilione legendum esse Opilione, Cavacius censet, ea solum de causa, quod Carpilionis apud scriptores nulla sit mentio, nulla autem Opilionis.*

\* alias diligere

ex dicta inscriptione et charta monasterii S. Justinæ:

46 At Opilione, anni 455 consulem, S. Justinæ templum condidisse, perhibet, quod omnia, quæ de Opilione monumentum num. 42 allatum habet, Opilioni anno 455 consuli apprime congruant. Opilione, inquit, spectatum virum et multis magistratibus antea perfunctum, docent tituli, qui eidem in superiori lapide inscribuntur. Viri clarissimi titulus his, qui consulatum adepti sunt, frequens legitur apud chronologos. Eundem Opilioni tribuit S. Leo Magnus in Epistolis, quas dedit sub ipsius consulatu. Notantur etiam Acta concilii Andegavensis consulatu Opilionis. V. C. Illustrem eundem habeo ex duobus Rescriptis augustorum (Theodosii Nov. 55 et Valentiniani Nov. 14) quibus illustrem ipsius dignitatem appellant, dum esset magister officiorum. Licet autem quærenti, quo tempore prætorii præfecturam (nam et hanc dignitatem lapis exprimit) gesserit, nihil obvenerit, quod animum expleat, tamen dum consulem lego, præfecturam etiam prætorii, atque digniora, si qua deferebantur, officia eidem argumentor. Patritia dignitas, quam Zeno augustus prælatam voluit ceteris dignitatibus, his accedebat, qui consulatu functi essent vel prætoriam, Illiricam, seu Urbanam præfecturam administrassent. Itaque dum lapis Opilionem patritium demonstrat, eundem præfectum prætorio credas. Et vero, ut pluribus verbis Cavacius explicat, amplissima Opilioni munera ob paternam in Romanum imperium merita debebantur. His denique accedunt veteres archivi S. Justinæ monasterii tabulæ, anno 15 Valentiniani datæ, quibus Opilio SS. Justinæ et Prosdocii ecclesiæ aliquot, in Bononiensi maxime territorio sita, latifundia legat.

at in Cassiodorum

47 Speciem quidem verisimilitudinis habet Cavaciana opinio, sed certi nihil, cui acquiescas. Apud Cassiodorum pro Carpilione legendum esse Opilione, jam ante Cavacium Onuphrius Panvinius his verbis indicat in Commentario ad lib. III Fastorum: Opilione vero et Aetium Junio, Aetii ter consulis filios, ex Cassiodoro Occidentales consules digessi. Cassiodorus quidem in Chronico, Opilione consulem memorat; at cujus hic filius fuerit, nec hic nec alibi edicit: sua igitur Panvinius auctoritate Aetii, Attilæ in campis Catalaunicis victoris, filium fuisse, decreverit. Fallitur Panvinius Aetium, anni 434 consulem, Aetii, Attilæ adversarii et a Valentiniano eodem anno occisi, filium faciens: fuit enim Aetius anni 434 consul, non Occidentalis, sed Orientalis, idemque, qui in Chronico Alexan-

drino ad consulatum Monaxii et Philintæ anno 449 urbis Constantinopolitanæ præfectus legitur, præfectus prætorii sub Theodosio Juniore in lege cod. Theodosiani de imaginibus imperialibus, et concilio Chalcedonensi anno 451 una cum Marciano Augusto interfuisse apud Labbeum tom. IV Conciliorum col. 375, uti observat in Criticis Pagius: ut adeo falli facile potuerit etiam, dum Opilione anni 455 in Occidente consulem, Aetii utriusque militiæ magistri, Attilæque victoris, filium dixit.

AUCTORE J. B.

48 Quod vero Cavacius ait, non fieri apud scriptores Carpilionis mentionem, contra Opilionis nullam; etsi verum sit hoc, illud tamen liberalius, quam verius ait: Carpilionis enim, Aetii, si non filii, certe socii, meminit Gregorius Turonensis lib. II Historiæ Francorum num. seu cap. 8 ex Renato Frigerido: utriusque auctoris verba accipe: Igitur his ita digestis (Gregorium audis) ac per ordinem expletis, quid de Aetio supra memorato (Attilæ expugnatore) Renati Frigeridi narrat Historia, tacere nefas putavi. Nam cum in duodecimo Historiarum libro referat, post divi Honorii excessum, Valentinianum puerulum, uno tantum lustro peracto, a consobriano Theodosio imperatorem fuisse creatum, et apud urbem Romam tyrannum Johannem in imperium surrexisse, legatosque ejus a casare dicat fuisse despectos, adjecit (nimirum Renatus Frigeridus) Dum hæc ita gererentur, legati ad tyrannum reversi sunt, mandata atrociora portantes: quibus permotus Johannes Aetium, id temporis curam palatii gerentem, cum ingenti auri pondere ad Chunos (sive Hunnos) transmittit, notos sibi obsidiatus tempore et familiari amicitia devinctos, cum mandatis hujusmodi: cum primum partes adversæ Italian ingressæ forent, ipsi a tergo adorirentur, se a fronte venturum.

mendum irrepisse

E

49 Et quia de hoc viro (ita Frigeridus pergit) consequenter plura memoranda sunt, ejus genus moresque ordiri placet. Gaudentius pater, Scythiæ provinciæ primoris loci, a domesticatu exorsus militiam, usque ad magisterii equitum culmen proventus est. Mater Itala (alias Itela) nobilis ac locuples femina. Aetius filius (non Aetii, cujus hic genus et mores Frigeridus describit, sed Gaudentii, contra ac Pagius scribit) a puero prætorianus, tribus annis Alarici obses, dehinc Chunorum: post hæc Carpilionis gener ex comite domesticorum, et Johannis curam palatii gerere cepit. Medii corporis, virilis habitudinis decenter formatus, quo neque infirmitudini esset, neque oneri, animo alacer, membris vegetus, eques promptissimus, sagittarum jactu peritus, conto impiger, bellis aptissimus, pacis artibus celebris, nullius avaritiæ, minimæ cupiditatis, bonis animi præditus, nec impulsoribus quidem pravis ab instituto suo devians, injuriarum patientissimus, laboris adpetens, impavidus periculorum, famis sitisque tolerantissimus. Cui ab ineunte ætate prædictum liquet, quantæ potentiae fati destinaretur, temporibus suis locisque celebrandus.

non videtur.

F

50 Hæc supradictus historiographus (inquit quo pro Opilione positum sit Carpilione) Adultus autem Valentinianus imperator, metuens, ne se per tyrannidem Aetius opprimeret, eum, nullis causis exstantibus, interemit. Libuit hæc ex prædictis auctoribus fuso huc transcribere,

AUCTORE  
I. B.

scribere, tum ut Pagius, tum ut Cavacius refellatur: Pagius quidem, dum ad annum 434 num. 2 verba illa Frigeridi Aetius filius, velut de Aetii, a Valentiniano occisi, filio dicta interpretatur, quæ de ipso Aetio intelligenda esse, necum opinabitur, quisquis laudatorum mox scriptorum verba perpenderit. De Carpilione vero, Aetii secundum Cassiodorum filio, si vera Gregorius Turonensis, laudatusque ab eo Frigeridus scribunt, statuet, eum ex Carpilionis, de quo Gregorius, filia anonyma forte, Aetio, a Valentiniano occiso, nupta natum, et Carpilionem ex avi materni nomine dictum fuisse. Utut sese res habeat, equidem liquet, jam inde saltem a Gregorii Turonensis tempore Carpilionis, Aetii seu filii seu soceri, mentionem factam fuisse apud scriptores, atque adeo falli Cavacium, dum illum antiquis scriptoribus omnino ignotum pronuntiat; vehementisque hinc oritur suspicio, nihil in Cassiodoro, Carpilionem memorante, mendii latere. Imo Carpilionis, Aetii filii, diserta mentio fit in Excerptis ex Historia Gothica Prisci Rhetoris, qui sub Theodosio Juniore vixit, inter Historiarum Byzantinæ scriptores, anno 1648 Parisiis impressos, pag. 35 his verbis: Hi ubi percurrerunt, qui desiderabantur, Attilam Bigilam una cum Esla sine mora proficisci jussit, Romanis denuntiavit, ut omnes transfugas Scythicæ nationis, quotquot in eorum potestate essent, redderent, a tempore Carpilionis filii Aetii, Romanorum Occidentalium ducis, qui obses apud eum fuerat.

hunc Pagius non sat fundate una cum Papa Leone Attilam adisse, ait:

31 Ceterum nescio, quid sibi supra laudatus Pagius velit, dum hisce Cassiodori in Chronico ad consulatum Herculani et Sporatii verbis: His Coss. Attila, redintegratis viribus, Aquileiam magna vi dimicans introivit, cum quo a Valentiniano imperatore Papa Leo directus pacem fecit, post particulas cum quo de suo inserit: scilicet Carpilione. Cassiodori enim verba nihil aliud innuunt, quam S. Leonem Attilæ auctorem fuisse, ut, relicta Italia, ad sua rediret: quod si Leonis ad Attilam euntis comites quærantur, dederat illos Pagius ipse ad annum 432 num. 3 ex Prosperi Chronico, Abienum scilicet, virum consularem, et Trigetium virum præfectorium: ut mirum sit, eundem Pagium ad annum 434 num. 2 Leoni comites tribuisse Cassiodori patrem, et Carpilionem, Aetii filium. At inquit cum Pagio ex laudata Cassiodori Epistola liquet, Cassiodori patrem et Carpilionem Aetii filium ad Attilam, cum is Romæ immineret, legatione functos pacis nuntium retulisse. Sic habet: Cassiodori pater et Carpilio pacem, seu veram seu simulatam, Attilæ extorserunt; at id factum, cum, capta Aquileia, Roma imminerebat, nec legitur in citata apud Cassiodorum epistola, nec Pagius probat: fieri vero id potuisse, cum sub annum 430 Gallias invaderet, Tillemontius censet tom. VI Historiarum imperatorum pag. 147. Sed ad Opilionem, templi S. Justinæ conditorem, redeamus, ne a proposito longius aberremus.

charta vero,

32 Haud parum ponderis sententiæ Cavacianæ accederet, si, Valentiniano III imperatore, Opilio, qui anno 435 in Occidente consulatum gessit, S. Justinæ templo seu potius manasterio latifundia aliquot in territorio Bononiensi sita legarit, quod modo discutiendum. Contigisse id, vult Cavacius anno Valentiniani 13, qui fuit æræ Christianæ 459; unde S. Justinæ templum paulo ante conditum fuisse, merito fortasse contenderet, si donatio illa legitimis posset testimoniis monu-

mentisque evinci: at quæ eam in rem monumenta Cavacius adducit, falsi suspicione non vacant. Erstare, ait, in archivio S. Justinæ monasterii veteres ea de re tabulas, ex autographo desumptas, in quibus inter latifundia cetera memorantur sequentia: Catinum, Litibanum, Vindemiolum, Casale Paulinum, et prope vicum Quingetula Columbianum, Granariolum et alia, sed jam olim ab aliis possessa, et antiquatis nominibus incompta. Cur Opilionis tabulas non protulit Cavacius, quo de illarum fide ferri iudicium posset? Quod si præstitisset, illum hic Justus Fontaninus, Ancyranus præsul, in præfatione Commentarii de S. Columba num. 5 exiguæ sinceritatis non accusasset. Verum, quod ipse non præstitit, post Angelum Calogieria, monachum Camaldulensem, qui illas anno 1750 typis vulgavit, præstitit Muratorius tom. III, Antiquitatum Italicarum medii ævi col. 53 et binis sequentibus, hanc chartæ illius notitiam præmittens: Heic autem agitur, inquit, de pergamenâ, perantiquis sane characteribus, ut videtur, ante multa sæcula signata, nihil tamen autographi præferente.

33 Integram Opilionis chartam Muratorius exhibet: sed illam partim tantum huc transcribere sufficet, ut quibus ex male coherentibus notis chronicis et stilo barbaro, qui per omnem illam chartam diffunditur, Opilioni, Romano patricio, et anni 435 consuli, perperam a Cavacio adscribi, facile intelligat. Accipe igitur Priores aliquot ejus lineas, e quibus de reliqua ejus serie iudicium feras. In nomine Domini nostri Jesu Christi. Imperante piissimo Augusto Constantino, a Deo coronato, pacifico, magno imperatore, anno quinto decimo, sub die mensis Junii, Indictione prima. Domino sancto et merito ac ter beatissimo, seu et venerabili monasterio sanctæ Justinæ, virginis et martyris, ubi corpus sanctæ Justinæ, et Sanctorum Prosdocimi, et multa corpora aliorum Sanctorum requiescunt, constructo foris urbe Pataviensi, ubi multas res a bonis hominibus delegata sunt. Ego quidem in Dei Omnipotentis nomine Opilio patricius Romanorum dono in predicto monasterio pro oblatione et illuminatione, seu pro eterna remuneratione anime mee et de quondam parentum meorum presens presentis salute: magni donacionem sanctarum Scripturarum nos ratio promovet, ea semper considerare atque disponere, quæ pro animabus ac meritis regni celestis retributione merear promereri. Credimus nos sine Evangelicæ lectionis promovendi subsequentibus lectionibus, et hoc seculo centuplum et in futuro vite eterne esse participes etc. E latifundis vero, in territorio Bononiensi sitis, et supra a Cavacio nominatim enumeratis, paulo post subduntur hæc: Casale, Vindemiolum, vicus Fraxinetus, Quingetula, Columbianum, Granariolum, ut de hac charta Cavacius procul dubio agere videatur.

34 Charta hæc neque legitima videtur, nec, ut talis esset, Cavacio quidquam prodesset: anno enim Christi 459 nullus exstitit imperator Constantinus, atque adeo illius nomine notari non potuit. Constantino quidem Valentinianum Cavacius subrogat, sed servato anno imperii ejus decimo quinto; quo non prima, ut charta habet, sed septima currebat Indictio. Præterea Opilio parentes suos jam tunc defunctos, cum donacionem suam fecit, verbis illis, quondam parentorum meorum

E  
quam Cavacius laudat.

F

nec illi prodesset, nec pro legitima

A meorum indicare videtur: at Actius, Opilionis secundum Cavacium pater, non nisi anno 454 e civis sublatus fuit. Porro neque legitima videtur: ægre enim Constantinum imperatorem reperias, cujus imperii annus decimus quintus una cum Indictione prima currebat. Justus Fontanius supra laudatus num. 4 datam ait anno 755 sub Constantino Copronymo: sed annus hujus 15, ducto initio a 51 Martii anno 720, quo imperator a patre suo, Leone Isaurico, coronatus est, incepit a die 31 Martii anni 754: esto, anno 755 Indictio prima cucurrerit. Dein, qui fit ut in charta solus notetur Constantinus filius; non Leo etiam, illius pater, qui nondum e civis excesserat? Qui fit, ut, si Patavi, quo se Opilionem recepisse, Fontanius conjicit, scripta sit, non sub Liutprando Langobardorum rege, qui tunc Patavium sua in potestate habebat, sed sub Constantino, in Oriente imperante, data dicatur? Chartam aliam in rem suam Fontanius laudat a Paulo I datam, et ob Hieronymo Rossi sub principium lib. v Historiæ Ravennatis relatum; sed hactenus mihi videre illam non licuit. Plura de Opilionis charta vide apud Muratorium, qui demum de illa sic pronuntiat: Hisce adde, scaterere nimis erroribus chartam, et carere loco, ubi scripta fuerit, aliaque ibi occurrere vitia, quæ in unum quidem apographi scriptorem rejicere possis, sed non desinant dubitationem injicere vestiti cujuspiam figmenti; ac præcipue quum non apographum, sed primitivam chartam appellandam illam, contendere alii possint.

videtur haberi posse.

B 33 Bacchinius, ut Muratorius refert, chartam prædictam cum anno Christi 755 componere conatus, tot difficultatibus se vidit implicatum, ut in aliam descenderit conjecturam, nimirum illam anno Christi 795 sub Constantino, Leonis Chazari et Irenes filio, fuisse exaratam. Fluebat tum quidem Indictio prima; sed annus Constantini, ex quo imperator a patre creatus est, quod anno 776 contigit, decimus octavus; ab obitu vero patris, anno 780 die 8 Septembris defuncti, annus decimus tertius duntaxat, nimirum mense Junio, quo charta illa data fuisse notatur. Sed et illud incommodi hæc patitur conjectura, quod sub Constantino, Occidentali imperatore, confecta dicatur; cum eo anno Italia non penes Constantinum, sed penes Carolum Magnum fuerit, qui Italiæ Pipinum filium præfecerat; de quo Annales Francorum apud Chesnium tom. II scriptorum Galliæ pag. 22 ad annum 784 hæc habent: Perrexit Carolus rex Romam, et baptizatus est ibi filius ejus, qui vocabatur ei Carlomannus, quem Adrianus Papa, mutato nomine, vocavit Pippinum et unxit in regem super Italiam. Mortuus est Pipinus Italiæ rex anno 810; Carolus Magnus anno 814: atque adeo, si anno 795 exarata fuisset prædicta charta, annum Caroli Magni, vel Pipini saltem in Italia regnantis, non Constantini, nomen verosimiliter prætulisset.



Octobris Tomus III.

#### § IV. Ursati et Fontanini de Opilione, S. Justinæ templi conditore, opinio refellitur.

AUCTORE J. B.

Geminum Sertorius Ursatus de rebus Patavinis Opus scripsit; alterum anno 1632 typis vulgatum, quod monumenta Patavina Latino; alterum anno 1678, quod rerum Patavinarum historiam Italico sermone complectitur: utroque quidem de Opilione, templi S. Justinæ conditore, disserit, sed in diversas sententias abiit. Opere priori pag. 15 Cavacio subscribens, S. Justinæ templum Opilionis, anni 455 consulis, pietati munificentiaque adscribit, et Opilionem Actii, inelyti ducis, filium facit, Cassiodorum eodem, quo Cavacius, modo interpretatus. Actium, inquit, V. C. patrem habuit, eodem teste (puta Cassiodoro) dummodo, ut caute observat accuratissimus Cavacius, pro Carpilione, quod mendosum, reponas Opilione. Tum, memoratis partim Cassiodori verbis num. 45 transcriptis, ad hunc modum pergit: Ubi minime mirum, si pro OPILIONE imperiti illorum temporum librarii CARPILIONE scripserint, vocum affinitate decepti. De Carpilione autem nec historiæ, nec illorum temporum fasti quidquam prodidere, at de Opilione plurima. Consulem enim eum cum Vincomalo fuisse anno Christi CDLII, (imo CDLIII, ut alibi ipse Ursatus scribit) et Marcellinus comes, et Cassiodorus et Panvinius unanimes testantur: imo Cassiodori verba sunt: «Opilio» et Vincomalus. His consulibus, Attila in sedibus suis moritur. » Quæ textum Epistolæ (Cassiodori, in qua legitur, Carpilio) hactenus corruptum satis indicant.

Ursati de Opilione.

E

37 Fateor: Opilionem, non Carpilionem, consulem cum Vincomalo Cassiodorus dixit in Chronico: sed hunc Occidentalem fuisse, aut Actii filium, quibus tandem verbis Cassiodorus indicavit? Verbis, inquit, num. 45 datis, si sinceræ lectioni reddantur: sed lateatne in illis mendum hic maxime quaeritur. Contra, quæ de Frigerido et Gregorio Turonensi et Prisco Rhetore disputata sunt supra, contrarium suadent. Urgebit Ursatus iterum: Quem Cassiodorus lib. I variarum Epistolarum, epist. 4 Carpilionem dixit, eundem lib. V Epist. 44 diserte Opilionem vocavit, sic scribens: Opilio fuit vir quidem abjectis temporibus, ad excubias tamen palatinas electus. Qui multo amplius crescere potuit, nisi fides sub avidissima remunerationis sterilitate jacuisset. Laudo Ursati in pervolvendo Cassiodoro diligentiam: sed affirmanti vel certe sibi summenti, utroque loco de eadem persona sermonem esse, assentiri non possum. Significat ea Epistola senatui Romano Theodoricus, Gothorum rex, se Cyprianum quemdam ad sacrarum largitionum comitivam everxisse; Cyprianum tum a privatis meritis, tum a generis splendore commendat: hunc autem a solo Cypriani patre Opilione his verbis repetit: Gloriatum etiam non extrema luce natalium. Nam pater huic, sicut meministis, Opilio fuit, vir quidem abjectis temporibus etc. Ex quibus intelligas, Opilionem, de quo Cassiodorus, jam tum, cum ista Theodoricus scripsit, in vicis non fuisse superstitem, nec ad altiorem

templi S. Justinæ conditore.

F

AUCTOR  
J. B.

honoris gradum, quem paulo infra mediocrem Theodoricus appellat, etsi majore splendore dignus esset, quam ad palatii excurias temporis infelicitate fuisse evertum. Dicine id de Opilione poterat, præfecturam prætorii, ut vult Ursatus, patriciatum Romanum, ac denique consulatum consecuto?

opinio refelli-  
tur,

58 Videamus modo, quid Ursatus in Patavina Historia, Italico sermone conscripta, in hanc rem afferat. Pag. 156 S. Justinæ templum conditum, perfectumque scribit circa annum 524 ab Opilione quidem, sed alio ab illo, qui anno 455 consulatum gessit: nec enim verosimile censet, hunc ad annum usque 524 vitam protraxisse, ac tanto senio gravem ecclesiis condendis aptum intentumque fuisse. Sane anno 524 Consulatum Fastis adscriptus legitur Opilio quidam, idem fortassis, de quo Athalaricus, Gothorum rex lib. viii apud Cassiodorum Epp. 16 et 17. Consulatum in Occidente illum fuisse, ex eo liquet, quod illum Theodatus Gothorum in Italia rex post Amalasantam carceri per se inclusum ad Justinianum imperatorem legationis munere fungi jussisset: nec enim aptius cuiquam applices Procopii verba lib. 1 de Bello Gothico cap. 4 ita scribentis: Clausam hic (in lacu Vulsino) Amalasantam Theodatus servari jussit, ac veritus, quod accidit, ne eo facto imperatorem offenderet, Liberium et Opilionem, senatores Romanos, aliosque nonnullos misit, omni ope deprecari jussos illius odium, affirmando, nihil mali Amalasantæ irrogasse Theodatum, quamvis ab ea prius acceptum pessime. Sed hunc S. Justinæ templum Patavii excitasse, mera Ursati conjectura est: mirum porro est, eundem scriptorem Opilionem anni 524 consulatum pro Actii sub annum 455 a Valentiniano occisi filio habuisse: si enim Ursato verosimile non est visum, Opilionem anni 455 consulatum ad annum usque 524 vitam protraxisse; cur non item vero parum simile credidit, Opilionem Actii, ut ait, filium, annis circiter 70 a morte patris consulari demum dignitati fuisse admotum?

uti et Justi  
Fontanini,  
qui Opilionem

C

59 Ut a Cavacio Ursatus in Historia Patavina, ita ab utroque Justus Fontaninus in Præfatione Commentarii in Vitam S. Columbæ, pag. 10 et seqq. de tempore, quo data est charta superius laudata, atque ejus auctore dissentit. De tempore, quo data fuit charta ex Fontanini sententia jam actum est supra. Si vero illum interrogas, quis fuerit Opilio in ea memoratus; fuit, et quidem procul dubio fuit Opilio (non is quidem, cujus Agnellus meminit apud Bacchinium in Vita S. Joannis Angelopti; hic enim sæculo viii seu anno 755 antiquior) sed alius quispiam e Ravennatum exarchorum numero tempore Constantini Copronymi, qui principum suorum iconomachorum jussa contemnens, ac salutis suæ satagens, Patavium secessit, ibique post dictam donationem S. Justinæ ecclesiam seu partim seu integre instauravit, sui que post mortem corporis esse voluit conservatricem. Quid ita? Ut paucis dicam, eo recidit illius ratiocinium: Chartæ ista subscriptio est: Ego Opilio gloriosus imperialis patricius Romanorum: fuit igitur illius auctor patricius Romanorum. Atqui patricius Romanorum titulus fuit Ravennatum exarchorum proprius: fuit igitur Opilio, chartæ auctor, exarchus Ravennas. Si vero Fontaninum præterea percuncteris, quem locum inter exarchos Ravennates Opilio tenuerit, respondet, locum medium illi deberi inter

Paulum, anno 726 interemptum, et Eutychem, D qui fuit ultimus exarchorum.

60 Non aliunde notus Fontanino est iste Opilio, patricius Romanorum, quem certo Ravennatum exarchum fuisse ait, quam ex charta Opilionis supra laudata, et insuper alia, de qua paulo infra. At Opilio in illa exarchum se non nominat; nec, ut ita se nominaret, id certum foret: non uno enim ex capite, ut supra dixi, fides chartæ in suspicionem vocari merito potest. Aliunde igitur Fontanino, exstitisse anno 755 Ravennæ exarchum, Opilionem nomine, Pauli successorem, Eutychem vero decessorem, priusquam dicto suo fidem certam a lectore exigeret, eicidium dare incumbere; quod, ut opinor, procul dubio, modo potuisset, præstare studuisset. Ut quid igitur Ravennatem exarchum omnibus incognitum hactenus obtrudit? Immo vero jam ante annum 755 Ravennatibus exarchum fuisse Eutychem, tum aliunde, tum ex inscriptione, quam adfert Rubens lib. iv Historiæ Ravennatis, liquet: hæc ita habet: Governante Italiam Domino Eutychio excell. patritio et exarcho in Kal. Feb. Ind. xiv; qua mense Februario currebat annus Christi 751. Neque Opilioni anno 755 Patricium Romanum, si hic titulus Ravennatibus exarchis proprius fuisset, se scribere licuisset, exarchatu fungente Eutychio. Quamquam nec verum videatur, eo titulo decoratos fuisse Ravennates exarchos. Hunc enim Eutychio non tribuit inscriptio mox relata, non Anastasius in Vita Pontificum, qui de Ravennatibus Exarchis agens, de Romano in Gregorio; de Eleuthero in Deusdedit; de Isacio in Severino; de Theodoro in Theodoro; de Olympio in Martino; de Joanne in Conone et Sergio, de Theophylacto in Joanne VI; de Joanne Riscepo et Scholastico in Constantino; de Paulo et Eutychio in Gregorio II; item de Eutychio in Gregorio III et Zacharia; patricios illos quidem, sed sine hoc addito: Romanorum, appellat, licet hunc titulum integre diserteque plus vice simplici repetat, ubi de Carolo Magno.

Ravennatem  
sub annum  
755 exarchum  
fuisse.

E

61 Non Paulus diaconus tom. I Scriptorum rerum Italicarum, licet lib. ii cap. 29 et seq. Longini; lib. iii cap. 18 et 26, et lib. iv cap. 26, 29 et 35 Smaragdi; lib. iii cap. 26 et lib. iv cap. 8 et 15 Romani; lib. iv cap. 15 et 26 Gallinici; lib. v cap. 33 Eleutherii; lib. vi cap. 34 Scholastici, et Pauli denique cap. 49 ejusdem libri, qui omnes Ravennates exarchi fuerunt, meminerit. Scio, Paulo lib. iv cap. 40 Gregorium quemdam Patricium Romanorum fuisse dictum, sed is non Ravennas exarchus fuit, sed Opitergino præsidio Græci imperatoris nomine præerat. Vivebant enim adhuc, cum Gregorius iste Opitergii versabatur, ut ex Paulo cap. 42 et 43 liquet, Agilulfus Langobardorum rex, et Heraclius imperator ex Pauli cap. 51, cujus tempore Eleutherius Ravennatem exarchatum tenebat, ut ex Anastasio in Deusdedit patet. Gregorius quidem aliquis, ex Privilegio Constantis imperatoris apud Bacchinium parte ii pag. 283, Ravennas fuit exarchus, sed multo serius sub annum 666 et sub Constante, quem cum priore Gregorio, qui sub annum 615 Opitergii morabatur, præsul Anagranus post Hadrianum Valesium male confudit, ut Berettus docet in Tabula chronographica Italiæ mediæ ævi num. 80, quem consule tom. X scriptorum rerum Italicarum col. 139.

frustra con-  
tendit,

F

62 Altera charta, ex qua notum habuit Fontaninus nec id evincit.

A *taninus Opilionem, Romanorum Patricium (non tamen propterea, ut jam diximus, Ravennatem exarchum) est Gregorii IV Pontificis anno 828 data, et apud Muratorum tom. III. Antiquitatum Italiae col. 59 et binis seqq. integre excusa. Characteres illius, teste Muratorio, iis, quibus exarata est charta Opilionis, de qua supra, sunt admodum similes: duplex illius exemplar existere ait in tabulario monasterii S. Justinæ, alterum prolixius, alterum contractius; quod utrumque unico intuitu cognoscendum exhibuit, prolixius quidem totum transcribendo; contractius vero, uncinis includendo quidquid in contractiori desideratur, et reperitur in prolixiori. Inscripta est Miloni, monasterii S. Justinæ abbati, Romæ data xii Kalendas Julias, anno ejusdem Sedis primo, et Domino Lothario secundo, Indictione octava. In ea de Opilione sic loquens inducitur Pontifex: Quia juste et rationabiliter vestra humilitas (Milonem alloquitur) nostro Apostolatui humiliter postulastis, quatinus pro Dei amore, animeque nostro remedio, per presentis nostri privilegii auctoritatem, quamque per auctoritatem Domni Lotharii imperatoris augusti, spiritualis in Christo dilectissimi filii nostri, concederemus et confirmaremus scilicet omnes res et proprietates prædicti monasterii, cujus ecclesiam Opilius, PATRICIUS ROMANORUM fundavit, ibique ejus corpusculum in pace requiescit in atrio ejusdem ecclesie supra duas columpnas, qui etiam multa tribuit dona in eodem monasterio. Ideoque per præsentem privilegium confirmamus, etc.*

Gregorii IV  
charta.

B *65 Chartam hanc Gregorii IV, uti et præcedentem, critico ariete concussit idem Muratorius, vir in multo litterarum genere apprime versatus: ipsum loquentem audi: Quod heic me excurciat, inquit post alia pauca, cogor aperte dicere, tot vitia convenire in hujus Bullæ textum, ut illam nemo, uti legitimam mercem, sit facile suscepturus. Nam præter dissonantiam inter duo illa unius Bullæ exempla deprehensam, præter affectatam mentionem sepulcri, in quo depositus dicitur Opilius, sive Opilio, PATRICIUS ROMANORUM; et præter alia, quæ persequi non est animus: inter chronologicas notas intoleranda pugna consurgit, quam tollere ne acutissimus quidem possit. Anno dcccxxviii mense Junio decurrebat annus primus Gregorii IV Papæ. In eum annum minime cadit Indictio octava, sed quidem sexta. Et rursus scripta hæc dicuntur ANNO DOMINO LOTHARIO, pro DOMINI LOTHARII, SECUNDO, quæ vitiosa formula (adde et multa alia in decursu chartæ contenta) Apostolicæ Sedis cancellariam non bene olet, quum ibi Latine lingue atque Grammaticæ honor aliquis semper habitus fuerit. Præterea extra omnem controversiam est, Lotharium I coronam ac nomen imperialis dignitatis Romæ accepisse anno dcccxxiii. Ergo annus secundus ejus imperii in annum i Gregorii IV, sive in annum Christi dcccxxviii nequaquam convenit. Adde, nullam mentionem fieri Ludovici Pii augusti imperantis cum filio. In aliis chartis ejus nomen præterire minime mos fuit. Fortassis etiam abhorret ab eorum temporum consuetudine multa DUORUM MILLIUM MANCUSORUM AURI OPTIMI, cujus mediæ persolvenda erat NOSTRO SACRO PALATIO, quum de monasterio ageretur extra fines Pontificiæ ditionis posito, et possidente tot alios fundos, minime in Bononiensi agro comprehensos.*

Hæc et alia, quæ abire insalutata volo, apud me hujus etiam Bullæ fidem saltem dubiam faciunt.

AUCTOR  
J. B.

64 *Dein quis fuit Milo S. Justinæ abbas, ad quem chartam illam anno 828 Gregorius dedit? Cum ante Rosium, qui sub annum 849 Patavinum episcopatum tenuit, ne monasterium quidem S. Justinæ existisse videatur, ut infra dicitur, primusque illius abbas sub eodem Rosio fuerit Christianus, quo certe antiquiorem Cavacius, loci historiographus, non invenit. Verum non eo hæc de Opilione dicta sunt, ut sanctæ Martyris templum ab illo aliquando conditum reparatum fuisse, eamus inficias: sed ut tempus, quo id contigit, plane incertum esse; patriatum vero illius ac consulatum dignitates esse appareat verosimillime fictitias, quas illi, quo monasterii, ut factum sæpius est, origo redderetur illustrior, nescio, quis fabulator offinerit. Nihil dico de iis, qui Opilionem familia Picavrum aut Picacoram fuisse volunt, quos Ursatus in Historia Patavina pag. 157 refellit ex eo, quod ex familia e Transalgaridis originem ducant ex Patavinorum genealogorum testimonio: Transalgaridi autem sub Carolo Magno primum Patavii sedem fixerint.*

### § V. Quo tempore conditum fuerit S. Justinæ monasterium. Templum novum eidem dicatum.

I *n obscuro pariter est, quo primum tempore S. Justinæ templo monasterium adjectum fuerit: auctor Vitæ S. Prosdocimi, et ex eo verosimiliter Scarleoni Classæ 15, ubi de Opilione, jam inde a S. Prosdocimi ætate id factum, ac a sacris virginibus inhabitatum scribunt: verum tanta illius monasterii antiquitas fundamento caret, rejiciturque a Cavacio, qui se monasterii illius originem ignorare fatetur. Nos, inquit, quamvis antiquitatem exoptemus, ex qua nostris rebus plus dignitatis accedat, tamen potius opinamur, monachos non nisi post Patavium restitutum, imperante Carolo Magno, templum D. Justinæ obtinuisse. Et paulo infra: Itaque maximæ vetustati tribuatur, quod monasterii principia etiam litterarum memorias excedant: ita ille; nihil tamen, unde Caroli Magni ætate S. Justinæ monasterium conditum fuisse conjicias, spectatim in medium proferens. Si legitimæ essent chartæ Opilionis et Gregorii IV nomine venditæ, in quibus monasterii S. Justinæ mentio fit, jam inde a sæculo saltem octavo id existisse, necesse esset: at, cum earum fidem ex dictis supra non pauca infringant, nec id affirmare ausim. Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum 870 num. 21 Rosium, ab anno circiter 860 Patavinum episcopum, S. Justinæ monasterii conditorem facit ex instrumento ipsius Rosii, quod quia Cavacius valde minutum dedit, adjicit ille: Optandum esset, ut integrum retulisset Cavacius. Mabillonii votis tom. IV Antiquitatum Italiae col. 781 et binis seqq. satisfecit Muratorius, ex quo tamen haud certo elicitur, Rosium illud condidisse, ac monachis Benedictinis tradidisse. En illud.*

66 In

AUCTORE  
J. B.  
Rorius episcopus  
Patavinus,

66 In nomine Domini. Imperante Domino nostro Hlodowico imperatore, Hlotharii filius, postquam imperiare cepit, anno vicesimo quinto, vi Nonas Madii, Indictione septima, feliciter. Offerionem vel tradicionem, que facere visus sum ego in Dei nomine Rorsus sancte Patavine ecclesie episcopus una per consensu et voluntate avvocato meo nomine Hercomario, in ecclesia sancte et venerabilis Justine vel senodochium, quo ego ipse a fundamentis pro remedium anime mee edificare precepi, quae sita est prope ecclesiam ejus venerabilis virginis Justine, in qua ejus sanctissimum corpus humatum requiescere videtur: ubi vir venerabilis Christiano presbyter et a nobis electum et ordinatum abba preesse cernitur. Ideoque ego, qui supra, Rorsus nunc Pontifex, considerante me Dei omnipotentis misericordia et remedium anime mee offero atque trado ego Rorsus episcopus secundum legem Salicam ad presenti die omnes res meas, quas habere et possidere videor in Monte Silicis, sive in finibus Patavense vel comitatu Vicentino, offero et trado ad supradictum almificum locum, et tibi Christiano abbati, vel ad fratres, qui in ipso senodochium religiose vivere degunt, ut abeatis exinde alimonia sive vestimentum ad usui vestro, ut pro me indigno peccatore preces omnipotenti Deo fundere incensanter dignetis, vel in ipsum venerabile locum deservire valeatis.

ut ex ejus  
charta

67 Id est, in primis offero, atque trado ego Rorsus humilis episcopus curte mea, quae nuncupatur Maserada cum capella, quae in honorem beati Martini confessoris ego ipse a fundamentis edificavi vel consecravi, cum casales et omnia, quantum ad ipsam autem pertinere dinoscitur, et similiter trado et offero curte mea infra civitatem Patavi cum oratorio suo, qui in onore beati Petris principis Apostolorum dedicata est, cum omnia, quae ad ipsam praefatam curtem vel oratorium pertinere videtur. Nec non et curtem meam in Cervarises cum oratorio suo, quod in onore sanctae Crucis est consecratus, quae sita est in comitatu Vicentino, trado et offero cum omnia adjacentia et pertinentia sua. Has prenomatas curtes ex integrum, quantum ad manu mea hodie abere vel possidere visus sum, trado et offero ad presenti die in jam prenominata ecclesia beate Justine virginis, vel in senodochium cum omnibus edificis earum, et cum silbis, aplectaneis, ortis, areis, vineis, campis, pratis, salectis, pascuis ac stallareis, pomiferis arboribus, paludibus, usis aquarum, rivis, rubiis, monte, plano, omnia in integrum, cultum et incultum, quantum ad me pertinet, vel pertinere vel possidere visus sum.

ostenditur,

68 Et offero atque trado in predicto venerabili loco similiter a die presenti et hora servis et ancillis meis pro anima mea, eorum nomina sunt: Lupulus et Justiolus cum filio suo item Justulo, Rodulfus, Luvari, Petrus, Vidolus, Adam, Belfanuis cum uxore sua, nomine Eta, Felicitas cum filia sua, Gallidolus cum uxore sua et duos filios suos, Riculfus, Regisilda et filia ejus Rotruda, Willi, Juba, Rotruda, Altemanno cum uxore sua Gaudencia et filia sua Anspurga, Liutearda et filia ejus Helmedruda, Radperga, Willi, Liuba cum filias suas Egena et Vindelinda et Liucinda et Gisemperga, Justola, Ringungunda, Agneola cum filias suas Orsolane

et Senatere, Unica, Fuscola, Gisemperga, et D quanti nati vel procreati fuerint, postquam in potestate mea devenerunt. Ista suprascriptas res vel mancipiis, quorum nomina vel loca superius leguntur, et ubicumque proprietario nomine a me possessum vel devolutum est, et hodie a manu mea teneo per liberam rationem et vendicionem et emcionem sive per donacionem nec non et commutationem vel blandimentum secundum legem meam Salica possessum habeo, offero adque trado ego Rorius episcopus ad presenti in jam prenomatum locum pro remedium anime mee, et exinde nichil mihi reservavi.

69 Professus sum, in tali vero timore offero et trado supra nominatas res seu familias, ut si ego Rorius episcopus, quod fieri minime credo, vel aliquis ex successoribus meis de predictas res vel mancipiis, eorum nomina et loca supra annotatas esse videntur, vel qui de ipsis hominibus nati vel procreati fuerint, retollere de ipso venerabili loco, aut contrare voluerimus, sive tibi Christiano abbati vel a successoribus tuis, et omnia, sicut supra legitur, non adservaverimus ego Rorius episcopus vel successoribus meis, tunc deveniat ipsas res vel familias, quod supra legitur, in potestatem regis, qui pro tempore Italia regere videtur. Haec ideo adfiximus, ut mea, que supra, Rorius episcopus offerio sive traditio perhennis temporibus in ipsum almificum locum, quod supra legitur, inviolabilis et inconcussa permaneat. Iterum volo atque instituo, ut tu Christianus abbas vel successores tui ab hac presenti die, quod est sexto Nonas Madii pro ipsa offerionem vel tradicionem, quod ego hodie facio per omni die pro me pascere debeatis pauperes numero tres, dum ego, qui supra Rorsus episcopus, advixero, sive post meum decessum, et in annuale vero meo per remedium anime mee pascere debeatis ter sacerdotes et levitas numero quadraginta. In alio vero die, post annuale meum evenerit, volo adque instituo, ut reficiantur ibi in praedicto loco pauperes numero centum. Et cum ipsis pauperes refecti fuerint usque ad saturitatem, laudem Deo referant, et proficiant ad salutem pro anima mea.

70 Quod si tu Christianus abba vel successores tui de praedicta elemosina, quod pro anima mea dare instituo, aliquid retrahere volueritis, una neglesseritis facere, in omnipotenti Dei judicio reservo, cui omnia manifesta sunt, et nihil ei latet. Sed nolle quod volui, nisi quod a me semel factum bono animo est, perhennis temporibus inviolabilis permaneat. Et manifestus sum ego Rorsus episcopus, qui a pagina et calamo cum pinna de terra levavi, et Ulfari nothario scribere sic rogavi, et testibus obtuli roborandam, ut hanc donacio sive offerio supra legitur firma et stabilis sine alicui hominum contradictione permaneat. Actum in cenobio sancte Justine, in Dei nomine feliciter. Ego Rorius quamvis indignus episcopus in hanc occasionem seu tradicionem a me facta manu mea subscripsi. Ego Ercomaruis advocatus consensi, manu mea subscripsi. Ego Justinus archidiaconus rogatus manu mea subscripsi. Ego Leopertus presbiter et prepositus sancte Marie manu mea subscripsi. Ego Dominicus presbiter canonicus manu mea subscripsi. Ego Joannes presbiter manu mea subscripsi. Ego Fradellus

A Fradellus presbiter manu mea subscripsi. Ego Justinus presbiter arcarius sancte Marie manu mea subscripsi. Ego Dominicus presbiter etc. ✠ Ulfari notharius rogatus a Donno Rorio venerabili episcopo, hanc cartulam, offensionem vel tradicionem scripsi et subscripsi et post tradita complevi.

anno 874,

71 Hæc Rosii charta, vi cujus, ut ait Cavacius pag. 58, a monachis Benedictinis, etiam sua ætate, pauperibus religiosi hebdomadis singulis, panis et vini portio statuta erat, et ante festum Nativitatis Dominicæ centum pauperibus epulum præbebatur, seculi sui quidem barbariem præfert; ceterum vero in notis chronicis recte sibi congruit: Ludovicus enim Lotharii filius, a Leone IV coronatus est imperator anno 849; atque adeo annus ejus imperii vigesimus quintus non nisi anno 874, quo, ad mensem Majum provecio, currebat Indictio septima, finem accepit. Neque mirum videri debet, mentionem in ea fieri legis Salicæ seu Francicæ, cum ea sub Francis, deletis Longobardorum regibus, fuerit in Italiam invecta, ipseque Rosius, ut Patavini scriptores perhibent, Francica gente oriundus. Autographa minime est charta illa, inquit Muratorius: est tamen exemplum pervetustum, ut fortasse mendorum, quæ in illa occurrit, frequentia describentis imperitiæ magnam partem possit attribui. Cavacius pag. 53 pro anno Ludovici vigesimo quinto scripsit decimum quintum; et Rosii chartam anno 870 affixit; quod et Ughellus, Cavacium incaute secutus, fecit tom. V Italix sacræ auctæ col. 428, ubi et Rosium Patavinum episcopum factum ait anno 861. Sed apud Sigonium de regno Italix lib. vi Ludovici secundi diploma exstat, quo Rorii seu Rosii episcopi precibus ecclesiam Patavinam in tutelam suam recipit, datum vi Idus Februarias, anno, Christo propitio, imperii Domini Lotharii Pii imperatoris xxvi, et Ludovici Gloriosissimi augusti in Italia vi, (seu potius v) Indictione xii, qui fuit annus 849.

sed ab hodierno S. Justinæ monasterio dicendum:

72 Porro ex eadem Rosii charta seu testamento quidem liquet, illum excitatum a se juxta S. Justinæ aedes xenodochium monachis quibusdam (verosimillime quidem Benedictinis) administrandum dedisse; sed certum inde non fit, quod num. 63 aiebam, excitasse illum Benedictinis diversum a xenodochio monasterium, cujus nulla, aperta saltem, in charta Rosiana fit mentio: quin vero ita loquitur in charta, de qua mox, Gauslinus, Patavinus episcopus, ut ipse potius S. Justinæ templo et excitato ab episcopo Rosio alendis pauperibus xenodochio, sed Hunnorum vastatione semirutis, primus illud adjecisse videatur. Gauslini chartam ex Ursato in Historia Patavina pag. 203 accipe: In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis. Gubernante Catholicam plebem beati Petri Apostoli Joanne, summo Pontifice. Pontificatus sui anno vi, Imperante Domino nostro Othone imperatore, anno Incarnationis Domini dcccclxx in mense Februarii, Indictione xiv. Cum venissem ego Gauslinus episcopus in ecclesiam beatæ Justinæ martyris, et beati Prosdocimi præsulis, et vidissem ibi per circuitum omnem locum desolatam, nec esse ibi, qui aliquid diceret, aut aliquam susceptionem hospitibus aut pauperibus pararet. Tunc inspirante divina ac potenti misericordia, sicut ipse corda humana illustrare dignatus est, ita et cor meum implere, ac visitare dignatus est, ut ob ipsius amorem Sanctorumque omnium,

nec non et B. Justinæ martyris, beatique Prosdocimi confessoris cœnobium ædificarem monachis.

AUCTORE  
J. B.

75 Tunc congregavi omnem clerum, omnesque optimates, et cunctum populum super eo, quod Dominus in corde meo inspirasset, sed et valde omnibus placuit. Unde cum omnibus sacerdotibus, cunctoque clero et cum omnium fidelium consensu, juvante Deo, construximus cœnobium. Ibi ego, qui supra Gauslinus episcopus, ut præfati monachi, qui ibi præesse debent, firmi ac stabiles esse possint, pro remedio animæ Senioris nostri Othonis, et pro anima mea, et cunctorum Catholicorum, seu et pro omnibus, qui in hac ecclesia deserviunt, ut firmum ac stabile nostrum scriptum habeant, quatenus, qui post nos in hanc sedem venerint, non destruant; sed magis in Dei amore roborent; ut et ipsi per ipsorum monachorum intercessionem valeant ætherea possidere regna. Quare ego Gauslinus episcopus cum omni clero et cuncto populo, qui hic congregamur, per tremendum Omnipotentis Dei judicium et per ipsius majestatem deprecamur, nec non et per omnem cœtum sanctorum angelorum, archangelorum, patriarcharum, prophetarum, Apostolorum, martyrum, confessorum, ac virginum, omniumque Sanctorum, ut nulla superimposita, nullum redditum, nullam molestationem ipsis monachis inferat, nisi incensum orationis. Quod si aliter fecerit, quam supra legimus, ante tribunal Christi retributionem habeat in die judicii cum Juda traditore, inde stando ad rationem.

hoc vero videtur

E

74 Ego in Dei omnipotentis nomine Gauslinus Pataviensis ecclesiæ episcopus donamus et confirmamus ad monasterium sanctæ Justinæ virginis, et sancti Prosdocimi confessoris Christi, non multum longe a civitate Patavii, ubi corpora Sanctorum requiescunt, ad laudem Sanctorum ejus, pro præsentis merito et futuro, pro superscripto imperatore Othone, atque duce nostro, clero ac populo, ut omnes fideliter vivant in Christo, per quem, qui serviunt, ut dignus est, coronentur in cœlis, ubi et nos miseri peccatores, clerus, populus, atque propinqui, aliquam portiunculam habere possimus, ubi omnes magni consistunt, Deo concedente, damus et confirmamus ad ipsam ecclesiam sanctæ Justinæ, et sancti Prosdocimi confessoris Christi, in primis ecclesiam sancti Angeli prope suprascriptum monasterium cum massariis et rebus, quæ eidem pertinent, cum quartis et decimis, cum loco, qui dicitur Prato Novo, et terris cum vineis, ubi dicitur Ruthena, Braido monachorum, et uno arcu, qui currit flumen Retronis. Et ecclesiam sanctorum archangelorum, quæ constructa est foris civitate Patavii in loco, qui dicitur Vantio, cum suis finibus; et terra, quæ vocatur Senedo, cum suis finibus, id est, cum quartis et decimis. Ecclesiam sancti Martini, quæ est ædificata in loco, ubi dicitur prope Montensilicem cum casis et massariis, quæ ibidem pertinent, seu servis et ancillis, qui in superscripto Montesilice habitant. Et curtem unam in loco, qui dicitur Tribano, cum suis casis et massariis, quæ ibidem pertinent, cum quartis et decimis, seu in Pernumia, in capite silvæ, et in Aire cum quartis et decimis.

Gauslinus,  
Patavinus  
episcopus,

F

75 Et curtem unam cum domo cultili cum capella, quæ ædificata est in honore sanctæ Mariæ

ex hic relata  
ejus charta

Mariæ

ACCORRE  
J. B.

Mariæ Virginis in loco, qui dicitur Macerata, cum casis, massariis, quartis, decimis, et cum omnibus rebus, quæ ibidem pertinent. Et totam decimam, quæ jacet in comitatu Vicentino in loco, ubi dicitur Masone, cum capella, quæ est constructa ad honorem S. Galli, cum quartis, decimis, et cum omnibus rebus, quæ ibidem pertinent. Et ecclesiam unam, quæ est ædificata ad honorem sancti Georgii in loco, dicto Robolono, cum terris et omnibus decimis, quæ ibidem pertinent. Et totam decimam, quam dare debent famuli S. Justinæ sive in montibus, sive in vallibus. Hæc omnia suprascripta volumus, et confirmamus, assistentibus suprascriptis, habeat et teneat ipse sanctus locus æternum, ut servant ipsi monachi, cum suo abbate Ingelberto, Deo Sanctisque usque in finem sæculi, omnibus remotis, quæ in ista donatione et confirmatione, frangere, contradicere, aut molestiam facere aut inquietare habeant. Et teneat in die iudicii, quod in hac pagina supra legimus. Ego Gauslinus episcopus hanc paginam, a me factam, propria manu mea confirmavi et roboravi. Ego Martinus archipresbyter in hanc paginam offerentis consensit et scripsit. Ego Joannes presbyter m. Ego Marinus presbyter. m. Ego Bonizo presbyter. m. Ego Albericus presbyter. m. Ego Rochero presbyter. m. Ego Dominicus presbyter. m. Ego Rozo presbyter. m. Ego Redaldus presbyter. m. Ego Joannes diaconus. m. Ego Andreas diaconus. m. Signum manu Joannis testis. Signum manu Bernardi testis. Signum manu Uldarici testis. Signum manu Adam testis. Signum manu Luitprandi nobilissimi. Signum manu Alberti. Signum manu Valentini. Signum manu Arduini. Omnes isti rogati testes.

primus con-  
struxisse

76 Gauslinus verbis num. 72 transcriptis satis quidem aperte innuit, tum S. Justinæ templum, tum additum illi a Rosio xenodochium, quod sua ætate, in monasterii S. Justinæ vicinia situm, adhuc superstes fuisse, pag. 207 Ursatus scribit, prius existisse, quam ipse Patavinum episcopatum susceperat; sed nullo modo de S. Justinæ monasterio, quod a Rosio xenodochio diversum sit, idem prædicat: imo vero, cum id se construxisse dicat, nulla alterius conditoris mentione, ne quidem tacita, injecta; nec aliunde certa legitimaque videantur existere monumenta, quibus major monasterii antiquitas citra dubium ostendatur, videtur illud tum primum a Gauslino condi capisse. Eodem, quo Gauslinus, modo Burchardus quoque Patavinus episcopus, anno 1054 collata a decessoribus suis monasterio S. Justinæ bona confirmans, locutus est apud Muratorium tom. III Antiquitatum Italiæ col. 205. Ita ille de Gauslino: Hanc igitur sollicitudinem venerabilis Gauslinus, Patavensis episcopus, vigilanter exhibuit, quando super omnia, quæ bona egit diligencia, de sibi commissis non modicam habuit, videlicet de ecclesia S. Justinæ virginis, quæ sita est foris civitatem Patavensem, quam olim quasi destructam ac desolatam pene ab omnibus... pro Dei amore et veneratione ejusdem sanctæ Justinæ monasterium ibi construxit, et abbatem atque monachos ordinavit, atque ex ipsius episcopi rebus donationem tantam donavit, ut aliquantulum ibi Deo servientes possint vivere: quibus et ipse verbis ita de Gauslino loquitur ac si is primus monasterii illius conditor fuisset.

77 Atque ita Muratorius sæpe laudatus censuit tom. III Antiquitatum Italiæ mediæ ævi Dissertatione 54, addens, sub id fere tempus varia monasteria, ut apud Venetos, Mutinenses, Rhegienses et Parmenses, fuisse excitata. Et sane anno 982 initium habuisse Venetiis cœnobium S. Georgii Majoris a Mauroceno nobilissimo cive, scribit Ughellus tom. V Italiæ sacræ auctæ col. 1200, ubi fundationis dicti monasterii litteras exhibet. Ipse Muratorius mox laudatus tom. I, col. 1019 et seq. Joannis episcopi Mutinensis litteras refert, anno 998 eazaratas, quibus S. Petri monasterio, in suburbio Mutinensi a se fundato, possessiones aliquot donat. Et tom. V, col. 541 et seq. fundationem recitat monasterii sanctimonialium SS. Viti et Modesti prope Scantianum, nunc S. Thomæ, anno 1015 a Teusone episcopo Rhegiensi factam; quamquam illud a Teusone tantummodo instauratum putet. Parmæ item sub finem sæculi X conditum fuisse S. Joannis Evangelistæ monasterium liquet, ex Vita S. Joannis, primi illius monasterii abbatis, a monacho anonymo subæquali conscripto, quam habes Benedictini Sæculi v parte 1 a pag. 747. Neque hæc sola sunt, quæ ea ætate per Italiam condita sunt, monasteria: ut adeo fieri facile potuerit, ut et S. Justinæ monasterium tunc primum condi cœperit a Gauslino, nec certo fidei debeat Mabillonio in Annalibus ad annum 870 num. 21 ita scribenti: Processu temporis Rosius episcopus, qui Patavinam sedem sub noni sæculi annum sexagesimum (imo forte 49, ut supra num. 71 diximus) inivit, eidem basilicæ cœnobium adjuunxit, nisi cœnobii nomine xenodochium a Rosio excitatum intelligat.

D  
sub annum  
971.

78 Leander Alberti in Descriptione Romanicæ in altam plane sententiam ivit, nulli, ut reor, probatam. Voluit is, S. Justinæ monasterium Patavinum conditum fuisse circa annum 780 ab Anselmo, Nonantulensis monasterii fundatore, cujus Vitam habes apud nos tom. I Martii c pag. 900, et apud Mabillonium Sæculo IV Benedictino part. 1 a pag. 4. Ita Leander ex Notitiis Nonantulensibus, sed male explicatis, scripsit. Inter xenodochia, ab Anselmo excitata, in ejus Vita apud Mabillonium num. 6 S. Justinæ xenodochium aliquod his verbis memoratur: Item aliud ille dignus pater constituit xenodochium ex suis propriis rebus in loco, qui dicitur Susonia (Lusorica legitur apud nos, Lusonia vel Lusonicæ legit Cavacius), ubi fieri jussit oraculum S. Justinæ martyris, in quo etiam monachos semper adesse voluit, Deo servientes et sine sollicitudine viventes. Hæc velut de S. Justinæ monasterio Patavino dicta Leander accepit, sed levi nimium de causa. Ubicumque enim locus ille Susonia existit, Patavinis equidem sine causa adscribi non debet, neque certum transcriptis huc verbis agi de S. Justina Patavina; et, hoc dato, sub ejus nomine alibi locorum perinde ac juxta Patavium condere xenodochium Anselmus potuit. Sed hæc de celeberrimi monasterii, quod, cum temporum iniquitate a Religiosa disciplina deflexisset, S. Justinæ aliorumque Sanctorum, ibi quiescentium, meritis anno 1409 per Ludovicum Barbum, uti hic scribit apud Pezium tom. II Anecdotorum part. III, pag. 270 et seqq., reformatum fuit, ac dein anno 1504 in totius Congregationis Casinensis, ab eo alias S. Justinæ dictæ, caput eceasit, origine disseruisse sufficiat: qui plura requireret, Cavacium,

non Anselmus  
Nonantulensis  
780, ut ait  
Leander Alberti.



A *ciam, elegantem loci historiographum, consu-  
lere poterit. Ego, quæ reliqua sunt, de S. Ju-  
stinæ ecclesia interim expediō.*

Diruto terræ  
motu sæculo  
xi antiquiori  
S. Justinæ  
templo,

79 *Hæc antiquis quidem, sed tamen ignotis,  
ut diximus, temporibus condita, non secus ac  
Patavium ipsum, a quo non procul aberat, quod-  
que non raro cladibus attritum fuit, ut sequenti  
§ dicitur, varias etiam a bellorum motibus olim  
sortis vicissitudines subiit. Narrat Conradus ab-  
bas Urspergensis in Chronico ad annum 1117  
ingentem terræ motum tertio Nonas Januarii,  
unde multa non modo ædificia, sed et civitates in  
Italia quædam commoverint, contigisse. Hujus (ut  
apparet) non immerito fuisse S. Justinæ eccle-  
siam, discimus ex auctore Inventionis S. Danie-  
lis (de qua apud nos actum est 5 Januarii, sed ex  
auctoribus aliis, hoc, quo de agimus, decessoribus  
nostris nondum cognito, qui terræ motum viderat:  
contigit Danielis inventio sub Ulderico, episcopo  
Patavino, et Joanne abbate monasterii S. Ju-  
stinæ, qui cum Ulderico episcopo in Actis inven-  
tionis, tom. I Januarii pag. 160, num. 7 ex  
Agonibus Martyrum apud nos excusis, male con-  
funditur. Sedit autem Patavii Uldericus seu Ul-  
daricus ab anno circiter 1061 usque annum 1090,  
ut quidem Ughellus tom. V Italiæ sacræ auctæ  
ex ecclesiæ Patavinæ tabulis. Ceterum de S. Ju-  
stinæ ecclesia terræ motu concussa hæc habet  
Aetorum dictæ inventionis auctor: Erat enim  
ecclesia extra urbis mœnia, in loco videlicet,  
ut traditur [quem] Campum Martium vocabat  
antiquitas; constructaque erat ecclesia, ubi  
corpus beatæ Justinæ requiescit, simulque mul-  
torum Sanctorum. Quam basilicam nostro tem-  
pore vehemens terræmotus quassatio funditus  
diruit, et aliam nos in locum ejus non bene  
consimilem substituere coegit; illa namque suf-  
fulta marmoreis columnis et ex magna parte  
marmoreis tabulis ornata et deaurata cœlestium  
siderum interius radiabat ad instar. Ita Ms. no-  
strum, cui idem anonymus apud Cavacium pag.  
18 fere ad verbum consonat.*

excitatum  
fuit aliud,  
cui denique

80 *Adjicit his quædam anonymus, unde, qua  
fuerint ea tempestate, licet post multum calami-  
tatum, S. Justinæ templi facies et S. Prosdocimi  
sacellum, utcumque intelligas. Sic pergit: Nec  
mirum quidem: cum illam vir clarissimus et  
C illusterrimus præfectus prætorii, patritius,  
Opilio nomine, immensis divitiis construens  
elimavit. Hanc vero nos in magna paupertate  
constituit, utpote noviter ab imperatore obsessi  
(Henrico V, summis Pontificibus Paschali, Ge-  
lasio et Calisto tunc infesto) et auro et argento  
expoliati, vix, qua cernitur specie, ereximus.  
Est propter hanc in pulcherrimo secessu, qui  
vergit ad Meridiem, oratorium sive templum  
miræ pulchritudinis constructum in honore Dei  
et B. Mariæ semper Virginis et plurimorum  
Apostolorum, in quo sancti Prosdocimi corpus  
tumulatum jacet; illius parietes humotenus in  
circuito vario sunt marmore crustati; pars vero  
superior, quæ testudineo clauditur arcu, longe  
lateque deaurata refulcet, et opere musoleo de-  
picta, quasi cœleste palatium ac viridantia pa-  
radisi prata demonstrat.*

sæculo xvi  
successit tem-  
plum notum

81 *De sacello S. Prosdocimi, velut sua ætate  
adhuc exstanti, agit Scardonius lib. II, classe 6,  
ubi de S. Prosdocimo: sed in locum templi ve-  
teris S. Justinæ, de quo auctor Inventionis S. Da-  
nielis, sub initium sæculi xvi aliud successit longe  
splendidius, quod hodieque non sine spectantium  
voluptate et admiratione conspicitur. Cum enim*

*templum vetus jam fatisceret ac ruinam minare-  
tur, ac felicius fluerent monasterii res, magnificas  
ac Sanctis, quorum penes se reliquias serrabant,  
digniores ædes monachi meditari cœperunt jam  
inde a sæculo saltem xv ad finem vergente, ut ex  
instrumento publico, quod infra num. 89 trans-  
scribendum est, colligitur: sed monachorum con-  
siliis tum domestica impedimenta, tum Præla-  
torum mors aliquot annis intercesserunt, dum  
tandem anno 1301, Eusebio Fontana Mutinensi  
muneri abbatiali admoto, ut scribit Cavacius  
lib. vi, operi manus serio admoveri cœperunt.  
Initæ ab Eusebio dignitatis annus primus di-  
ruendo veteri templo, comportandæque novi ma-  
teriæ datus fuit: inde vero per annos plures labore  
improbo et sumptibus maximis ædificandæ ornan-  
dæque novæ moli insudatum est; ac tandem Gui-  
lielmus Cassador, episcopus Barchinonensis,  
digressus a Tridentina synodo, ut apud nos  
(inquit Cavacius ad annum 1375) valetudinem  
curaret, novi templi aras sacravit dicavitque.*

AUCTORE  
J. B.

82 *Pluribus hæc omnia lib. vi Cavacius per-  
sequitur; e quo denique ad annum 1325 templi  
novi S. Justinæ dimensionem subjicere lubet. Ita  
ille: Ab ara maxima, quæ Orientem spectat,  
enumerantur ad ostium pedes cccxxxii. Tractus  
medius, qui crucis figuram exhibet, ab Austro  
in Septentrionem excurrit pedes cccxviii. La-  
titudo, ubi maxima est, habet pedes lxxii: ubi  
minima xl. Ipsa latitudo variat, ubi mediæ navi  
laterales junguntur. Singulos ad Orientem an-  
gulos ornant duo sacella, ad Occidentem uni-  
cum. Hæc universa in absidem flexa: reliquum  
templi recta in Occidentem sena sacella habet  
ad Meridiem, sena ad Aquilonem. Ingentes co-  
lumnæ quadrangulares lateritiæ, quæ fornicem  
sustinent, ex marmore Istro habent capita et  
bases. Coronæ ex eodem marmore totum tem-  
plum excurrit lata pedes ix, projecta iii. Archi-  
tecturæ ratio mixta est, sed magis in Corinthiam  
deflectens. Columnarum capita habent florem,  
abacum, volutam et cimatum, licet non habeant  
folia. Basibus adsunt stereobatæ, qui suppeda-  
neum præbent, ac stilobatæ, qui sedes faciunt  
his, qui divinæ rei intersunt. Martyrium subest  
aræ maximæ, quod fornice obtegitur summe  
artificiose. Neque enim fulcitur vectibus vel  
catenis, sed fere planus sub vastissimo pondere  
longius excurrit. Hæc templi dimensio est, or-  
namenta vero, quæ non facile describantur.  
Verum, dum hæc aliaque in novo S. Justinæ tem-  
plo temporum successione fiunt, facta est non  
una reliquiarum S. Justinæ translatio, qua de re  
modo agendum.*

magnificentiæ  
ceteræ.

E

F

## § VI. Reliquiarum sanctæ Martyris aliorumque San- ctorum inventio et in tem- plum vetus translatio.

Quæ plurimarum urbium conditio fuit, ut a Absconditas  
bellis, incendiis, dissidiis aliisque fortunæ olim  
casibus in varias calamitates prolapsæ, magna  
sæpe fecerint rerum sacrarum profanarumque  
detrimenta, eadem quoque Patavinæ civitati non  
semel obtigit. Sub medium sæculi v Hunnorum  
rex Attila, acceptam ab Actio in campis Catalau-  
nicis

AUCTORE  
J. B.

*nica cladem ulturus, immensum barbarorum in Italiam trajecit exercitum, excisique, ut Marcellinus in Chronico ad consulatum Sporacii et Herculan, aliique scriptores docent, Aquileia, parem vicinis urbibus cladem intulit: fuisse in his Patavium in codice Ambrasiano Historiae miscellae Pauli diaconi lib. xv (tom. I Scriptorum Rerum Italicarum pag. 97) his verbis legitur: Plura praeterea ejusdem regionis castella immanis hostis, extinctis vel captivatis civibus, succendit ac diruit. Concordiam, Altinum, sive Potavium, vicinas Aquileiae civitates illius instar demolens solo coequavit: sed Theodorici, Gothorum regis, auspiciis deinde restitutum fuisse, Cavacius scribit, tum quia sic fama accepit, tum quia plurimas sub ejus imperio urbes renovatas, Cassiodorus ait in Chronico ad consulatum Patritii et Hypatii: et Apont (vicus est sexto circiter a civitate Patavina lapide) fontem ejus jussu instauratum fuisse, liquet ex ipsius Theodorici ad Aloysium architectum datis ea de re litteris, quas apud eundem Cassiodorum habes epist. 59, lib. II variarum. Altero item excidio, Totila Gothorum rege Istriam Venetiamque possidente, a Francis fuisse attritam, idem Cavacius aetumat, a quo a Narsete fuerit vindicatum. Tertiam Patavinorum cladem Paulus Diaconus lib. IV, cap. 24 his verbis describit: Usque ad haec tempora Patavium civitas, fortissime militibus repugnans, Langobardis rebellavit. Sed tandem injecto igne tota flammis voracibus concremata est, et jussu regis Agilulli ad solum usque prostrata est.*

imminentium  
calamitatum  
metu

*84 Situm tunc erat S. Justinæ templum extra civitatem, atque adeo credibile est admodum, tunc ex illo perisse, quidquid flammis erat obnoxium. Incunte saeculo Italia patuit, Patavium vero, ut aiunt, vel certe Patavinus ager, eorumdem direptionibusque incendiisque obiectus est. Certe eo saeculo S. Justinæ templum desolatum jacuisse, luculente satis innunt Gauslini, Patavini episcopi, tabulae sub annum 970 conscriptae, et supra a num. 72 relatae, ubi haec: Cum venissem ego Gauslinus in ecclesiam beatæ Justinæ martyris, et beati Prosdocii praesulis, et vidissem ibi per circuitum omnem locum desolatum, nec esse ibi, qui aliquid diceret, aut aliquam susceptionem hospitibus aut pauperibus pararet; tunc, inspirante divina ac potenti misericordia etc. Quae ea de causa brevibus hic perstringere libuit, ne quis, earum, quae Patavinis olim incubere, vicissitudinum ignarus, forte miretur, Patavinis non omnino exploratum fuisse, ubi locorum S. Justinæ, aliorumque plurium Sanctorum conditæ forent reliquiae, dum tandem anno 1177, ut paulo infra dicitur, e tenebris in lucem evaserint: primum enim est suspicari, jam inde forte ab Attilæ temporibus Patavinos Sanctorum exuvias, quae penes se erant, subterraneis cuniculis credidisse, quorum congesta undique rudera ac ipsa temporis diuturnitas memoriam exstinxerint. Nunc, qui tandem S. Justinæ reliquiae in apertum protractae fuerint, videamus.*

S. Justinæ reliquias, saeculo XII

*85 Refert Cavacius ad annum 1174, orto excidio inter Luscum Transalgarinum, civium potentissimum, et Jordanum Forzaleum, cenobii S. Benedicti spectatum virum, satellitem quemdam Transalgardini adversariorum aedibus ignem admovisse, quo ventorum auxilia in vicinas aedes illapso, eo demum processisse incendii vastitatem, ut civitatis Patavinæ tres fere partes conflagrarent: sed e lignea lateritium brevi effectam. Ut*

*hac calamitate civitas Patavina emersit, atque ad pristinum splendorem dignitatemque visa est rediisse, cives illius ceperunt, inquit Cavacius, studiosius Deum, omnium bonorum datorem, venerari, atque Sanctos, olim sibi patronos ac tutelares, inquirere. Repente nobiles ac ignobiles viros incessit desiderium sanctarum reliquiarum, quas olim metu barbarorum sepultas pone templum D. Justinæ, tenuis adhuc fama retinebat. Neque spem publicam sefellit eventus. Dum enim anno 1177 Gerardus episcopus ac S. Justinæ monachi in sepultas apud hos reliquias diligenter inquirunt, sanctorum trium Innocentium corpuscula, exuvias S. Justinæ, S. Mathiae et S. Lucae felicissime e tenebris eruerunt. Rem gestam ab auctore, qui, quae scripsit, vidit, conscriptam habemus in Mss, et ex codice Bibliothecae Ambrasianae, notato G. 91, transumptam. Nec tamen integram ea illo hic exhibebimus, quod magnam partem ad S. Lucae corpus pertineat, de quo die 18 hujus mensis agendum erit, quae ibidem laudatus auctor enarrat: excerptemus autem, quae ad S. Justinam unice pertinent.*

*87 Auctorem vero, quem laudo, rei gestae aequalem, quin et testem oculatum fuisse, ipsa ejus verba ostendunt: primum enim sub narrationis suae principium ad hunc modum loquitur: Novissime vero anno millesimo centesimo septuagesimo quarto Paduae nobilis cuncta fere domicilia nec non ejus possessionis res mobiles propter ignis pestilentiam dilapsa noscuntur in cinerem. Sic item sub finem ejusdem: Narrationis autem sonus, quamquam verborum oppositione minime decoretur, nihilominus veritatis argumento clarificatur. Ego ipse namque Evangelistae inventionis tempore ad odiferam ejus arcam saepenumero dirigendo vestigia Passionis atque Resurrectionis Dominicae praecone, indignus licet, aspicebam, nec non prodigiorum signa, quae tunc Deus ibi suscitaverat, avide considerabam. Sic autem ille de S. Justinæ exuvias: postquam dixit, anno Domini 1177, Alexandro III summo Pontifice, imperatore Frederico, Kalendis Martii Patavinum magistratum sexaginta viros elegisse, qui sacrarum reliquiarum inquisitioni interessent, ac Gerardum, episcopum Patavinum, sub Quadragesimæ initium (dies Cinerum eo anno in 9 Martii incidebat) una cum domino Dominico S. Justinæ abbate, cum clericis laicisque permultis inquirendarum reliquiarum fecisse initium, binas primum arcas erutas fuisse ait, alteram quidem marmoream, alteram vero plumbeam, quae scilicet sanctorum Innocentium, ab Herode occisorum, exuvias aliquot continebant.*

*87 Tum vero sic pergit: Horum (sanctorum Innocentium corpora intelligit) ita visione gavisus, dum divini thesauri vacarent inquisitioni, B. Justinæ sepulcrum caemeterii medullio sub altari (sub vestigiis antiquae arae, inquit Cavacius) tunc invenerunt: cujus aperture suavis odoris unda, sicut ventorum penna, per aera diffundebatur. Vere namque fuerat odoriferum gloriosae virginis Justinæ corpusculum, quae, pueritiae suae tempore martyrii coronam pro caelesti Sponso percipiens, liliis virginum supra sidera meruit aggregari. Tantæ vero Virginis inventione cognita, cunctae civitatis campanae sonabant, atque populus discalceatis pedibus illuc devotissime concurrebat: revelata quoque Virginis membra timide considerabat.*

Nec

E  
ad annum 77  
profecto,

F

Patavini e tenebris eruant,

A *Nec porro hæc Patavinorum in sanctam Patronam pietas fructu caruit : sic enim prosequitur anonymus : Glorioso igitur inventionis suæ tempore Divina misericordia cæcos, ejus sepulchrum tangentes, illuminavit; aridos quoque pristinae reddidit sanitati; quod, universim dictum, singillatim dein his verbis declarat : Quædam enim Simeonis filia, quæ, per triennium carens vestigiis, languida fuerat, sexto die Kalendarum Aprilis ad tantæ Virginis sepulturam delata, dum in matris suæ gremio jaceret, sanctæ quoque Virginis requiem diligenter inspiceret, ambulare contra matris suæ incept opinionem.*

miraculisque illustrari vident.

88 Cujus miraculi fama cum Gagi pervenisset ad aures, filium suum, qui tunc aridus fuerat, simili medicina sanari desiderans, eum ad beatam Justinam deportari præcepit. Cum autem delatus fuisset, sanctæque Justinæ nomen invocasset, protinus sanitatem participasse cognoscitur. Præterea quædam mulier de S. Maria de Carcere, cujus arida manus fuerat, cum sanctæ Virginis virtutem instanter flagitaret, circa horam matutinam sanitati restituta fuisse cognoscitur. Quædam etiam juvenis de ora Pontis molendinorum, (civitatis Paduanæ tractus est), cæcitatem participans, cum ad Virginis sepulchrum fuisset delata, in ejus virtute confidens, protinus fuit illuminata. Mulier quædam præterea de Robolonis oppido (forte idem locus est, qui apud Ursatum in Charta Geographica agri Patavini Italiae notatur La bastia seu vallum de Revolon, et apud Blavium Revolone) visione privata, beatæ Justinæ limina quasivit, ibique visione percepta, Virginem magnificans repatriavit. Hactenus anonymus de miraculis S. Justinæ meritis tunc patris; qui hinc ad S. Mathiæ et maxime S. Lucæ reliquias, deinde inventas, sermonem convertit. Haud omitendum tamen, quod paulo post subdit, de SS. Innocentium, et S. Justinæ reliquiis constitisse Patavinis ex inscriptionibus illis adjectis : sic enim ait paulo infra, de S. Mathiæ Apostoli reliquiis agens :

B *Prima itaque Sanctorum corpora titulis declarata singulis. Diem, quo inventum fuit S. Justinæ corpus, Cavacius fuisse ait 14 Kalendas Aprilis, seu Martii 19.*

S. Justinæ monachi,

C *89. Quid porro de S. Justinæ reliquiis factum, aut ubi recondita tum fuerint, neque anonymus, neque Cavacius tradit : vix tamen dubitandum, quin e cœmeterio erute in templum sanctæ Martiryi sacrum translatae fuerint : anno equidem 1476 ibidem S. Justinæ corpus quiescere, liquet ex instrumento ejusque anni, quo S. Justinæ monachis, novum templum S. Justinæ condere meditantibus, arcam corporis ejusdem Sanctæ removendi facultas facta est : ita id habet apud Savium pag. 114 ab eodem e civitatis Tabulis descriptum : mcccclxxvi. xiv Januarii in Concilio. Nomine vene : religiosorum monachorum S. Justinæ proposita pars infrascripti tenoris. Vadit pars, quod detur libertas religiosissimis viris DD. monachis S. Justinæ removendi archam gloriosissimæ virginis S. Justinæ de loco, ubi de præsentis est, et reponendi in capite loci, noviter constructi sub altari Magno; cum hoc, quod de novo construi faciant archam lapideam ornatam et condignam suis expensis, in qua collocetur corpus dictæ gloriosæ virginis Justinæ. Item quod tempore, quo etiam remove valent, convocentur ante prædicta Sp. sp. \* ad*

\* Sapientes, ut vocant.

Octobris Tomus III.

utilia et ad ecclesias deputati, et alii cives, qui eis videbuntur, qui habeant facere inventarium de corpore ipsius gloriosæ Justinæ, et interesse debeant tempore collocationis ipsius corporis, et de his omnibus fiat documentum per cancellarium Paduæ ad perpetuam rei memoriam.

AUCTORE J. B.

90 *Ex jam dictis et porro dicendis manifestum fit, nihil S. Justinæ monachos, quantum ad Sanctorum suo in templo quiescentium reliquias, innovare consuevisse, nisi petita a Paduano magistratu obtentaque licentia, et coram civitatis deputatis : id qua de causa fiat, juverit hic obiter observasse; nempe, quod Sanctorum corporum illic quiescentium dominium penes civitatem sit, penes monachos vero earum custodiendarum cura : quod dixi, ex documento publico, anno 1605 die 26 Novembris exarato, et a Savio pag. 158 et seq. excuso, conficitur, in quo de Dominico de Cononia, ut partem reliquiarum S. Prosdocimi statuæ argenteæ inserere sibi liceret, petente, hæc habentur : Unde dictus Rev. abbas exposuit, desiderium suum et totius monasterii sui esse collocandi unam particulam sive reliquiam corporis gloriosi S. Prosdocimi, primi episcopi et protectoris hujus magnificæ urbis, in una statua argentea, adinstar illius D. Justinæ, ad honorem et gloriam Divinæ Majestatis, et ad devotionem et ornamentum ipsius civitatis; sed quia tale suum desiderium non potest debitum sortiri effectum absque licentia representantium hanc magnificam civitatem; cum optimè sciat, civitatem ipsam esse dominam corporum et reliquiarum Sanctorum et Sanctorum in ecclesia dicti sui monasterii collocatorum, et quod monasterium est simpliciter custos eorum, et quod sine assensu civitatis non potest aliquid amoveri neque alterari, quapropter suppliciter petebat etc. Ad reliquiarum S. Justinæ historiam regredior.*

obtenta prius a civitate licentia.

91 *Quam petierant monachi S. Justinæ anno 1476, ut paulo ante videmus, facultatem, ut S. Justinæ corpus e loco, in quo erat in veteri templo, in aram maximam ejusdem transferre possent, anno 1502 suum tandem effectum sortita est sub Eusebio Fontana Mutinensi, S. Justinæ abbate, instituta tamen prius per Petrum Barocium, Patavinum episcopum, qualicumque inquisitione, num in veteri martyrio, vere Sanctorum corpora, quæ ibi delitescere putabantur, continerentur, ut Cavacius scribit ad annum mox memoratum : reperta autem arca, quæ S. Justinæ corpus, de quo maxime trepidabatur, continebat, auctoritate publica peracta sunt cetera, quæ in publicas tabulas relata ex civitatis Tabulario a pag. 116 ita exhibet Savio : In nomine Domini Jesu Christi Amen : anno a Nativitate ejusdem millesimo quingentesimo secundo, Indictione v, die vero Lunæ xxv Julii in solemnitate S. Jacobi, tempore ducatus serenissimi principis D. Leonardi Lauredani, incltyi ducis Venetiarum etc. : jus dicentibus Paduæ clarissimis DD. Thoma Mocenico prætore, et Andrea Venerio præfecto. In ecclesia S. Justinæ coram reverendissimo in Christo patre et D. Petro Baroccio, Dei et Apostolicæ Sedis gratia dignissimo episcopo Paduæ, Rev. patribus D. Placido de Verona, abbate S. Sixti de Placentia, D. Luciano de Parma, abbate S. Benedicti de Ferraria, D. Sebastiano de Venetiis, abbate S. Pauli de Bergamo, D. Joanne Venetiis, abbate S. Benedicti de Mantua et præsi-*

anno 1502 in aram veteris templi transferunt

F

AUCTORE  
J. B.

dente congregationis S. Justinæ, Hieronymo de Valentia, abbate S. Euphemie de Brixia, D. Andrea de Placentia, Priore S. Justinæ de Padua, D. Eusebio de Mutina, abbate S. Justinæ, nec non in præsentia Sp. Sp. DD. Hieronymi de Obicis, equestris ordinis viri, Gabrielis ab Horologio, Jacobi de Leone Doctorum et Alberti Trapolini ad utilia reipublicæ Patavinæ, Francisci a Lignamine, Hieronymi de Ponte ad ecclesias deputatorum.

coram opti-  
matibus Pa-  
tavinis

92 Interfuere etiam et alii plures spectati viri ac nobiles, vocati per occasionem, aut introducti studio videndi, aut devotionis gratia, inter quos in primis spectatissimi equites DD. Annibal de Capitibus Listæ, Franciscus Docto, Scipio de Sanguinatiis, Antonius Franciscus de Doctoribus, Hieronymus de Grompo, Benedictus de Doctoribus, Sigismundus de Capitibus Listæ, Bonifacius Bonfio, Alexander de Doctoribus, Franciscus de Sala, Nicolaus Barisonus, Hieronymus de Polcastris, Joannes Andreas Ungarellus, Jo. Antonius ab Horologio. De sacro collegio Doctorum, Sp. civ. S. Antonius Docto, Nimerius de Comitibus, Jacobus et Isac fratres ab Horologio, Marcus Antonius de Mussatis, Obizzo et Jacobus Papafava, Aloisius de S. Sophia, Paulus de Leone, et Gabriel a Savonarola. Postremo S. Melchior Lupatus scriba reverendi D. Episcopi, Antonius Philippinus, Franciscus a Prato, Augustinus a Curtivo, Antonius a Concheellis, Julius Salgherius, et Philippus de Bargatio ex collegio et numero notariorum Paduæ.

ob novi templi  
structuram  
reliquias  
S. Justinæ

93 Cum propter reedificationem templi S. Justinæ, minantis ruinam, oporteret remove ac dissolvere nonnulla Sanctorum sepulcra, aperta fuerunt infrascripta sepulcra : in primis arca quædam duri lapidis, jacens a leva seu sinistro latere chori, procedendo ad capellam B. Lucæ, in qua inventæ sunt duæ capsulæ plumbeæ, in quarum majore reperta sunt ossa divisa et separata sive disjuncta cum tribus capitibus humani corporis sine uno \* litterarum titulo, quæ dicuntur et affirmantur esse SS. Maximi et Juliani confessorum, et Felicitatis, femine illustrissimæ : in altera capsula minore extabant ossa separata parvi corporis, sine ullo vestigio capitum, per tot annorum tabem absumptorum, quæ dicuntur ossa trium Innocentium, quæ ossa S. Julianus prædictus, ter reversus a sepulcro Domini, dicitur secum detulisse, collocasseque in ecclesia S. Justinæ, quorum Sanctorum loca, ubi quiescebant, incogniti \*, Bernardus antistes, vir bonus, adinvenit, Henrico II \* imperatore regnante, anno Dominicæ Incarnationis cxi (imo 1055) sub choro dissoluta lapidum congerie adinstar sepulcri, jacens super quatuor columnis, inventa est arca duri lapidis pedum circiter quatuor, in qua extabat capsula quædam plumbea, in cujus summitate erat inscriptio : « Hic requiescit corpus » B. Justinæ Vir. et Mar. Christi » et in ea reperta sunt ossa disjuncta et separata cum capite humano, quæ ossa dicuntur et affirmantur corporis B. Justinæ filiæque Vitaliani regis Paduæ, jussu impiissimi Maximiani gladio confossæ, cujus corpus sepelivit S. Prodocimus in ecclesia prædicta.

altorumque  
Sanctorum;

94 In altera vero archa, jacente a latere prædicti sepulcri sub choro, inventa est una capsula plumbea, nullis litteris inscripta, in qua

extabant ossa sine capitibus humani corporis parvi, quæ dicuntur esse Innocentium : cæterum in ea archa extabant ossa sine capite corporis humani, sine ulla memoria aut titulo : scilicet affirmantur ossa B. Urii monachi, qui ex Constantinopoli Patavium transtulit et collocavit in templo B. Justinæ corpora B. Lucæ Evangelistæ et Mathiæ Apostolorum \*, ubi et ipse Deo serviens sepultus fuit. In archa vero in muro clausa duri lapidis in capite ecclesiæ a latere dextero inventa est una capsula lignea pedum longitudinis circiter sex \* disjuncta, cum capite humani corporis magni sine ullo titulo aut inscriptione, tecta panno lino recentissimæ albedinis, quæ ossa dicuntur et affirmantur B. Arnaldi abbatis S. Justinæ, passi sub tyranno Eccelino. Quæ ossa singulis capsulis ligneis, in syndone involuta, collocata fuerunt, clausa et sigillata tribus sigillis : altero Rev. D. episcopi : secundo abbatis S. Justinæ : tertio reipublicæ Patavinæ, et post solemniam Missarum, processionaliter portata circa pratum vallis, coopertum undique pannis, præcedentibus fratralibus temporalibus et spiritualibus cum vexillis, et omni clero et doctoribus utriusque gymnasii cum Bavaris \*, et multitudine populi copiosa, demum recondita apud altare Magnum, donec reedificata ecclesia, corpora prædicta suis certis locis collocabuntur, ibi perpetuo mansura ad L. O. D. id est, Ad laudem omnipotentis Dei.

\* I. Apostoli

\* suppl. : in  
qua extabant  
ossa

E  
\* seu banda-  
riis

#### Locus Sigilli

Ego Zandominicus Spazzarinus Cancel. Mag. Com. Paduanæ q. s. Danielis imperiali not. civis Patavinus, rogatus prædicta feliciter notavi : ossa prædicta vidi et tetigi, qui anno mcccclxiii etiam vidi et tetigi ossa B. Lucæ Evangelistæ, et in fidem præmissorum me subscripsi, appositis signo et nomine meis consuetis tamquam Cancel. Com. Paduæ.

95 Idem Spazzarini, cancellarii Patavini, de quibus translatis ad tempus prædictorum Sanctorum in aram Majorem ecclesiæ S. Justinæ veteris reliquis testimonium habemus Ms., ex bibliotheca S. Justinæ anno 1688 excerptum, et ad Majores nostros a Joanne P. Baptista Romagnoli Societatis nostræ huc transmissum; ex quo lectione aliquot, ut vocant, variantes annotavi : plures quidem hujusmodi reperi, sed tanti momenti non sunt mihi visæ, ut illis omnibus paginæ marginem onerandum judicarem. De sanctis in illo memoratis pauca subijcio; nimirum de Maximo, Juliano, Felicitate, Urio, B. Arnaldo, Luca Evangelista, et Mathiæ Apostolo. S. Mathiam Commentario illustravit Henschenius ad diem 24 Februarii, ubi de S. Apostoli reliquiis per varia loca dispersis agit toto § 4; Patavinarum vero meminit num. 25, observatque, eas a Scardonio, lib. II Rerum Patavinarum præcipuas illius civitatis reliquias enumerante, fuisse præteritas. Ceterum ex ibidem dictis colligi satis potest, non esse, cur monachi Benedictini S. Justinæ velut de toto S. Mathiæ corpore, apud se servato, gloriantur, quod illos facere, in Sacratio Benedictino Buccelinus ait. De S. Lucæ Constantinopolim, unde ejus reliquiæ Patavium delata dicuntur, translatione actum obiter est apud nos ad diem 9 Maji in Prætermisissis : plura dabuntur ad diem 18 Octobris, quo colitur.

F

96 B. Arnaldi Catanei, S. Justinæ abbatis, in carcere, cui cum tyrannus Eccelinus includi jussit,

in singulatis

serat,

A serat, anno 1233 extincti Vitam, a monacho Paduano, ejus discipulo exaratum, dedimus die 10 Februarii pag. 499; quem locum consulat, qui plura de illo discere voluerit. Paulo plura de S. Urio dicenda, qui corpora SS. Mathiæ et Lucæ Constantinopoli Patavium detulisse fertur. Egit de eo Papebrochius noster tom. II Martii pag. 610 et seq., consuleratque dumtaxat Cavacium apud Ughellum SS. Maximi, Juliani et Felicitatis inventionem anni 1048 describentem, Scardeonium, Wionem et codicem Ms. e bibliotheca Ambrosiana. Cumque nihil certi de horum Sanctorum ætate statuere valuisset, et ex Wione eodem die, seu 17 Martii, S. Juliano sacro, signari in antiquo S. Justinæ monachorum Calendario S. Urium didicisset, unum eundemque sub duplici nomine, aut uno, sed corrupto, intelligendum existimabat: huc accedebat, Wionis de delatis ad S. Justinæ templum Innocentium Puerorum ab Herode occisorum reliquiis opinio, quæ Juliano æque atque Urio congruebat. Denique parum verosimile Papebrochio visum, ut tam solemniter declaratus Sanctus (nimirum Urius, ut Wion, licet falso, ad diem 17 Martii ait, nisi idem esset, qui S. Julianus) præteritus fuerit in Calendario; alius autem in id relatus (Urius a Juliano diversus) omnino ignoretur, qui quis qualisve fuerit. His, inquam, de causis Papebrochius, qui Savioli Opus, nondum, cum ista scribebat, in lucem emissum, videre non potuit, SS. Julianum Uriumque confudit.

nonnulla hic obiter

97 Verum si hæc monumenta, serius, quam Papebrochius ista scripsit, accepta, eidem videre licuisset, aliter, ut vix dubito, locutus fuisset, quod jam pridem ante me Petrus Boschius indicavit tom. I Augusti de S. Maximo, episcopo et confessore Patavii, num. 12 pag. 111: etenim non modo ex documento jam allato, quo alia in arca corpora S. Juliani et trium Innocentium, ab ipso, ut aiunt, Patavium delata, in alia vero corpora S. Urii et unius ex trium Innocentium numero (in altera arca lapidea S. Urii ossa, in altera vero, item lapidea, ossa unius ex Innocentium numero inventa fuisse, scribit Cavacius pag. 239) inventa dicuntur, liquet Patavinos alium credidisse S. Julianum et alium S. Urium; sed etiam ex inscriptionibus, quæ una cum SS. Juliani et Urii corporibus fuerunt inventæ. S. Juliano hæc erat inscriptio: S. Julianus fuit Christianissimus, qui, cum multis vicibus limina sepulchri Domini nostri visitasset, tandem tres Innocentes secum deferens in æde S. Justinæ collocavit, ubi et corpus ejus requiescit in Domino: hæc vero de S. Urio reperta sunt: Horum (SS. Mathiæ et Lucæ) in Apostolorum ecclesia in Constantinopoli urbe devote custodita D. Urius ecclesiæ custos, videns sevitatem Juliani apostatæ, Constantini \* successoris, contra fideles; impius enim imperator non solum in vivos Christi servos seviabat, sed mortuos etiam, cruce, et alias imagines, ne quid eorum memoriam posteris relinqueretur, concremare procurabat, divino allato, capite S. Mathiæ Grusillo ejus socio relicto, in navi Italiam petens imposita Venetias primum, deinde Patavium detulit, et in æde S. Justinæ devote collocavit, ubi et ipse Deo serviens voluit sepeliri.

\* I. Constantii

annotantur.

98 Haud equidem vera esse omnia, quæ mox de S. Juliano et Urio sunt recitata, vadem me præbeo; quod ignotæ mihi ætatis sint producta jam statim horum Sanctorum elogio. Scardeonius quidem jam inde ab Attilæ tempore, cum illius

metu sub annum 432 absconsa fuere a Patavinis Sanctorum corpora, confecta autumnat; sed cum non ab Attilæ solum, ut supra vidimus, sed etiam ab Agilolpho, Longobardorum rege, anno 601 secundum Ursatum, et post ab Hungaris diris claudibus affecti fuerint Patavini, dubium omnino manet, ut recte Papebrochius supra laudatus monet, quo id tempore reipsa contigerit: Cavacius rem refert ad Rosii, Patavini episcopi, tempora, qui sub annum 871 e vivis excessit. Satis tamen inde apparet, jam tum, quando ista elogio primum confecta fuerunt, eam Patavinorum animis insedisse opinionem, alium fuisse S. Julianum, alium S. Urium. Interim vero et illud apparet, quam levi de causa Wion S. Urium Benedictinis adscripsit. Quod ad reliquias SS. Mathiæ et Lucæ a S. Urio Patavium, ut aiunt, Constantinopoli translatas attinet, id ad diem 18 Octobris discutiendum relinquo. S. Felicitas in Actis nostris locum habet tom. III Martii pag. 682; S. vero Maximus tom. I Augusti a pag. 109, ubi, cum num. 15 fidem suam Majores nostri obligarint fore, ut hoc die binas Sanctorum aliquot, e quorum numero S. Justinæ est, in S. Justinæ templo corpore quiescentium, translationes annorum 1502 et 1562 darentur, posteriorem e Saviolo, ut fidem datam porro liberem, jam proponam binis §§ sequentibus.

AUCTORE J. B.

## § VII. Earumdem reliquiarum in templum novum translationi separant monachi S. Justinæ.

Anno Domini 1362 jam eo processerat templi novi fabrica, ut supradictis Sanctis extractæ essent aræ, paratæque vario e marmore, quæ in illis reconderentur, aræ: itaque D. Peregrinus Mutinensis, S. Justinæ abbas, ad transferendas ritu solemnem e veteri, in quo ea de causa ab anno 1502 fuerant depositæ in templum novum S. Justinæ aliorumque Sanctorum reliquias animum appulit, idque reipsa præstitit eodem anno, die 15 Martii, Dominica Passionis, quæ dies, inquit Cavacius lib. vi pag. 281 apud Casinenses Patres perpetuo celebris remansit: nos autem Dominicam Quadragesimæ, Salvatoris Passioni dicatam, qua Sanctorum translatio contigit, celebriorem habemus, et post vespertinam sinaxim cum Sanctorum reliquiis quotannis templum circumimus. Rerum gestarum seriem, tunc descriptam et legitimis testimoniis firmatam, typis edidit Petrus Saviolus in Thesaurio Paduano a pag. 120, e quo illam hic recudemus. Eandem quoque habemus in Mss., sed brevius; et a Savioliana relatione subinde discrepantem, sed in minoris momenti rebus. Quædam etiam Ms. relatio habet, quæ in illa non reperiuntur; ut ea, quæ de ornamentorum præparatione narrat, quæ tanti momenti non esse putavi, ut huc transcribenda necessario essent; ut indulgentias plenarias a Pio V eo die fuisse S. Justinæ ecclesiam visitantibus concessas; denique ad solemnitatem convenisse quadraginta hominum millia; et si quæ hujusmodi alia.

Sanctorum corpora e veteri

F

100 Sic igitur legitur apud Saviolum mox laudatum: In Dei omnipotentis nomine. Satis constat, divum Prosdocium, nativitatibus anno

S. Justinæ

anno

AUCTORE  
J. B.

\* decimo  
septimo

\* I. Maximia-  
nus

templo

vigesimo, a beato Petro Apostolo ad episcopale munus promotum, Patavium, urbem nobilissimam, destinatum, anno post Christum circiter decimum septimum \* pervenisse, Vitalianumque regem, Præpedignam, ejus uxorem, et urbis populum, ad Christi fidem conversos baptizasse: multos diversis languoribus oppressos sanando, aliaque miracula in Jesu Christi nomine faciendo: qui filiam ex rege reginaque, post baptismum conceptam, Justinæ nomine ei imposito, baptizavit, sanctarumque litterarum imbuendo disciplina, quæ inter generosas mulieres præclaræ indolis fama decorata, toto vitæ suæ tempore, spreto mundanis deliciis, mente et corde Deo omnipotenti inserviens virgo pro Christo martyrium subiit: nam Maximilianus \* subcasareus imperator impiissimus, audita morte Vitaliani regis, concito cursu Patavium ingressus, ardens in concupiscentiam Virginis, missis militibus, Justinam ad se adduci fecit, ut, relicto Christiani nominis cultu, idolis compelleret immolare, sperans hoc modo ejus thalamo frui: quæ, cum æterni Sponsi delicias adamaret, cuncta, quæ pro terreno sponso sibi promittebantur, aurum, argentum, servos et ancillas parvifaciens, pœnis diversis cruciata, Martem adorare nolens, jussu crudelissimi imperatoris, gladio lateri ejus infixio, moriens Christo spiritum commendavit; cujus corpus accipiens divus Prodocimus in condigno collocavit loco. *Nonnulla in hac S. Justinæ historiam observanda essent; sed, cum de iis sermo fuerit in superioribus, iis repetendis, quæ jam dicta sunt, supersedeo. Sic itaque tabulæ Patavinæ apud Sarcophagum prosequuntur.*

101 Mortuo autem Maximiano, Opilius patricius, vir Christianissimus, ædem, quæ erat Concordialis, multis opibus donatam, in honorem S. Justinæ construi procuravit, prope eam faciens oratorium, S. Mariæ dicatum, utroque, ecclesia et oratorio, per D. Prodocimum consecrato, qui, cum in episcopatu annis nonaginta tribus, mense uno, diebusque quindecim vixisset, voluit ibi sepeliri: hæc partim vidisse, partim intellexisse a D. Prodocimo testatur Maximus, in episcopatu successor. *De Opilione ac condito ab illo templo S. Justinæ consule §§ 5 et 4. De Actis S. Prodocimi, S. Maximo affectis, actum est § 1, ut nec hic longiorem moram trahere sit necesse.* Quæ divino afflatu facta, credendum est: nam divina Majestas in æde ipsa corpora Lucæ Evangelistæ, Mathiæ Apostoli, Maximi episcopi, Juliani martyris (*qui tamen infra num. 105 confessor appellatur*) Arnaldi abbatis, Felicitatis et Urii, amicorum suorum reponi, diligenterque et sancte custodiri voluit: trium item Innocentium corpora huc deferri ordinavit; quæ diu tum temporis vetustate, tum barbarorum rabie, novissimeque anno a Christi Natalibus septuagesimo quarto supra millesimum centesimum (ut documenta in archivio cœnobii S. Justinæ existentia, ut refertur, attestantur) incendio desolata (*vide num. 86*) Spiritu sancto cooperante, incognita in lucem venerunt, ut Patavium urbs eorum meritis læta conservaretur, in quibus omnipotens Deus mirabilia fecit, et hoc potissimum tempore, prout paulo post ad comprimendum incredulorum duritiem, vel potius insaniam, comprobatur. Horum devotionem monachi Ordinis sancti Benedicti in cœnobio dicti loci religiose viventes conservarunt, diligentesque, æde vetustate labente, cor-

pore S. Justinæ et aliorum, quorum mentio paulo post fieri convenit, in altari majore custodiri jusserunt, in novum templum, quod facere constituerant civitatis monitu et exhortationibus, prout cavetur ex tabulis consilii sub anno MCCCIV transferenda.

102 Unde memores, illud jam multos annos fundatum, tandem studio et diligentia Rev. D. Peregrini Mutinensis, Congregationis Cassinensis Ordinis præmemorati præsentis, ac ejusdem cœnobii abbatis, urbis Patavii dictique loci amantissimi, ea arte, eoque ordine singulis bene dispositis, monachi ita construi procurarunt, ut, parte jam magnifice fabricata, quod superest, indies auctum, clarissimum fore, facile ostendatur; quo fit, ut, quemadmodum urbs Patavium locorum amœnitate, ædibus magnifice fabricatis, viris virtute et prudentia præditis, et gymnasio, in quavis litterarum scientia florente, decorata, merito inter primas totius orbis terrarum urbes connumeratur; ita templum, D. Justinæ dicatum in hac eadem urbe, tum dictorum Sanctorum devotione, tum amplitudine sua, mirabilique artificio erectum; inter clarissima in quavis urbe fabricata posterius haberi non possit. Proinde Opilio fundatori, patri patriæ, et Vitaliano Præpedignæque, ejus uxori, triginta diebus post eum defunctæ, D. Justinæ parentibus, huic in dextero, illis in sinistro capellæ Majoris templi novi elogium marmore inscriptum monachi pietissimi posuerunt.

103 Quamobrem anno a Christi Jesu Natalibus sexagesimo secundo supra millesimum quingentesimum Ind. v, sub S. D. N. Pio quarto, Pontifice maximo, et exc. D. Hieronymo Priolo, inclyto Venet. duce, Rev. Jo. Busdrago Lucense, Argolicense episcopo, pro illustrissimo Cardinale Pisano, in episcopatu suffraganeo locumque tenente: præmemorato presidente abbate, sub se Don Celso Veronensi ac monachis circiter octuaginta, religiose in cœnobio ipso degentibus, clarissimo D. Aloysio Mocenico, equite prætore, et Hieronymo Ciconæ præfecto, pro illustrissimo Duc. Dom. Venetiarum urbem regentibus; mag. Bonifacio Papafava, et Francisco Capite Vaccæ ex ordine equestri, Antonio Vicoagere, Trapolino de Rustica, et Hieronymo Polcastro Sapient. ad utilia Reip. deputatis; Francisco Capitelistæ ex eodem equestri ordine, Petro Bagarotto, Baptista de Doctoribus, et Antonio Borromeo, ecclesiarum provisoribus Paduæ existentibus cum abbas, monaci, sapientes, provisors, cæterique patres corpora Sanctorum ex æde veteri (ibi enim corpora ipsa existere, publica documenta tam in canc. urbis archivio, quam in dicto cœnobio extensa verissima \* reddebant testimonium) in partem novi templi, ad honorem Dei sub ejusdem D. Justinæ titulo fundati, magnifice fabricatam in arcis, marmore lecto singulis præparatis, reponenda, perpetuo permansura transferre decrevissent; considerantes, quod divina Majestas, ob merita amicorum suorum in multis pietatem misericordiamque suam ostendens, fidem Christianam confirmabit, devotionemque eorumdem augebit, operæ pretium esse duxerunt, per me Joan. Mariam Mazocum, urbis cancellarium, ea, quæ in dies gesta, quoque \* confirmata fuerunt, ad perpetuam successorum memoriam in scriptis redigi debere. D. L.

104 Die itaque Mercurio, quarto Nonas (Ms. xi) Martii,

in novum  
translatum  
monachi

quocumque  
gerenda es-  
sent, conscribi  
jubent.

\* verissimum

\* an queque?

A Martii, sub Spiritus sancti nomine ad altare majus templi novi solemniter Missa, devote celebrata, rev. suffraganeus abbas, clarissimi, rectores, sapientes, provisores, ceterique patres, qui praedictis interfuerunt, videntes, populum et utriusque sexus multitudinem devotionis gratia in templum jam congregatum, et undequaque confluentem continue magis augeri, Sanctorum corporum extractionem perdifficilem periculosamque esse censentes, rem ad post Nonam remisissent, tacito modo populo licentia data. Eadem die, hora circiter vicesima, praedictis Rev. abbate, uno episcopo Romano, Capranico nuncupato, qui accedens ad Tridentinum concilium in caenobio S. Justinæ hospitabatur, ritu episcopali indutus, multis monachis, cereis accensis, praecedentibus atque laudes condignas omnipotenti Deo reddentibus, mag. DD. Bonifacio Papaava, et Francisco Capite Vaccae praenominatis, Julio Bradiolo, et Annibale Buzzachareno, in utroque jure peritis, hoc Antonii Rustica absentis, illo Hieronymi Polcastri apud illustrissimum dominium Venetum urbis oratoris loco, sapientibus ad

B utilia Reipublicae provisoribus ecclesiarum, ac aliis multis devote subsequenter, ad altare majus ædis veteris perventis; constabat enim publico documento a Jesu Christi Natalibus anno secundo supra m<sup>o</sup> celebrato, in libro partium Communis pag. cxi. extenso, corpora sancta infra nominata in quinque capsis ibi reposita extitisse; pariete altaris in cornu dextero dirupto, coopertum namque commode elevari non poterat, in eo capsæ quinque lignæ, longæ circiter pedes quinque, inventæ, indeque extractæ, in novum templum delatæ fuerunt.

105 Prima quarum fune ligata et in compagine tribus sigillis, uno D. Justinam, alio unius episcopi, tertio Com. Paduæ signum, cera impressum, tenentibus communita, hæc verba scripta in cooperto legebantur: « Justinæ virginis et martyris. » Reliquæ autem capsæ dictissimè sigillis tantum communitæ singulæ in cooperto indices habebant suos. Secunda « S. Felicitatis feminae; S. Maximi episcopi, et Concessoris Juliani. » Tertia trium Innocentium. Quarta S. Arnaldi. Quinta S. Urii. Deinde deventum fuit ad capellam, divo Lucae dicatam; elevato cooperto arcæ, ex alabastro factæ, in ea cooperta, indeque in templum novum devote delata, una capsæ plumbea ad instar cophini, longa circiter pedes quinque, nulla fune, nullisque sigillis clausa tantum, in qua ossa D. Lucae Evangelistæ inesse, verissimum reddetur testimonium per ea, quæ paulo post adducentur. Postremo elevato cooperto arcæ, in Capella S. Mathiæ Apostoli existentis, inventa, indeque extracta, in templum novum devote delata fuit una capsæ lignæ, consimilis prædictæ, tribus sigillis tantum in compagine appositis, in qua reperiri corpus S. Mathiæ Apostoli, lama \* plumbea litteris impressis desuper affixa testabatur. Cæterum quia in aperiendis capsis aliisque adimplendis tempus non suppedibat, septem capsæ prædictæ in loco testudineo, vulgo « detto Sotto Confessione » depositæ duobus sigillis, altero reveren. suffraganei, qui, dum prædicta fierent, supervenit, altero Com. Paduæ, per me cancellarium communita, cereis hinc inde accensis nonnullos monachos nocte custoditæ fuerunt.

\* lamina

106 Interea quidam juvenis curiosus, ingressus altare, ex quo Sanctorum corpora extracta fuerunt, invenit, præfatoque reverendo abbati, presentibus DD. sapientibus, provisoribus et aliis, exhiberi fecit unam capsulam plumbeam, longam circiter pedem dimidium, ita clausam et consolidatam, ut facile aperiri non posset, in qua tres globuli, syndone viridi sericea involuti, muniti fuere, quibus resolutis, in singulis index extabat sub his verbis: uno « S. Siméonis et Judæ Apostolorum: » alio « Istæ sunt » reliquæ S. Lucae: » tertii verba, ob vestustatem caduca, legi non potuerunt, quas reliquias tempore consecrationis altaris ibi repositas, assertum fuit, D. Celso Priori in eadem capsula traditas custodiendas. Verum ne ea, quæ memoria digna sunt, silentio prætereantur, divina Majestas hoc in primis signum (ut quidem interpretati sunt) in sanctis suis ostendere voluit. Nam cum, dirupto pariete altaris, corpora Amicorum Dei extrahi cæptum est, cælo tunc limpido, soleque claro ex improvise nebula obumbratis, nix hoc anno in urbe Patavio minime visa, e cælo cadere cæpit, et per fenestram ex opposito altaris, forte tunc apertam, super corpora Sanctorum ad nosque adstantes venti vi impulsæ, vere manna apparebat. Corporibus autem sanctis extractis, cælum, solque clarior apparuit: ex quo (Manum \* enim Bonum designatur) credendum est, omnipotentem Deum ob merita Amicorum suorum urbem Patavinam conservaturum.

107 Die Jovis, tertio Nonas ejusdem mensis, Rev. abbas, monachi, sapientes, provisores, cæterique cives corpora Sanctorum videre, et populo universo, devotionis gratia adstanti, ostendere cupientes, in locum subconfessionis perventi, capsas aperiri jusserunt. In capsæ plumbea adinstar cophini comperta et visa fuerunt ossa D. Lucae Evangelistæ sine capite, de quibus documentum in urbis archivio rubeo folio 174 anno a Christi Natalibus lxxii supra mccccxi \* celebratum reddit testimonium. Hoc item duobus elogiis in ipsa capsæ, altero in vitro, altero in ligneo bussolis compertis, infra registratis comprobantibus: « Qui spiritu sancto repletus Evangelium scripsit, Actusque » Apostolorum, teste D. Hieronymo, declaravit, et annis lxxiv natus, in Bithinia obiit, » cujus benedictum corpus anno xx imperii Constantini Constantinopolim delatum in ecclesia » Apostolorum custodiebatur. » In alia capsæ lignæ consimili comperta fuerunt ossa S. Mathiæ Apostoli sine capite cum uno elogio hoc testante: « Hic, cooperante Spiritu sancto, » orante Petro, in Apostolorum felici consortio » connumeratus est. » Horum corpora, in Apostolorum ecclesia in Constantinopoli urbe devote custodita, D. Urius ecclesiæ custos, videns sævitatem Juliani Apostatæ, Constantini (imo Constantii, Constantini filii, saltem proximi) successoris, contra Christi fideles (impus enim imperator non solum in vivos Christi servos sæviebat, sed mortuos etiam, cruces et alias Sanctorum imagines, ne quid eorum memoriae posteris relinqueretur, concremare procurabat) divino afflatu, capite S. Mathiæ Grusillo, ejus socio, relicto, in navi Italiam petens imposita Venetias primum, deinde Patavium detulit, et in æde S. Justinæ devote collocavit, ubi et ipse Deo serviens voluit sepeliri. Caput autem S. Lucae

AUCTORE  
J. B.  
in templum  
novum delatæ.

E

\* Manna

postridie singularum

\* lege: mcccc

F

cæ

AUCTORE  
J. B.

cæ per Federicum imperatorem, Barbarossa nuncupatum, ablatum extitisse fertur, Romæ autem delatum custodiri, testatur Breve Apostolicum, datum Romæ anno a Nativitate Domini MCCCCLXIV. Eod. in Rubeo pag. 174 regist. etc. *Baronius in Annalibus ad annum 586 num. 23, Gregorium Magnum S. Lucæ caput Romam Constantinopoli detulisse, scribit: Fredericus vero sæculo tantum duodecimo fuit: sed et Petrus de Natalibus lib. IX, cap. 79 ipsam S. Lucæ Patavium translationem pro fabula habet. Verba ejus sunt: Cujus ossa (S. Lucæ) regnante Constantino imperatore, anno XX imperii ejus cum reliquiis Andree Apostoli Constantinopolim translata sunt: licet cives Paduæ urbis ipsius corpus præsentialiter fabulentur se habere, in ecclesia videlicet sanctæ virginis Justinæ. Verum hæc ad diem 18 Octobris, S. Lucæ sacrum, discutienda sunt fusiis: redeo ad translationis S. Justinæ instrumentum.*

thezarum et  
reliquiarum.

408 In altera capsula lignea, S. Justinæ indicem tenente, aperta, altera capsula inventa fuit plumbea, longa circiter pedes tres, litteris in cooperto impressis, dicentibus: « Hic requiescit corpus B. Justinæ virg. et martyris, » crucis signo in utroque litterarum capite impresso; qua capsula aperta, in ea comperta et visa fuerunt caput et ossa dictæ sanctæ Virginis cum uno bussolo argenteo, ac elogio hæc comprobante, de quibus in documento præallegato, in anno MIII celebrato, fit mentio. His maxima cum devotione visis, capsula ipsa fuit clausa, fune ligata, sigillisque communita. In alia capsula comperta fuerunt ossa parva trium Innocentium per D. Julianum a S. Sepulcro Domini delata, et in æde S. Justinæ reposita. Prædicta autem corpora sancta diu, ut dictum est (num. 101) supra, abscondita Rev. Gerardus, Paduæ episcopus, in anno a Christi Natalibus MCLXXVII munivit, in arcisque condignis collocata monachi diligenter custodierunt. Deinde aperta capsula infrascripta S. Urii, comperta visaque fuerunt ossa S. Urii, de quibus elogium in ea existens, documentaque, in urbis archivio registrata, verum reddunt testimonium. Hic Dei amicus, ut dictum, corpora SS. Lucæ et Mathiæ, ex Constantinopoli delata, in æde S. Justinæ collocavit.

C  
de quibus obiter hic aliquid observatur.

409 Quocumque tandem tempore SS. Mathiæ et Lucæ reliquias nacti forte fuerint Patavini, dubium non est, quin Mariæ Mazzoci cancellarii ea de re relatio, quam supra num. 107 habes, a vero deflectat. Stante enim illa, S. Lucæ ossa ab Urio Constantinopoli Patavium delata fuisse oportet Juliani Apostatæ ætate: atqui aliunde constat, S. Lucæ corpus Constantinopolitanæ sanctorum Apostolorum basilicæ ex Procopio, illius ætatis scriptore, a Constantino Magno, illatum, ibidem saltem usque ad Justiniani Senioris imperatoris tempora, id est, usque ad sæculum sextum fuisse conservatum: sic habet lib. I de Edificiis cap. 4. Constantinus Augustus, inquit, interprete Mal-treto, ædem Apostolis hanc posuerat, eorumque gloriæ ac nomini consecravit. Nullam autem notam reliquerat, quæ ibi jacere Apostolos testaretur; nec locus ullus speciem offerebat conditorii sanctorum corporum. At hunc, cum hoc templum Justinianus reficeret, artifices, effosso penitus pavimento, ne quid restaret male compositum, ligneos viderunt loculos tres, illic habitos derelicti, ac suis significantes inscri-

ptionibus, Andrea, Lucæ ac Timothei Apostolorum inesse corpora, quæ imperator ipse, Christianique omnes maxima cum voluptate spectarunt. His pompa ac festi celebritate ornatis, solitisque honoribus rite persolutis, oculos loculos humo denuo mandarunt; ac ne locus nota ad memoriam insigni et frequentia careret, Apostolorum corporibus illum pie dedicarunt. Hinc vero apparet etiam, nec S. Mathiæ reliquias Juliani ætate Patavium fuisse ab Urio translatas. Quid porro Mazzoci referat, audiamus.

110 In alia capsula, inquit, inventa et devote visa sunt ossa S. Arnaldi abbatis cum uno elogio in membranis, hoc manifeste exprimente: « Hic servus Dei, abbas cœnobii S. Justinæ, in » anno Domini MCCCXXX a Jo. Dandolo potestate » (seu prætoris) et procuratore Com. Paduæ » cum licentia consilii aquam, per monasterium » nunc labentem, obtinuit, ut in fine statuti » veteris cathæna ferrea pendente in archivio » urbis existentis attestatur: postea jussu Eccellini tyranni crudelissimi carceribus intrusus, » ibi Deo serviens per annos octo, menses tres » in vinculis detentus, LXX vitæ suæ anno obdormivit in Domino. » Demum, aperta alia capsula, juxta illius index, comperta et devote visa fuerunt tria capita et ossa humana, quæ vere fuisse et esse, unum S. Juliani martyris, aliud S. Maximi episcopi et confessoris, tertium S. Felicitatis, mulieris illustrissimæ, elogia, ibidem comperta, manifestissime demonstrabant: » S. Julianus fuit vir Christianissimus, qui cum » multis vicibus limina sepulchri D. N. visitasset, » tandem tres Innocentes secum deferens in » æde S. Justinæ collocavit, ubi et ejus corpus » requiescit in Domino. S. Maximus fuit amicus » Dei, secundus episcopus Paduæ, D. Prosdoci » cimi successor. S. Felicitas fuit mulier illustris, Deo devota, sacro velamine dedicata. »

111 Hæc tria pariter corpora, per longum tempus abscondita, anno a Christi Natalibus quinquagesimo tertio supra millesimum per Rev. Bernardum, Antistitem Paduæ, ex revelatione divina fuerunt inventa, ob quorum merita divina Majestas tunc multa fecit miracula; nam, ut documenta in archivio cœnobii prædicti existentia testantur, cæci visum, surdi auditum, alique, diversis affecti languoribus, sanitatem recuperaverant. Quapropter divina Providentia Leo, Romanæ Ecclesiæ Pontifex Maximus, Patavium pervenit, ab ipso antistite susceptus, Paduæ per biduum moram trahens in æde S. Justinæ, ubi corpora Sanctorum inventa venerabantur, collecta in unum multitudine clericorum et laicorum, Missam celebravit, et civitatem, quæ antiquitus anathematis vinculo complexa dicebatur, pristinae benedictioni restituit (ob hæresim multis jam annis anathematis vinculo constricta fuerat, ut scribit Scardeonius lib. II, classe 6, ubi de S. Maximo, nimirum Arianam, ut Ursatus ad annum 1055) populumque in fide confirmavit, inventionemque Sanctorum canonizavit. Quæ novem Amicorum Dei Corpora, in dictis met capsis clausa, in subconfessionis loco, cereis accensis, nonnullis monachis devote custodienda commendata fuere. Cum autem rev. abbas, monachi, sapientes, provisos et ceteri patres corpora ipsa in medio templi novi ex opposito capellæ D. Lucæ dicatæ, deponi decrevissent.

D  
legitima  
inspecto

E

instituitur,

F

ut



A ut populus videre vota que sua adimplere posset, timentes, ne quid inconvenientis succedat, dum capsæ ipsæ apertæ extarent, tres aut quatuor monachos totidemque cives assistere, meque cancellarium onus aperiendi claudendique capsas suscipere voluerunt.

### § VIII. S. Justinæ aliorum- que Sanctorum reliquiæ in templum novum solem- niter transferuntur.

*A die vi Martii reliquiæ in conspectu populi,*

**S**ic rebus, ut superiore § vidimus, comparatis, nihil, quo minus jam solemnibus reliquiarum translatio institueretur, desiderari videbatur. Die itaque Veneris, pridie Nonas Martii in summo mane, omnibus congrue præparatis, in locum prædictum capsis delatis, et apertis, tanta populi et utriusque sexus multitudo ad corpora sancta visenda continuo concurrebat, ut a mane usque ad noctem quotidie confluens, alter alteri loco cedere non posset. Huc cæci conducebantur: huc surdi: huc muti: huc a dæmonibus vexati, aliisque morbis affecti accedebant, ob merita Amicorum Dei a divina Majestate pristinam sanitatem recuperare, votique compotes fieri sperantes: multi sincere devoteque divinum implorantes auxilium, intercedentibus ipsis Sanctis, gratiam obtinentes, vota sua quotidie offerebant. Inter cætera miracula, quæ omnipotens Deus ob Amicorum suorum merita (horresco referens) in iis gloriam suam manifestavit. Soror Camilla, Exc. Jur. Utr. periti Francisci Papafava, nob. Patavini, monialis professa in monasterio S. Annæ, Ordinis S. Benedicti, ob insupportabilem oculorum dolorem amborum, luce, deinde voce, postremo pedum beneficio privata; ita, ut nec videre nec loqui, nec pedibus stare posset, multum tempus hanc substinens infirmitatem, ita ut medicamina medelaque sibi cum maximo sui corporis dolore per Exc. medicinæ et chirurgiæ peritos quotidie præstita facere non potuerunt, ab omnipotenti Deo est consecuta.

*contingentibus interim non paucis miraculis,*

115 Nam præfata soror Camilla, considerans, quod ægritudo sua desperata ab omnibus habebatur, confessa et contrita, corpore Domini devote suscepto, ad ædem D. Justinæ sese deferri voluit, et ingressa locum, ubi corpora Sanctorum reperiebantur, devote super unoquoque preces porrigens suas, ad corpus S. Justinæ Cruce signando illos et oculos tetigisset, interrogata a nob. D. Bernardino Papafava, ejus patruo, an vidisset caput S. Justinæ benedictæ, respondit: « Missier si » *quod est* « Ita domine » ex quibus verbis a se prolatis stupefacta sensit, omnes suos sensus sui corporis commoveri, et ibi tunc (mirabile dictu) surrexit, nullo coadjuvante, per seipsam ambulavit, vidit et loquebatur. Voce itaque, visu, et pedum beneficio simul recuperatis, laudans omnipotentem Deum, quod super se, intercedentibus Sanctis suis, misericordiam fecerit, læta domum est reversa. Soror Barbata Leona, nobilis Patava, monialis velata in monasterio B. Antonii peregrini, quæ ob quandam ægritudinem jam annis quatuor,

vocem amiserat, ita quod loqui non posset, videns, quod cura medicorum minime sibi prodesset, habita notitia de iis, quæ ab omnipotenti Deo in Sanctis suis apud ædem S. Justinæ fiebant, mente et corde contrita ad Amicorum Dei suffragium pervenire decrevit, sperans et ipsa se sanitatem consecuturam, et super singulis corporibus benedictis factis orationibus, perventa ad corpus S. Justinæ majori fervore deprecando, cum quidam monachus capite dictæ Divæ os supplicantis tetigisset, statim vocem recepit, sanaque ad monasterium est reversa, læta magnificans Deum. Soror Marina de Fabritiis, Veneta, monialis professa in monasterio S. Mathiæ, per annos duodecim patiens stomachi dolorem, ita quod cibos retinere non posset, febre quasi continua ejus corpus vexante, medicamine provisionibusque nil proficientibus, intellectis iis, quæ per divinam Majestatem in Sanctis suis in æde S. Justinæ fiebant, ad corpora Sanctorum perventa, preces ex corde porrigens, et ad corpus S. Justinæ orando omnipotentem Deum, ut per merita Sanctorum suorum sanitatem sibi restitueret, statim reversa domum, libera remansit.

114 Quæ licet in urbe Patavio, et alibi nota manifesta que sunt, nihilominus Rever. Suffraganeus, abbas, Sapientes ad utilia et ecclesiarum provisos, ut cæteris notificentur ea, quæ omnipotens Deus in Sanctis suis facere voluerit, et quod increduli credant, Amicorum Dei intercessionibus nobis multum prodesse, veridicum voluerunt formari processum. Tribus itaque notariis, cancellario, et uno curiæ episcopalis scriba, meque Cancellario Com. assumptis conscribentibus, per Rev. Suffraganeum, præsentibus Sapientibus et provisoribus, in processu nominatis non solum principalibus, sed etiam medicis, multisque aliis notitiam habentibus, sub juramenti vinculo examinatis, ea vera fuisse et esse, satis supraque comprobatum est. Præterea quidam Andreas Pulzatus de vico Masera, vicariatus Consylvarum, diocesis Paduanæ, in confinio S. An. domi Dominici Quarantaotto moram trahens, ob nervorum debilitatem pedibus subsistere non valens, per decennium hac laborans infirmitate, crucolis per civitatem mendicans, ad corpora sancta perventus, pro sanitate recuperanda enixe orando ibidem, multis videntibus, relictis crucolis, voti compos lætus per templum deambulabat. Cujus testiumque ibi præsentium, per me cancellarium tunc temporis examinatorum, depositiones in scriptis redactæ hoc comprobant miraculum ab omnipotenti Deo, intercedentis Sanctis suis, factum. Multa alia signa in Amicis suis fecit divina Majestas, quæ in præsentis documento scripto non sunt. Quo in loco cum corpora benedicta per novem dies cunctis ostensa permansissent, Rever. abbas, Sapientes et provisos in arcibus jam præparatis reponere volentes, illa circumcirca Patrum vallis processionaliter prius deferri decreverunt.

115 Die itaque Dominica, Idibus (xv) Martii in mane, solemnibus Missa ad altare Majus templi novi devote celebrata, tanta populi et utriusque sexus multitudo et in ecclesia et super Prato vallis reperiebatur, tantaque devotione expectabat, ut nihil ultra desiderari potuerit, fratralis temporalibus et spiritualibus præcedentibus, doctoribus in utraque facultate, et universo clero,

AUCTORE  
J. B.

E  
usque ad diem  
xiv posita,

F

postridie solemni supplicatione circumferuntur;

AUCTORE  
J. B.

clero, ordine servato, intervenientibus, corpora Sanctorum processionaliter, devote ac honorifice e templo novo circum Pratum vallis, undique pannis coopertum, delata, Rev. suffraganeo, clariss. rectoribus, Sapientibus Reipublicae, provisoribus ecclesiarum et aliis numero quasi infinito cum Corpore D. N. Jesu Christi, singulis suo loco subsequentibus, in idem templum remissa fuerunt, ibi per nonnullos dies permansura, populo devotionis gratia, hoc permixtae cupienti, ostendenda, cujusque processio- nis ordo paulo infra describitur.

sequenti vero  
die Jovis suis  
arcis,

116 Die Jovis xiv Calendas dicti mensis Rev. Suffraganeus, abbas, monaci, Sapientes, et provisores praenominati in loco subcon- fessionis, ubi corpora ipsa reperiebantur, per- venti, omnibus jam praeparatis, decreverunt corpora Sanctorum in arcis suis reponere in perpetuum permansura. Singulis itaque capsis ligneis apertis, singula Sanctorum corpora ex- tracta, et in syndone sericea rubei coloris invo- luta in totidem capsis plumbeis, longis circiter pedes tres, de novo factis, posita extiterunt, elogio uniuscujusque Sancti, et praesentis Actus mentionem faciente, in qualibet capsula incluso. Verum antequam dicta corpora in syndone in- volverentur, Rev. abbas, consentientibus urbis patribus, ibidem assistentibus, ex S. Mathiae tres dentes et nonnulla parva ossa : ex S. Ju- liani et ex S. Maximi ossibus nonnullas reliquias, in consecrandis altaribus ac tabernaculis reponendas, extrahi voluit in bussoli ligneis separatis, Don Celso Priori consignatis, custodiendos. Deinde apertis reliquis capsis duabus plumbeis, ex una corpus S. Justinæ, ex altera corpus S. Lucae, extracta in syndone consimili, qui- buslibet separatim involutum in suis capsis prioribus repositum fuit cum elogio consimili praedictis incluso. Ex corpore S. Justinæ Rev. abbas, eisdem patribus consentientibus, maxil- lam S. Justinæ, adhuc sex dentes in se tenen- tem, prius extrahere voluit, reponendam in ca- pite argenteo S. Justinæ, nec non unum aliud os ejusdem D. Justinæ, in alio tabernaculo reponendum.

triplici sigillo  
munitis, in-  
cluduntur,

117 Cumque praedicta novem capsae plum- beae, novem corpora Sanctorum continentes, clausae, fune ligatae, tribusque sigillis, uno S. Justinæ, secundo praedicti suffraganei, tertio Com. Paduae signum habentibus, cera congrue impressis, capsis item ligneis in singulis arcis conservandi gratia impositis, cumque caetera omnia praeparata essent, Rev. suffraganeus et abbas, monacis, cereis accensis, laudes condi- gnas omnipotenti Deo reddentibus, Mag. Sap. sap. provisoribus, patribusque et populo assi- stentibus, devotique subsequentibus, singula altaria, singulasque arcas solemniter benedixe- runt singulis dedicantes. Demum sub ipsius Sancti nomine praedicta Sanctorum corpora singula in singulis arcis cujuslibet dedicatis, reposita, cooperto marmoreo superimposito, clausa fuerunt, ibi in perpetuum permansura, hoc ordine servato : nam in choro novi templi ad altare Majus S. Justinæ : a dextero lateri chori in prima capella trium Innocentium : in secunda S. Arnaldi : in tertia in sua prima archa alaba- stri S. Lucae : in quarta Felicitatis. Altare vero sinistro in capella prima, S. Juliani : in secunda, S. Maximi : in tertia ex opposito S. Lucae, S. Ma- thiae : in quarta, S. Urii corpora permanserunt.

118 Die autem nona Calendas ejusdem mensis in sacristia ecclesiae aedis veteris, praesentibus Sapientibus, provisoribus urbis et aliis, Rev. abbas maxillam S. Justinæ cum quinque den- tibus, sexto dente a maxilla separato, ac alio osse in uno tabernaculo ex postea repositis, diligenter custoditam et involutam in uno capite argenteo S. Justinæ, per Bernardinum aurifi- cem clauso et bene communito, ponere voluit. In aede itaque veteri S. Prodocimi corpus re- mansit, ubi et multos alios Dei amicos, quorum nomina ob vetustatem ignorantur, reperiri cre- dendum est. Corpora autem Sanctorum, quo- rum mentio supra facta est, ad quae utriusque sexus multitudo devotionis gratia in afflictioni- bus suarum rerum suffragium apud divinam Majestatem implorans quotidie convenit, voti compos votaue offerens, in templo novo, ma- gnifice fabricato, requiescunt. Videntes autem jam in paradiso pro hac sua charissima patria, devotissimoque populo continuo intercedere, dubitandum non est, apud Dominum Deum nostrum; cujus nomen sit in seculum seculi benedictum.

D  
excepta ta-  
men reliqui-  
um S. Justi-  
nae parte;

119 Praedictis autem, dum sic, ut supra, agerentur, partim singulis, partim his, et par- tim illis, interfuerunt Mag. D. Bonifacius Papa- fava, Franciscus Caput Vacae, equites, Antonius de Rustica, et Hieronymus Polcastro in urbem reversi, Sapientes ad utilia Reipublica, Fran- ciscus Caput Listae, eques, Petrus Bagorotto, Baptista de Doctoribus, et Antonius Borromeo, ecclesiarum provisores. Nec non Mag. DD. Jo. Zabarella, Ludovicus Docto, Gregorius de Do- ctoribus, et Ludovicus Leo ex ordine equestri, Gaspar Fabianus, Marcus Antonius Zabarella, Marcus Antonius Mussato, Transalgardus Caput Listae, Julius Bradiolus, Paganus de Rido, Ja- cobus Leo, Annibal Buzzachareno in jure, ac Paulus Ursatus in artibus, periti, Jo. Barisonus, Trapolinus de Trapolinis, Zachus de Zachis, Lucillus Beraldus, Jo. S. Vliana, Paulus Alva- rottus, Jacobus Docto, et Joan. Antonius ab Orologio, omnes ex collegio Sapientes Reipu- blicae Patavinae : RR. Franciscus Zabarella archipresbyter, Hercules ex Comitibus S. Bo- nifacii canonicus, Mag. D. Petrus Mazzeoleus rector DD. Juristarum, Bernardinus Papafava, cum Francisco et Marsilio, ejus filius, nec non Ludovicus Buzzachareno, Mathaeus Vitalianus, Marcus Antonius Caballinus, Pax a Scala, Le- gum Doctores, Rumbaldus de Rido, Alexander Businello, Marcus a sole : Joannes Pizzaco- minus : Philippus Vitalianus, Andreas Bonfio, honor. cives : item docti tabelliones, Joannes Reffatus, Petrus Antonius Garatus, ac Gaspar Mazocchus, Joannes Baptista Cremona, Pelle- grinus Galeatus, et multi alii, tam laici, quam clerici.

E  
quibus vel  
omnibus, vel  
aliquibus hic  
nominati in-  
terfuere.

120 Haec sunt elogia comperta in capsula S. Lucae in vase ligneo. Ut posteris hujus sanctissimi Lucae Evangelistae relinqueretur memoria, opera pretium esse, duximus, quod diebus nostris acciderit, compendiosa narratione digere. Anno Domini MCCCCLXIII, quo tempore in alma urbe Veneta erat dux inclytus vir Christophorus Maurus, et in hoc monasterio praesidebat Rev. D. Bernardus Placentinus, qui fere LXX monachos sub se tenebat, degentes in obser- vantia verae pietatis Christianae et religione sancti patris nostri Benedicti, reformate per vere

Inscriptiones  
aliquot

A vere beatum virum D. Ludovicum Bacto, duo fratres S. Francisci detulerunt Venetias a partibus Boxinæ quoddam corpus, quod asserebant esse S. Lucæ Evangelistæ; sed quoniam jam annos mille ex clarissimis testimoniis scripturarum, tam Latinis, quam Græcis certissima notitia habebatur, quod isdem Evangelista esset Paduæ in cœnobio Justiniano, ut rei veritas cognosceretur, per inclytum Dominum Venetum decretum fuit, ut ejus sepulchrum aperiretur, in quo fere omnia ejus ossa, præter caput, quod imperator Fredericus Barbarossa huc transiens abstulisse dicitur, in capsula plumbea reperta sunt; et ita universi veritatem perspicientes, Deum glorificaverunt, et universa populi multitudo ad eam gloriosam inventionem cucurrerunt, laudantes Deum, qui hanc regiam urbem digno sublimavit munere.

in hierothecis inventa.

124 Infrascripta in vase vitreo reperiebantur. « Jesus. In nomine sanctissimæ Trinitatis. In » hoc sanctissimo altare, dedicato ad honorem » Beatissimi Lucæ Evangelistæ, sunt recondita » ejusdem Evangelistæ ossa, quod consecravit » Rev. in Christo Pater D. Marcus Niger, episcopus Catharensis, die Dominico 2 mensis Octobris, anno MCCCCLXV, et auctoritate a Sede Romana ibi concessa visitantibus devote hoc altare in die suæ consecrationis quadraginta dierum indulgentiam misericorditer indulsit, in perpetuum duraturam. Justina virgo et martyr, regina Paduæ. » Numisma argenteum cum impressione S. Marci ab uno latere, litteris dicentibus : « S. Marcus Venetus. » Ab alio latere, impresso seren. principe Venetiarum, similiter litteris dicentibus : « Franciscus Foscari » Dei gratia Venetiarum dux. » Quæ in capsula S. Arnaldi in carta membrana scripta erant, infra legere facile est : « Anno a nativitate Domini MIII, Indictione v, die Lunæ, xxv mensis Julii, in quo celebrabatur festivitas Jacobi » Apostoli ob reedificationem templi S. Virginis et martyris, Ordinis S. Benedicti Regulam observantis congregationis ejusdem S. Justinæ de Padua, quod cum rueret, destructum fuit, et in loco, ubi antea quiescebant, faciendæ essent nova parietum fundamenta, extractæ fuerunt reliquiæ B. Arnaldi, olim abbatis hujus monasterii, et in præsentî arca venerabiliter collocatæ, trium Innocentium, et aliorum, quorum nomina ob nimiam vetustatem, ignorantur : scripta sunt autem in libro vitæ S. Urii confessoris per D. Petrum, Dei et Apostolicæ Sedis gratiam episcopum Paduanum, et comitem Saccensem, una cum D. Joanne Cornario, abbate S. Benedicti de Mantua, Præsidente Congregationis, abbatibus ac monachis multitudine copiosa, et in hac arca venerabiliter usque ad consummationem templi sub altare Magno partis ecclesiæ, quæ destructa non fuit, permansura collocarunt. »

## § IX. Extrahuntur S. Justinæ reliquiæ et in locum suum solemniter reducuntur.

AUCTORE J. B.

Quamquam eo consilio S. Justinæ reliquiæ anno 1362 sub ara principe templi novi, ut illic perpetuo remaneret, collocatæ fuissent; dum tamen nec curis nec sumptibus parcere S. Justinæ monachi pergunt, quo templi sui splendorem augeant, loco suo ad breve subinde tempus motæ fuerunt. Contigisse id anno 1372, uti et anno 1373 ex iis, quæ infra referentur, facile quis intelliget. At celebris in primis fuit earundem reliquiarum ex ara principe extractio et in eadem reductio anni 1627, cum novus templi S. Justinæ chorus fuit excitatus. Rem iterum ex civitatis Patavinæ Tabulis refero, quæ apud Savolum (sed mendis non raro respersæ) a pag. 178 sic habent : In Christi nomine Amen. Anno ab ejus saluberrima Nativitate MDCXXVII, Ind. XI<sup>a</sup>, die Mercurii, VII mensis Aprilis Paduæ in ecclesia S. Justinæ virginis et martyris, post prandium, sub Pontificatu Urbani VIII Pont. Maximi et principatu Serenissimi Joannis Cornelii, Dei gratia Ducis Venetiarum, præsentibus D. Celso Compagnola, D. Ulisse Bragio, D. Nicolao Fasiolo, D. Francisco Sassonia, notariis collegiatis, et Sebastiano Suttore de Pollis, ac aliis etc. (Hæc totidem verbis ibidem Latine leguntur; cetera Italice, exceptis inscriptionibus). Cum reverendi S. Justinæ monachi hujus civitatis, Congregationis Casinensis occasione novi chori, quem exstruunt, tollere e loco præsens altare Majus in capite ecclesiæ et chori situm deberent, cumque id operis jam inchoassent, certiores ea de re fecerunt illustrissimum et excellentissimum Dom. Hieronymum Lando equitem, hujus civitatis prætorem meritissimum, et Mag. Frizerinum Capodiuaeca equitem, Zorzi da Lion, et Livium Zabarella equitem, decuriones, nec non Dominum Antonium Polcastro equitem, comitem Alexandrum de Panego, Benedictum Salvadego D. et equitem, et Franciscum da Religio ad ecclesias decuriones, supplicantes illustrissimis, excellentissimis, ac magnificis dominis, ut operis prædicti principio ea de causa interesse velint, quod sub dicto altari ossa gloriôsæ virginis et martyris Justinæ, civitatis hujus patronæ, conquiescant.

Arca corporis S. Justinæ loco subinde mota,

E  
L. X.

F

125 Qui illustrissimi et excellentissimi domini prætor et decurionis supradicti, una cum prædicto domino equite Polcastro, negotiorum civitatis causa absentibus aliis collegis ad ecclesias decurionibus, ad ecclesiam S. Justinæ se contulerunt, ubi sibi Reverendum dominum Modestum Paduanum, monasterii illius abbatem dignissimum et dominum Vitalianum Paduanum, Priorem, ceterosque illius monasterii presbyteros, sibi obvios, comites et ad eum locum duces habuerunt, ubi destrui jam cœperat exiguus sub altari paries, factumque erat in eo exiguum foramen, per quod veluti cujusdam arcæ indicia apparebant, et priusquam rumpi ulterius pergeret, mihi Joanni Antonio Campolongo, hujus magnificæ civitatis cancellario, injunctum fuit, ut locum describerem formamque altaris, quod erat altitudinis solitæ, et

iterum anno 1627, novi chori condendi causa

AUCTORE  
J. B.

contactum lapide marmoreo, et sub lapide cavum, intra quod utrumque duo lapides in fronte litteras et memorias infrascriptas exhibentes, videlicet, qui ad latus dexterum erat, hæc referebat: « Ammotum est altare et dilatatum ob molem supra positam iconis, intacto » tamen corpore sanctiss. hujus virgin. et mar. » Justinæ, presentibus hujus almæ urbis Paduæ » rectoribus, reggente Gregorio tertio decimo » Pontifice maximo, imperatore Maximiliano » Augusto, sereniss. principe Aloysio Mozzenigo, reverendo domino Juliano de Placentia, » hujus monasterii abb., Pridie Id. Feb. Anno » sanctiss. jubilei a Partu 1572. » Alteri, simili modo parieti a sinistris infixo, hæc erat inscriptio: « Translatum fuit corpus D. Justinæ » virg. et mart. per Rev. D. Peregrinum de » Mutina abb. ac præsentem, ac D. Celsum de » Verona Priorem Congreg. Cassinensis abb. » S. Justinæ ex aede veteri in hunc sacratum » locum maxima totius Patavinæ reipub. devotione religiose solemnitate ritu servato 1562. » 15 Martii L. D. O. M. »

B  
ex ara principis extrahitur,

124 Monumentum magnus pulcherrimus e marmore lapis tegebat; quo monumento ab operariis, jubentibus ac coram existentibus superscriptis, sublato; rumpi coeptus est tenuis murus, in prospectu positus, in eoque illico tanta facta est apertura, per quam ingredi homo posset, apparuitque arca ibi recondita, sed non patuit, e qua confecta esset materie; quam cum effodi prædictæ fabricæ causa necesse esset, sepulcrum subierunt reverendi dominus Marcus Ferrariensis, et D. Augustinus Mantuanus, religionis istius presbyteri, sacris propterea vestibus induti, inveneruntque arcam cypressinam, longitudinis circiter unius cubiti et medii, cujus fundum temporis diuturnitas et loci humor corruperat; quæ arca multa devotione multisque accensis luminibus sublata fuit, in eaque inventa arcula plumbea, longitudinis pariter unius fere cubiti et medii, supra quam inventæ fuerunt variae (rosaria, ut reor) salutationes angelicæ et orationes Dominicæ, una cum nummo, ei non absimili, quem AGNUM DEI vulgo vocant, et duæ laminæ plumbeæ, infrascriptis characteribus insignitæ, cum sigillis quibusdam, quantum e filiis, sed corrosis putridisque apparebat, et conjici poterat. Nummi ex una facie hæc erat inscriptio: IHS. P. P. XIII. Ex altero: D. FELIX LEONICENUS. Laminæ majori hæc erant inscripta: « Anno Domini 1562 translata fuerunt corpora » S. Justinæ, Mathiæ, Lucae atque aliorum sub » die 5 mensis Martii prædicti anni, sed anno » Domini 1575, die vero 9 mensis Decembris » motum fuit corpus S. Justinæ propter iconem sub D. Jo. de Rippa Tridentino Abb. » D. Severinus de Padua: D. Daniel de Verona. » Laminæ vero paulo minori hæc litteris ex utroque latere iisdem: « 1575 ego D. Julianus de » Asula præsens fui, quando fuit discoopertum » hoc altare S. Justinæ. »

C  
et in sacrario,

125 Posthæc a reverendis presbyteris una cum aliis effossa fuit arcula plumbea, cujus operculo hæc in orbem inscripta leguntur: » Hic corpus B. Justinæ virg. et mar. requiescit. » Dein ab iisdem effossa fuit ingens tabula, quæ, quantum conjici poterat, fundus seu basis erat minoris arcule, uti et lapis tabulæ paulo minor, sub tabula, qui videbatur fuisse lapis altaris: quibus non sine devotione ab infrascriptis sacerdotibus supra altare Majus collocatis,

sublata fuit arcula plumbea, in qua, ut D supra, ossa gloriosæ virginis et martyris Justinæ quiescebant; ac incunctanter coram supradicto illustrissimo ac excellentissimo domino prætore et dominis deputatis, multis accensis luminibus, ad sacristiam delata, ubi in reliquiario eminenti aliquantulum scamno fuit imposita, substrato tapete; pari dein modo a presbyteris sublata fuerunt cetera, quæ jam ante supra altare erant collocata, delataque in supradictum reliquiarium, ibique ad arcæ supradictæ pedem una cum duabus laminis plumbeis et nummis supradictis reposita. Reclusum etiam fuit arcæ operculum, in qua visæ fuerunt sanctissimæ virginis Justinæ reliquiæ et tabella ænea statimque oclusa fuit arca, intactis omnibus. Quo facto, fuit tapete contacta, eidemque a magistro domino equite Zabarella deputato acu insuta, ac dein a me cancellario obsignata cera Hispanica, sigillis S. Marci, magnificæ civitatis, illustrissimi domini prætoris, dicti magistri domini equitis, et ejusdem monasterii munita. Post, exhibita ab illustrissimo domino, a magnificis dominis deputatis, a domino Modesto a S. Cruce, et domino Daniele Vitaliano Priore, ceterisque presbyteris sanctissimo corpori veneratione, clausa fuit janua, et duabus clavibus oclusa, quæ illustrissimo domino prætori oblata fuerunt. Deinde munita fuit janua sigillo S. Marci, civitatis, et illustrissimi domini prætoris, atque ita, relictis rebus, quo dixi, statu, discussum est. Nomina reverendorum presbyterorum, qui rei gestæ interfuerunt: Dominus Daniel Vitalianus P., D. Marcus Ferrariensis, D. Aloysius Paduanus, D. Alexius Vicentinus, D. Antonius Januensis, D. Benedictus Neapolitanus, D. Augustinus Mantuanus, D. Tiberius Patavinus, D. Paulus Bergomensis.

E  
dum novus chorus perficitur, collocatur;

126 Die Jovis viii Aprilis MDCXXVII. Claves supradictæ, illustrissimo D. Prætori in manus traditæ, in sacrario Montis sancti in scrinio ferreo depositæ et duabus clavibus inclusæ fuerunt, quarum altera eidem illustrissimo domino prætori a deputatis oblata est, altera pænes mag. dominum Frezerinum Capodivacca equitem, et deputatorum numero seniore, mansit, qui, munere suo perfunctus, illam alteri deputato, pariter seniori, consignare debebit. Anno MDCXXVII die Sabbathi, iv Septembris a prandio. Cum jam a die vii Aprilis elapsi ab illustrissimis dominis rectoribus mag. et dominis ad curam ecclesiarum tunc deputatis arca plumbea, ossa gloriosæ virginis et martyris Justinæ continens, clavibus obserata, et sigillis S. Marci, illustrissimi D. Prætoris, et mag. civitatis Patavinæ, domini Livii Zabarella equitis deputati, et cœnobii S. Justinæ munita, in sacrario esset deposita; nec fas esset, nisi coram supradictis illustrissimis Rectoribus et deputatis in sacrarium ingredi, nomine reverendi domini Modesti a S. Cruce, hujus cœnobii abbatis ac præsidis, institit P. Celerarius, ut ab illustrissimis et reverendissimis dominis recluderetur, quo operarii arculam tum plumbeam, tum cypressinam dimetiri possent. Eodem die, Illustrissimus Dominus Hieronymus Lando eques prætor, convocatique ab illo Mag. domini Decuriones, una cum aliis viris nobilibus supradictum S. Justinæ Patavinæ cœnobium adierunt, ubi primum illustrissimorum et magnificorum dominorum jussu a me cancellario recognita ac ablata fuerunt sigilla: reclusa janua, veneratione præmissa, arcam tum plumbeam,

A beam, tum cypressinam faber mag. Aloysius Urbinas dimensus est; idemque etiam extulit lapidem grandem (ut apparebat, altaris, cui in veteri loco arca plumbea supradicta erat imposita) sub altari novo collocandum; ut reponendæ arcæ cypressinæ satis magnæ, et dein plumbeæ inserviret: qui cum iterato præfatas sanctas reliquias redux veneratus esset, denuo per mag. Zorzi Porini civitatis œconomum clavibus obserata fuit janua et sigillis S. Marci, illustrissimi prætoris et magnificæ civitatis ex cera Hispanica obsignata; atque ita una abiere.

eoque perfecto, S. Justinæ reliquias,

127 Die Martis v Octobris mdcxxvii. Cum absoluta jam esset a reverendis monachis S. Justinæ chori novi fabrica, uti et altare, in quo collocandum erat gloriôsæ virginis Justinæ martyris, hujus civitatis patronæ, corpus, quod arca plumbea, tapeti insuta, et sigillis S. Marci, illustrissimi domini prætoris, magnificæ civitatis, et magnifici domini Livii Zabarella equitis deputati et reverendorum monachorum S. Justinæ obsignata, in sanctuario sacristiæ ejusdem cœnobii continebatur; illustrissimis dominis rectoribus, magnificis dominis deputatis tunc temporis ad curam ecclesiarum, ut ad reserandas componendasque sacras reliquias ad S. Justinæ accedere dignarentur, per reverendos monachos requisitis, invitato prius per schedulam omni consensu Dominorum xvi ad horam xx, illustrissimi domini rectores una cum illustrissimo et reverendissimo domino Cardinali Valerio, magnificæ hujus civitatis episcopo, magnifico domino Nicolao Trivisan, domino Joanne Dominico Sala, domino Carolo Zacco, Comite Alberto de Comitibus decurionibus, nec non M. Antonio Lazara, Adriano Capodivacca, Galeatio ab Horologio equite, Domino Joanne Antonio, Otonello Descalzo D., ad ecclesias Decurionibus, S. Justinæ cœnobium adierunt; quo non pauci e numero Dominorum xvi convenerant: postquam in sacristiam ventum est, reserato ibidem clavibus sanctuario, veneratione præmissa, illustrissimorum Dominorum jussu a reverendis hujus cœnobii presbyteris, stola rubra indutis, arcula plumbea supradicta sublata fuit, menæque imposita, ubi sigilla supradicta ab illustriss. recognita, ac in pristino statu inventa, fuerunt sublata, tapesque dissutus.

habita earum inspectione,

128 Dein ab eisdem sacerdotibus sublato operculo plumbeo, velum candidum apparuit, quo per illustrissimum et reverendissimum Cardinalem supradictum sublato, detectum et aliud fuit e serico multitio vel tela coloris violacei, seu rosæ aridæ, sed colore evanido, et quasi corrosus; quo sublato, detecta visaque sunt ossa sanctissima et caput gloriôsæ illius Virginis et Martyris, quibus ab illustrissimo et reverendissimo domino Cardinali, illustrissimis dominis rectoribus, magnificis dominis deputatis ad curam ecclesiarum, ceterisque reverendis presbyteris et DD. xvi consensu multa veneratione ac devotione inspectis, dein per illustrissimum dominum Cardinalem supradictum fuit sublatum velum candidum, et pars media telæ seu serici multitii coloris rosæ aridæ seu violacei: altera vero pars levare haud poterat, eo quod ossibus sanctissimis illius Virginis subjecta erat, ac sepositum in pyxide, quæ tradita fuit illustrissimo domino Joanni Lando, illustrissimi domini prætoris patruo, ab illustrissimo domino

prætore custodienda usque ad divisionem, quæ postmodum devotionis causa facta est; inventa fuit in arca illa laminæ plumbeæ incisa inscriptione hujusmodi (*Latina nimirum*): « Ossa et reliquias B. Justinæ virg. et martyris Patavinæ » reposita per reverendissimum D. Peregrinum » abb. et D. Celsum, Priorem ejusdem monasterii totius Reipublicæ Patavinæ consensu: » regnante summo Pontifice Papa Pio IV et sereniss. principe Hieronymo Priolo Venet. » anno Domini 1562, 13 Martii. » Dein iterum reliquias et sanctissima ossa denuo cooperta fuerunt serico multitio, per magnificam civitatem texto aureo denticulato ea de causa exornato, una cum insignibus illustrissimi domini prætoris, et Hieronymi da Leze capitanei, magnificæ civitatis in medio, et S. Marci supra.

129 Quo facto, illustrissimus dominus prætor suis ipse manibus serico multitio imposuit infrascriptos nummos argenteos, videlicet quinque; tres xxxvi virorum, unum serenissimi Sebastiani Veniero, reliquos vero serenissimi Aloysii Mocenigo, cum monumentis felicis victoriæ cruciatorum, et duos vii Virorum cum hac epigraphæ: « Memor ero tui, Justina virgo; » quorum alter sub serenissimo Ponte, alter sub serenissimo Cigogna excusus est. Civitatis nomine posita illic est lamina ærea cum insignibus S. Marci, serenissimi principis, illustrissimorum dominorum rectorum, et civitatis, magnificorum dominorum deputatorum tunc temporis ad curam supradictarum ecclesiarum, cum hac inscriptione: « D. O. M. Anno a partu virg. » 1627 Nonis Octobris, Urbano VIII. sum. Pontif. Jo. Cornelio Venet. principe, corpus » D. Justinæ virg. et martyris, quod sub ara » Majori quiescebat, in hanc augustiorem translatum fuit, annuentibus illustris. DD. Hieronymo Lando eq. prætor., et Hieronymo de Legge præfecto; opus argentibus quatuor » Viris Urbanis Nicolao Trivisano, D. Jo. Dominico Sala, Carolo Zacco, Alberto de Comitibus: quatuor ad curam ædium Sacrarum » M. Ant. Lazara, Adriano de Capitibus Vaccæ, » Galeatio ab Horologio equite. Jo. Antonii, » Otonello Discalio Doctore: » Jo. Antonius Campolongo Cancell. » Magn. Com. Paduæ subs. »

AUCTORE  
J. B.

una cum  
nummis ali-  
quot

E

A tergo illius incisa sunt insignia nominaque infrascriptorum magnificorum dominorum e magnificorum Dominorum xvi numero: Albertinus Miagara D. Co. Bartholomæus Cittad: eques Camillus S. Viana, Z. Franciscus Zabarella, Annibal Papafava, Franciscus da Lion, Jacobus Borromeo, Vincentius Dotto.

150 Dein per reverendum dominum Danielem Vitalianum dicti monasterii Priorem posita fuerunt monumenta infrascripta: lamina una ærea his verbis inscripta: « Anno a Partu » Virg. 1627 Nonis Octob. Urb. Oct. sum. » Pont. Jo. Cornelio Venetiarum principe, sublato pariete, qui prospectum in sanctuarium » prohibebat, sedilibusque, quæ ei adiacebant, » in sanctuarii caput revolutis, sublimata icone, » et ara Majori, quæ ei suberat, demolita, corpus divæ Justinæ Virg. et Martyris, quod ibi » quiescebat, in hanc augustiorem translatum fuit per reverendiss. D. Modestum S. Crucem » Patavinum, abb. hujus monasterii, et Congregationis Cassinensis, alias S. Justinæ generalium præsidem, assistente D. Daniele Vitaliano

et inscriptionibus

F

AUCTORE  
J. B.

» Vitaliano Patavino Priore, annuentibus illustrissimis rectoribus Hieronymo Lando equite prætore et Hieronymo de Legge præfecto, præsentibus mag. Decurionibus, Nicolao Trivisano, Jo. Dominico Sala, Carolo Zacco, Co: Alberto de Comitibus, ac etiam Mag. M. Antonio Lazara, Adriano Capivaceo, Galeatio ab Horologio, Octonello Discaltio, ad ecclesias decurionibus; assistentibus Reverendis DD. Isodoro Coloniensi: Hieronymo Spinello Patavino: Laurentio Januense: Cherubino Bononiensi abbatibus: D. Cyrillo Bellafino Pat. clerico. » Item moneta argentea valoris unius scuti, in cujus altera facie bini erant descripti orbes: superiori hæc erant incisa: « Reverendissimus D. Modestus S. Crux abbas S. Justinæ, et præses Congreg. Cassinensis: » alteri orbi, paulo minori hæc: « S. Justina Virgo et Martyr Christi, ora pro nobis. » Cujus medio incisa erat effigies S. Justinæ insignibus S. Crucis innixæ. Ex altera monetæ facie orbes similiter duo: in primo legebantur ista: « D. Daniel Vitalianus Prior monasterii S. Justinæ: » in altero vero: « S. Justina Vitaliana Borromea, ora pro nobis. » Medium orbis S. Justinæ, familiæ Vitalianæ insignibus innixæ, effigies occupabat. MDCXXVII.

sua iterum  
arca inclu-  
duntur:

151 Apposita fuit et altera ejusdem valoris moneta, cujus uni faciei inscripta erant hæc verba: « Rev. D. Hieronymus Spinellus Patavinus abbas; » altera referebat insignia Spinelliana cum hac inscriptione « S. Justina ora pro nobis » et S. Justinæ, iisdem insignibus innixæ, effigiem. Tertia item argentea valoris ejusdem; in cujus altera facie hæc verba: « D. Cyrillus Bellafinus Patavinus cerearius S. Justinæ; » in altera vero effigies S. Justinæ, insignibus Bellafinianis innixæ, incisa visebantur, additis verbis supra relatis: « S. Justina ora pro nobis. » Quibus, ut supra narratum est, et coram, item ut supra, peractis, jussu illustrissimorum excellentissimorum DD. rectorum, et DD. decurionum fuit eadem arca in longitudinem ac crassitudinem cincta laminis æreis latitudinis digitorum quatuor, quas dominorum decurionum jussu magister Petrus Zuchi faber ærarius ex adverso S. Urbani [habitans] confecerat; quibus filo æreo crassissimo constrictis, vocatoque magistro Francisco, fabro stannario, stanno, ad hoc parato, laminis æreis impressa fuerunt insignia et sigilla, primum quidem S. Marci, illustrissimi et reverendissimi domini Cardinalis, magnificæ civitatis, et illustrissimorum dominorum rectorum: demum vero monasterii et supradicti D. Danielis, e Vitaliana familia oriundi, insignibus et sigillis. Quo facto, arca denuo hunc in modum sigillis munita a reverendis presbyteris in sanctuario deposita est et obserata: clavium altera illustrissimo domino prætori est tradita, altera domino Nicolao Trivisano, decurionum seniori.

dein vero, e  
sacrario in  
templum de-  
latæ

152 Die vi Octobris MDCXXVII. Illustrissimi domini rectores supradicti et magnifici decuriones mane ad ecclesiam S. Justinæ una se mature contulerunt, iisque sanctuarium ingressis, veneratione prævia, coram ipsis a reverendis presbyteris arca supradicta sublata fuit, et veneratione maxima delata in ecclesiam, splendide ea de causa aulaeis undique exornatam, paratoque ad id sublimi pegmati imposita, holoserico (quod ostrini seu purpurei coloris erat)

cooperta; cujus custodiam permisit civitas magnificis dominis Comiti Silvio a S. Bonifacio, Ascanio Zabarella, Scipioni Papafava præfecto, comiti Leonello da Lion, qui cum hastatorum cohorte custodiendis sacerrimis reliquiis invigilarunt usque postridie ad horam fere xxi postquam Missæ sacrificio interfuerant, illustrissimi domini Rectores ac Decuriones discesserunt. Abbas vero etiam supradictus sanctissimarum reliquiarum custodiam permisit reverendis ejusdem monasterii monachis infrascriptis: D. Danieli Vitaliano Patavino, loci Priori, D. Vitaliano Arcioni Vicentino decano, D. Davidi Fortezza Patavino decano, D. Othoni degl' Oddi Patavino decano.

153 Die vii Octobris MDCXXVII. Illustrissimi domini rectores, clarissimi auditores, et decuriones, et excellentissimi domini curiales illustrissimi domini Prætoris; magno virorum nobilitate numero comitati ad ecclesiam S. Justinæ virginis et martyris accesserunt, ubi primum adorato sanctissimo Sacramento, venerationeque exhibita sanctissimis reliquiis supradictis, ac audito Sacro, inchoata est supplicatio maxime solennis, quam magnifici domini Stephanus Dottori eques, et Borromeus Borromei, huic muneris a magnificis dominis decurionibus destinati, direxerunt, quorum virtute et prudentia summo ordine ac tranquillitate peracta est, circumcundo totum Pratum vallis, quod pannis candidis egregie ornatum erat oportumque; uti et privati cujusque ædes; unde supplicationi majestatis plurimum accedebat, cui illustrissimus dominus Cardinalis Valerius civitatis episcopus, cum reverendo Capitulo et reverendis dominis canonicis cathedralis ecclesiæ intervenit; processitque hoc ordine etc. *Sequitur apud Petrum Saviolem hoc loco sodalitatium, scholarum, familiarum religiosarum, militarium manipulorum, musicorum, abbatum, clericorum, optimatum, supplicationem comitatorum, et delatorum in ea varii generis ornamentorum longa series, quæ singillatim huc inserere operæ pretium non existimavi. Solum hic addam, quæ sub finem supplicationis, eaque peracta, Patavini gessere.*

die 7 Octobris  
solemni sup-  
plicatione cir-  
cumferuntur;

E

154 Collecta ordine supradicto in ecclesia supplicatione, et collocata denuo ab iisdem presbyteris in pegmate arca; exhibita prius sacris reliquiis veneratione. Sacrum inchoatum est, quod maxime solemnè musica reverendissimus D. Bonifacius Sanguinazzo, ecclesiæ cathedralis archidiaconus, decantavit: hoc finito, supradictorum illustrissimorum DD. rectorum, illustrissimi et reverendissimi D. Cardinalis, et magnificorum decurionum jussu et reverendis presbyteris monachisque ejusdem cœnobii, superpelliceo stolaque indutis, ejusdem gloriosæ virginis et martyris Justinæ corpus e pegmate sublatum fuit, delatumque in chorum, ubi coram supradictis illustrissimis rectoribus, illustrissimo et reverendissimo D. Cardinali et magnificis DD. decurionibus collocatum fuit in aræ Majoris sepulchro, hujus rei causa præparato, variisque angelorum picturis adornato, cujus parietes a lateribus, et sub lapide, ubi sanctissimæ reliquæ quiescunt, commissa sunt monumenta sequentia: « Ammotum est altare etc. » Item translatum fuit corpus Divæ Justinæ etc. » (ut num. 125, quem consule) quæ monumenta, ut in loco veteri inventa fuere parietes a lateribus commissa, ita eodem, quo

et in altari  
Majori chori  
novi

F

A quo dictum supra est, ordine in novo quoque collocata fuerunt. His tamen addita, quæ sequuntur : primo lamina plumbea his verbis inscripta : « Justinæ Virgini et Martyri Jesu » Christi, Vitaliani ac Præpedignæ soboli, cœli » incolæ, terrenæ hujus provincie reginæ, ac » tutelari divinæ, se suaque respublica Veneta, » Paduana civitas, Vitaliana familia commen- » dant, ut hic incolumes, illic consortes gloriæ » sua intercessione faciat. D. Daniel Vitalianus » devotionis ergo 1627. »

reponuntur.

153 Præterea tabula marmorea, cujus hæc est inscriptio : « Anno a Partu Virginis (mccxxvii) » etc. » *nimirum eadem, quæ numero 150 trans-* » *scripta est, exceptis tamen, quæ ibidem de Isidoro* » *Coloniensi, Hieronymo Spinello aliisque abbati-* » *bis dicuntur, quorum nulla hic apud Saviolum* » *mentio. Reliqua audiamus. Sic pergit translatio-* » *nis hujus relatio : Quæ duo monumenta sub la-* » *pide, ubi deposita fuit arca plumbea, fuere* » *recondita. Porro monumenta laminis plumbeis* » *inscripta, quæ duo fuerunt, et nummus argen-* » *teus, (vide num. 124) jam ante per illustrissi-* » *imum D. prætorem ad perpetuam rei memoriam* » *deposita fuerunt in arca supradicta, de quibus* » *in Documento diei vi Aprilis præteriti facta* » *mentio est. Adverte, arcam plumbeam, ut su-* » *pra dictum est, collocatam fuisse supra lapidem,* » *ubi tabula grandior est, cui in loco veteri eadem* » *arca etiam erat imposita. Tum sublatum fuit* » *stragulum, e panno aureo contextum, et arca* » *plumbea in præparata in hoc arcula cypressina* » *inclusa fuit, quæ arcula stragulo aureo, hoc* » *vero lineo cooperta fuerunt, et mox operarii,* » *præparata in hoc materie, idem sepulcrum ob-* » *turare cœperunt, ingenti nimirum marmoreo* » *saxo, quod affuso plumbo solidissime aggluti-* » *natum, plumbo vero sigillum S. Marci et ma-* » *gnificæ civitatis impressum fuit. Quo peracto,* » *illustrissimi DD. Rectores, illustrissimus et re-* » *verendissimus D. Cardinalis, magnifici DD. ad* » *ecclesias decuriones, et magnifici DD. supra* » *memorati, quibus custodiendarum reliquiarum* » *cura fuerat demandata, discesserunt. His sub-* » *stantur, qui luic negotio constanter interfuerunt,* » *D. Aloysius Savanorola, Aloysius Reato, D. Fre-* » *dericus Papafava, D. Celsus Campagnola,* » *D. Ulysses Braga, D. Franciscus Sassonia, Jaco-* » *bis Giacometti, Sebastianus Bollis, D. Joannes* » *Petrus Trivisan, D. Nicolaus Rimondo. Denique* » *ad hanc solemnem supplicationem, computatis* » *exteris, rusticis indigenisque, supra octoginta* » *hominum millia convenisse dicuntur.*

Ejusdem chori  
novi occasione

156 Non S. Justinæ modo ossa ornatiore anno 1627 fuere loco reposita in templo novo, sed et parentum ejus Vitaliani et Præpedignæ memoria S. Justinæ monachi consultum voluerunt. Factum id procul dubio a monachis S. Justinæ ex summa, qua in Sanctam feruntur, veneratione; atque adeo cum in cultum S. Justinæ quodammodo id etiam redundet, non abs re visum est, rei gestæ seriem, ex Tabulariis civitatis Patavinæ a Petro Saviolo transcriptam, hic quoque ex eodem a pag. 170 subjicere : sic itaque ille habet : mcccxxvii Indict. x die Jovis, v mensis Augusti, Paduæ in monasterio S. Justinæ, et cubiculo adm. rev. infrascripti Prioris coram me notario et testibus infrascriptis constitutus adm. rever. Pater Daniel de Padua, Prior monasterii S. Justinæ, et tradidit mihi notario infrascriptam scripturam inventionis et repositi \* ossium Vitaliani, et Præpedignæ ejus exoris, D. Justinæ parentum,

\* respositio-  
nis

registrandam in Actis mei notarii ad perpetuam rei memoriam, cujus similis exstat in archivio D. Justinæ, præsentibus

Rev. Pater Jacobus de Padua.

Rev. Geminianus de Padua.

Rev. Aurelius de Bergamo.

D. O. M. Anno a Partu Virginis mcccxxvii Non. Octobris Urbano VIII summo Pontifice, Joanne Cornelio Veneto principe, sublato pariete, qui prospectum in sanctuarium prohibebat, et sedilibus, quæ parieti adharebant, in sanctuarii caput revolutis. Corpus D. Justinæ virginis et martyris, quod ibi sub ara Majori quiescebat, in hanc augustiorem translatum fuit per Rev. D. Modestum S. Pat. abb. hujus monasterii et Congregationis Cassinensis alias S. Justinæ generalem præsidem, assistente D. Daniele Vitaliano Pat. Priore dicti monasterii. Annuentibus illustrissimis DD. Hieronymo Dando equite prætore, et Hieronymo de Legge præfecto, cum præsentia magnificorum DD. Decurionum Nicolai Trivisani, Jo. Dominici Sala, Caroli Zacco, et comitis Alberti de Comitibus et etiam magnificorum DD. Marci Ant. Lazara, Adriani de Capitibus Yacæ, Galeatii ab Horologio equitis, D. Joannis Antonii, Octoneli Dicalzio ad ecclesias decurionibus.

AUCTORE  
J. B.

157 In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Anno a salutifera ejus Nativitate 1627 Indictione 10 die Sabbathi, 8 mensis Maii, ejusdem diei hora sextadecima. Urbano VIII summo Pontifice, Ferdinando imperatore electo, Joanne Cornelio Venetiarum principe, Rev. D. Modesto S. Cruce de Padua, abbate monasterii S. Justinæ, ac Congregationis Cassinensis, alias S. Justinæ de Padua præside, D. Daniele de Vitalianis de Padua, Priore claustrali, præsentibus infrascriptis et subscriptis etc. : Cum in prosecutione fabricæ sanctuarii novi ac magnifici templi supradictæ S. Justinæ, sellæ monachorum in extremam et eminentiorem sanctuarii partem asportandæ essent, statuas Vitaliani et Opilionis, quæ in duabus vicinioribus aureæ iconæ columnis hinc inde ad dexteram videlicet, et lævam impositæ erant, amovere quoque necessarium fuit, quod earum aspectum præfata sellæ aliquantulum impedirent, ut alibi, expleto opere, collocarentur. Quam ob rem inter agendum, quia inscriptio marmoreæ tabulæ, Vitaliani busto suppositæ, ipsius ac Præpedignæ conjugis, D. Justinæ parentum, ac in tota provincia Veneta Orthodoxæ fidei primitiarum, pia corpora ibidem quiescere significabat, post ipsam tabulam reperta sunt. Quoniam autem lignea arca, in qua per sexaginta et amplius annos jacuerant, ea consumpta erat, Prior claustris, qui operi anxius intererat, aliam fieri, in qua eadem corpora asservarentur, et operarios interea cessaret \*.

Vitalian et  
Præpedignæ.

F

158 Locus tumuli jam dictus in dextera columna existens a solo pedum circiter viginti spatio in altum attollebatur, ut ad eum haud facilis esset ascensus, confecta capsula, Prior D. Marcum de Ferrara monachum et sacerdotem scalas conscendere, et locum præcepit invisere, in quo cum ossa plurima permixta sabulo reperisset, ipse Prior statim subsecutus est, atque ambo, quo commodius poterant, propriis manibus perquisita et ex sabulo eruta in novam capsulam collocarunt. Quæ inter ossa capita duo inventa sunt, viri unum, mulieris alterum cum dentibus aliquot in mandibulis, adhuc

\* lege : cessare  
jussit

S. Justinæ pa-  
rentum, ossa

ACTORE  
J. B.

adhuc tam valide insistentibus ut evelli nisi viribus non potuissent. Hanc demum capsulam, his ossibus venerandis operam, et clavis ferreis obsignatam, inde Prior in suum cubiculum transtulit die etc. : Quibus supra huic rei interfuere plures tum monaci, tum etiam laici, qui in fidem veritatis nostrae huic paginae subscribent. Ego Daniel Prior praedictus etc. Ego D. Clemens a Gravina decanus propriis oculis vidi, ut habetur in supradicta scriptura. Ego D. Marcus a Ferraria affirmo, quod supra. Ego D. Archangelus a Padua affirmo, ut supra. Ego D. Claudius a Padua affirmo, ut supra. Ego D. Jo. Dominus a Cadua contentum in suprascripta scriptura verum esse, affirmo. Ego D. Liberius a Padua affirmo, ut supra.

loco suo fuerit  
mota,

159 Igitur jam prope sanctuarii opere expleto, et loculo alto extracto, a solo tantumdem distante, quantum alter distabat; cum jam dicta capsula, ut ea quae nimium lata erat, et crasior, quam opportuerat, loculo non esset accommodata; Prior novam lariceam latitudinis quasi pedis unius, altitudinis duorum et longitudinis duorum et semis faciendam curavit, in quam corundem Vitaliani ac Praepedignae conjugum, et D. Justinæ parentum, corpora veneranda reposuit, et clavis ferreis pariter obsignatam post eandem marmoream inscriptionis tabulam sub marmoreo \*. Item Vitaliani busto propriis idem Prior manibus collocavit eodem anno sub iisdem principibus, die vero xxvii mensis Julii, quo die Prior, antequam capsula clavis obsignaretur, in eam laminam plumbeam immisit his verbis insculptam. Videlicet : « Vitaliani justissimi Patavii praesidis busto ex priori hujus sanctuarii lateritia columna amoto, ut ibi sedilia hinc revoluta applicarentur, ipsius ac Praepedignae conjugis, D. Justinæ virginis et martyris parentum, Christianissima corpora, post marmoream tabulam inscriptionis, inventa anno Dominicae Incarnationis mxxvii, die Sabbathi, Octavo Idus Maii : Urbano VIII Pontifice Maximo, Ferdinando imperatore, Joanne Cornelio Veneto Duce. Rev. D. Modesto S. Crucis de Padua, abbate hujus monasterii, et Congregationis Cassinensis, alias S. Justinæ praesidis, D. Daniel de Vitalianis de Padua, claustrarii Prior, avitæ, originariaeque pietatis memor, diutius apud se in proprio cubiculo hospitata propriis manibus reposuit anno, quo supra; die vero xxviii mensis Julii. »

et arca nova  
donata.

140 Ut autem tantorum corporum, Vitaliani videlicet et Praepedignae, plena cognitio habeatur, et nihil praeteriisse videamur, quod ad praesens negotium pertineret, inscriptionis tabulae marmoreae, toties superius nominatae, opere praetium duximus nostrae huic paginae subtexere quae talis est : « Vitaliano, Patavii praesidi, imperatore Nerone, ac Praepedignae ejus uxori. Quos divus Prosdocus anno post Christum xvii baptizavit, D. Justinæ virginis martyrisque parentibus, quorum ossa una cum corpore Filiae, in aede vetere anno mclxxvii inventa, ibique adhuc diligenter et sancte custodita in clarissimam hujus templi partem translata sunt, monachi pientissimi posuere 1561. » Supradicta omnia ego Daniel de Padua, hujus cenobii D. Justinæ humilis Prior scripsi, subscripsi, et alios, qui repositioni dictorum corporum Vitaliani et Praepedignae interfuere, ut subscriberent, rogavi anno 1627, die 28 mensis Julii. Ego D. Daniel Prior supradictus. Ego

D. Marcus a Ferraria affirmo, et supra, et interfuere ad supradicta. Ego D. Joannes Dominicus a Padua juris Pontificii Doctor adfui, et affirmo, ut supra. Ego D. Archangelus a Padua affirmo, ut supra. Ego D. Jacobus de Padua affirmo, ut supra. Ego D. Liberius a Padua adfui, et affirmo, ut supra.

## ACTA

### Sublestæ fidei et subdititia ex Mombratio.

Justinæ genus et martyrium.

Quoniam sanctus Raphael nos adhortari dignatur, ut opera Dei non tam in abdito collocemus; quam potius pro Dei gloria in aperto pandamus, monens et dicens : « Sacramentum regis bonum est abscondere a » opera autem Dei honorificum est revelare : Et quia, sicut cognitis fidem non adhibere, infidelitatis est : ita invidentia est, in edificatione Sanctorum nolle cognita praedicare : attamen, non tantum sifis viribus meis, quam adjutus Dei gratia et sanctis orationibus vestris beate martyris Justinæ historiam, quam apud nos Dominus noster Jesus Christus sub ara sua ad tutelam fidei nostre sibi martyrem dignatus est consecrare, vobis ipsis sine fuco prodam. Sane non ad hoc quispiam arbitretur ista recitari, quae in ejus, ut praefati sumus, sancta gesta sunt passione, quasi aliquid nos gloriae beate Justinæ martyri videamur prestare : quandoquidem illi nec tacendo, de nobis, nec loquendo quicquam possumus conferre. Ipsa quoque virtutum miracula, nullo humane linguae praeconio indigentia, ubique profecto tonanti exierunt tuba; sed tantum nostrae devotionis pro recipienda mercede obedientiae cum hilaritate volumus demonstrare. Metuens quoque, quod ab ipso Domino nostro Jesu Christo legimus terribiliter esse dictum : « Si vos tacebitis, lapides clamabunt b. » quos autem nos \*, quicumque audire haec aut legere pie ac religiose volueritis, ut hujus peccatoris ultimi memores sitis, qui in nomine Domini huic passioni interfui e, et vobis eam sum praconatus.

2 In diebus illis beata Justina, ex Christianis parentibus d oriunda, atque inter generosas foeminas praeclearae indolis fama subnixa fuit : in ejus mente sacrae religionis instantia, et sobrius sapientiae culmen dignum sibi Christus domicilium collocavit. Quis non optet et ambiat sanctae Virginis ac ministræ Christi placere indicio, quae superbi sanguinis nobilitatem sic humilitate provexit ad gloriam, ut caelestis patriæ fieri mereretur electa? Vere dignum, in quo Dominus habitaret, templum erat tot tantisque meritis sanctum corpus, diversis margaritis ornatum, jejuniis castigatum, orationibus semper refectum, puritate mundissimum, ut magnitudo tantae prudentiae, gemina resplendens lampade, plus luceret. Vere nomine meritoque Justina, quae dum nominis sui dignitate pascitur, sic promeruit et coronam, sic vivit, ut nequeat amittere, quod vocatur e. Illustris potentia generosa, illustrior religione divina : continuat palmam mens pudica.

5 Dum



A 5 Dum igitur in Venetiarum partibus in sua quoque patria Patavii *f* moraretur, Maximianus tunc atrocissimus illas ad partes venit, jussitque sibi in Campo Martio *g* tribunal parari, ut illic Dei Sanctos *h* sacrilegus interficeret imperator. Hinc beatissima tunc Justina, cum de suo prædio, quod Vitelianum *i* vocabulo nuncupatur, ad visitandos Dei famulos ascendens vehiculum properaret, repente a militibus comprehenditur, et deposita cursu rapidissimo Maximiano crudelissimo præsentatur; sicut eis ab imperatore jussum fuerat. Et dum animus ejus intrinsecus fortiter anhellaret, interrogata est a puella, quæ secum ierat, quare ejus turbaretur animus, et respondit ei puella: Vere, Domina mea, video, faciem tuam rubere, coloremque mutari. Et respiciens beata Justina, vidensque, eos totis viribus ad se currentes, in fugam se dare conabatur, arbitrans, quod pro stupro voluptatis insidiarentur. Et in angusto pontis loco, qui ex marmore constructus est, non longe a civitate Patavii eam concluderunt. Et deposita æstare ac clamare cepit cum lachrymis, et dicere: Adjuva Ancillam tuam, in hac angustia

B positam, Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi. Et positus genibus in marmore pontis, ita molle inventum est, ac si terra *\** ab igne soluta.

*\* cera comprehensa,*  
4 Illi vero dum fortiter et totis viribus crudeliter eam pertraherent, ita ut extracta, ex utrisque genibus in marmore fossa velocissima appareret *k*. Et arripientes eam cursu rapidissimo Maximiano crudelissimo præsentaverunt; diciturque, Justinam hanc esse, quæ se Christianam summis viribus fateretur. Quam ita aggressus est imperator: Nomen tuum, quo diceris, conditionemque designa. Ad hæc beata Justina hilari vultu respondit: Christiana sum. Maximianus imperator dixit: Ego te de nomine plus requiro, et tu hæc, quæ nolumus, nostris auribus intimas. Dic tuum nomen, antequam moriaris. Ad hæc beata Justina respondit: Jam dixi tibi, Christiana sum: quod autem de nomine plus requiris: Justina vocor. Maximianus imperator dixit: Quam sectam colis? Beata Justina respondit: Ego colo Dominum meum Jesum Christum, qui fecit cælum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt: nam lapidibus surdis et mutis, quæ sunt opera hominum, non sacrifico. Maximianus imperator dixit: Quid verborum prolixitate mea dicta refellis? Accede et sacrificia magno Deo Marti, si tuæ consulere vis tenere juventuti. B. Justina respondit: Jam dixi, quia Christiana sum, et omnibus diabolicis pompis abrenuncio. Illi me offero sacrificium Domino Jesu Christo, qui dixit: Ego sum via, veritas et vita: qui credit in me non morietur in æternum. Hæc in se credentibus voce tonantissima repromisit: cujus vera promissio apud me tenetur, et nullis poterit meam præfixam mentem ab ejus amore convellere.

C 3 Aliud enim est cum Deo, aliud cum hominibus fabulari. Sed si qua tibi sunt exquisita tormenta, in Christi Ancilla exercere festina. Quid moraris? Cupio enim ad illum migrare Dominum meum Jesum Christum, qui me dignatus est ab ipsis cunabulis consecrare. Maximianus imperator dixit: Sacrifica, et evades tormenta; aut gladio te scias perimendam. Beata Justina respondit: Deo meo gratias ago, qui me indignam famulam suam hostiam dignatur accipere, et non dæmonii vestris sacrifi-

*cum Marti sacrificare nolle,*

care, nec consentio blandimentis tuis vanis. Sed hoc ego rogo Dominum meum Jesum Christum, ut me famulam suam in numero ancillarum suarum dignetur ascribere. Illud autem quæso, ut impleas, quæ in me disponis tormenta. Nam et ego parata sum pro nomine Domini mei Jesu Christi omnia substinere. Hoc autem certamen cur formidem, cum Dominus meus Jesus Christus pro toto mundo suum sanguinem noscitur profudisse? Tunc iratus crudelissimus imperator sacrilego ore tulit sententiam dicens, Justinam, quæ diu latuit, et Christianæ religionis se assertor obligatam, et nostris jussionibus obtemperare noluit, gladio jubemus extingui.

6 Hæc cum audisset beata Justina, iteratis *gladio percussa fuit,* vocibus ad Dominum clamavit, dicens: Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui me, famulam tuam et martyrem, in libro tuo ascribere dignatus es. Jam si placet et vera est sententia, quam protulit impiissimus imperator, in hoc loco sacramentum dispositum confessionis meæ, quod devota sum, celeriter compleat et in gremio residentis ancillam tuam suscipe, Christe, lumen meum, margarita pretiosa, quem amavi, quem concupivi, quem desydero videre regem omnium sæculorum, qui regnas cum Patre et Spiritu Sancto. Et, expleta oratione, fixis in terra genibus, ejus lateri gladium spiculator immersit: per unam jugiter horam elevatis oculis in cælum, tendensque ad sydera palmas *l*, universis adstantibus, sic oravit ad Dominum: Domine Jesu Christe, suscipe animam meam in requiem tuam, quia te dilexi, te concupivi, et tui juris esse desydero, teque solum amavi Dominum meum Jesum Christum, Salvatorem mundi, et nullum præter te amatorem quæsi, te solum inveniam, nihil mihi præter te occurat. Et signans se vexillo crucis, atque totum corpus suum manu sua divinis signavit crucibus, beatumque emisit spiritum *m*.

7 Quam Christiani ardore fidei et dignæ Martyris passione venerantes, ejus venerabile corpusculum aromatibus condierunt, et intra Deo condignum cymiterium posterunt, quasi plus mille passuum de civitate Patavii, ubi usque in hodiernum diem in ejus nomine mysteria celebrantur. Ad hæc beata Martyris limina humili pietate Catholica ac dignissima convenit turba, atque in laudem Dei et coronæ beatae martyris Justinæ alacriter excitatur, et omnipotentem Deum veneratur. Hæc dicta sunt a nobis pauciora de multis, rariora de densis, notiora de certis, quæ valuit stylus noster omnibus patefacere de ejus beata Passione et Legenda magis cum desyderio, quam cum fastidio religiosi pectoribus commendare: cujus memorabilem natalem colimus *n* sub die Nonarum Octobrium, quem suæ Martyri consecravit Dominus noster Jesus Christus, cui est honor, gloria et potestas sine fine per omnia sæcula sæculorum.

AUCTORE ANONYMO.

E

l

m

*et a Christianis honorifice sepulta.*

F

n

## ANNOTATA.

a Etenim Sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem Dei relevare et confiteri honorificum est. *Tobie cap. 12 v 7.*

b Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt. *Lucæ cap. 19 v 40.*

c Nimirum S. Prosdocius, Patavinus episcopus, qui S. Justinam suis precibus parentibus ejus a Deo obtinuerit, sacris undis lustravit erudierit, et sepelierit, ut legitur in actis S. Prosdocii,

AUCTORE  
ANONYMO.

cimi, successori ejus S. Maximo falso adscriptis : sed Acta hæc a S. Prodocimo conscripta esse, insignis est fabula, quam numm. 2 et 5 Commentarii explosam habes.

d Patre Vitaliano, viro quidem verosimiliter honorato nobilique, sed non Patavinorum, ut nonnulli fabulantur, rege : matre vero Prepedigna, quorum hodieque ossa cineresque Patavii in S. Justinæ templo honorifice conservantur. Vide numm. 156 et seqq. Commentarii prævii.

e Videntur hic quædam desiderari.

f Domini Veneti civitatis est episcopalis, Venetiis 24 passuum millibus in Occasum distans, ut scribit Baudrandus.

g Vide dicta de S. Justinæ palastra numm. 29 et 50.

h Innuunt verba hæc, præter S. Justinam et alios eodem tempore ob Christi fidem fuisse sanguinem : verum certa hujus rei testimonia, ut num. 59 Commentarii prævii dici, mihi non suppetunt.

i A S. Justinæ patre sic dictum.

k Saxum istud, S. Justinæ genuum vestigia retinens, servari dicitur Venetiis in æde ipsi sacra : sed vide hæc de re dicta num. 15 Commentarii prævii.

l Parum verosimile id apparet.

m Quo tempore id contigerit, quidquid supra de Maximiano dictum sit, incertum est. Vide dicta § 2 num. 26 et seqq.

n Quam late diffusus sit sanctæ Martyris, maxime per Italiam, cultus, et quam celeberrima Patavii, ex dictis § 1 Commentarii prævii colligere est. Addo ex Bernardino Manzoni pag. 61 in Chronologia Cæsenæ, quæ ditionis Pontificiæ civitas est in Romandiola, servari illic reliquias S. Justinæ virginis et Martyris, verosimiliter Patavinæ; et ex Officiis propriis Cisterciensium utriusque sexus Congregationis S. Bernardi a sacra Rituum congregatione approbatis et anno 1759 Molinis in lucem editis, coli ab illis S. Justinam die 7 Octobris Officio duplici.

## B DE SS. MARCELLO ET APULEIO MM. E

ROMÆ.

SYLLOGE.

J. B.

Discutitur SS. Martyrum apud Martyrologos Annuntiatio, et nonnulla ad eorum cultum et reliquias spectantia pertractantur.

FORTE SUB  
FINEM SÆC. I.  
Sanctorum  
apud martyrologos recentiores

**F**requens admodum est horum Martyrum apud martyrologos veteres æque ac recentiores mentio : hi fere Romano Martyrologio, quod hodieque in usu est, consonant; illud ita habet : Romæ sanctorum martyrum Marcelli et Apulei, qui primo quidem Simoni mago adhæserunt; sed videntes mirabilia, quæ per Apostolum Petrum Dominus operabatur, relicto Simone, Apostolicæ doctrinæ se tradiderunt, ac post passionem Apostolorum sub Aureliano consulari coronam martyrii reportarunt, sepulti non longe ab Urbe : ita, inquam, Martyrologium Romanum, viz voculam adhibens, quæ in Adone vel Usuardo, et Nothero, Adonem fere exscribente, quorum adeo verba non repetam, diserte non sit expressa. Nec multo aliter loquitur auctor Romani Parvi, sub medium sæculi octavi, Sollerio in præfatione, Usuardo præfixa, cap. 2 art. 4 judice, exarati, cujus hæc verba : Marcelli et Apulei, qui primo adhæserunt Simoni mago; deinde Apostolo Petro, sub Aureliano, consulari viro martyrio coronati. Bedam præterea Baronius in suis ad Martyrologium Romanum Annotatis laudat : sed Martyres nostri, nisi in ejusdem auctariis aliquot, quod et de Wandelberto et Rabano dictum accipere, non leguntur. Optime inter citata hæc Martyrologia convenit, neque Usuardus, quod Florentini in Annotatis ad Martyrologium Hieronymi Lucense ait, pro Marcello Marcum scri-

psit : auctarium tamen Beda Barberinianum Sanctos nostros die proxime sequenti memorat : sed ob reliquorum fere omnium Martyrologiorum, hodie illos annuntiantium, consonantiam audiri non meretur.

2 Nec Hieronymiani codices sanctos Martyros indictos prætereunt, quamvis nullum absit, ut tam concors, uber, nitidave sit illorum in his annuntiatio : Lucensis apud Florentinum, Apuleium prætermittens, ac locum sepulturæ, vage tantum ab Adone et Usuardo indicatum, aliquanto propius determinans, sic habet : Romæ via Appia depositio sancti Marcelli et Marci episcopi. Quamquam autem hic codex Marcellum Martyrem non dicat, imo voce depositio, quæ confessori potius, quam martyri aptanda videtur\*, utatur, ne tamen hinc e confessorum numero fuisse Marcellum concludas : nam et in codice Corbeiensi apud eundem Florentinum eadem quidem occurrit vox, sed Apuleius et Marcellus diserte martyres dicuntur : en hujus verba : Romæ via Appia depositio SS. Martyrum Apulei et Marcelli episcopi, et Marci episcopi et confessoris. Plures alios Hieronymianos codices consului, quibus quidem non ignotus est Marcellus Martyr, sed ignota episcopalis ejusdem dignitas : his igitur, aliisque supra citatis præ Corbeiensi standum videtur, nec episcopatus in Marcello admittendus. Nec porro multum verisimilitudinis habet Florentini suspicio, in Codice Lucensi, cujus verba mox dedimus, pro

et veteres annuntiatio,

F

\* Hoc non rectum.

A pro Marcelli, in via Appia sepulti, legendum forte esse Marcelliani; illius nimirum, a quo, uti et a S. Marco cæmeterium prope Romanam in via Appia Florentino, aliis in via Ardeatina, seu, si mavis inter utramque situm, nomen invenit. Marci enim et Marcelliani, a quibus id cæmeterium nomen accepit, codex Lucensis, et Corbeiensis apud ipsam Florentinam meminere 14 Kal. Julii, seu die 18 Junii, minusque vero apparet simile, eosdem codices ejusdem Marcelliani hodie sub Marcelli nomine iterato meminisse.

ex Actis SS.  
Nerei et Achil-  
lei,

5 At cum SS. Marcellum et Apuleium, primum quidem Simoni mago, dein vero S. Petro adhæsisse, et Aureliani consularis viri jussu necatos, taceant Hieronymiani codices, affirmant autem auctor Romani Parvi, Ado, Usuardus, Martyrologium Romanum, alique recentiores martyrologi passim, erit fortasse, qui quaerat, num id pro certo sit, atque indubitato habendum, non abs re fuerit, ut prius in fontem, unde hausta sunt, quæ mox laudata Martyrologia de Sanctis nostris, non item Hieronymiani codices tradunt, quam propositæ questionis respondeamus, tantisper inquiramus. Baronius in Annotatis in

B Martyrologium Romanum hoc die, Adonem et Usuardum (Romanum Parvum non viderat) sua deprompsisse ex Actis SS. Nerei et Achillei, ad diem 12 Maii Operi nostro jam prædem insertis, existimavit: nec omnino, ut apparet, infundate. Actis enim illis Epistola quædam ad SS. Nereum et Achilleum (Vide tom. III Maii pag. 9) de rebus S. Petrum inter et Simonem magum gestis inserta est, Marcellus, Marci, Urbis præfecti, filio adscripta, in qua hæc, se quidem primum Simoni mago manus dedisse; sed dein a S. Petro stetit, non ambiguis, imo verbis fere iisdem, quibus Martyrologia citata utuntur, profitetur. Ego, inquit ibi Marcellus, cum ejus (Simonis magi) essem discipulus, malignum et infanticidam et maleficum illum extractorem agnoscentem, deserui eum et adhæsi domino meo S. Petro Apostolo. Hunc itaque Marcellum hodie Ado et Usuardus, quibus non minima, ut Sanctorum, quos in Fastos suos inferebant, Acta consulerent, cura fuit, eundem non improbabilius autumant, quem sacris Fastis, se antiquioribus, ad hunc diem adscriptum animadvertant.

ut videtur,  
hausta,

C 4 Quod vero additur præterea, SS. Marcellum et Apuleium Aureliani, viri consularis, jussu interfectos fuisse, hauriri pariter ex iisdem Actis, seu conjici facile fuit. Aurelianus enim consulis filius (Aurelii Fulvi nimirum, ut perhibent, qui sub Domitiano annis Christi 83 et 89 consulatum gessit) mox a principio Actorum dicitur; qui cum S. Domitillam deperiret, nec tamen ea conjuge frui posset, ut in Pontianam insulam exsul mitteretur, a Domitiano obtinuit, ea spe ductus, ut victam exsiliis ærumnis virginem in sua vota pertraheret: quibus cum SS. Nereus et Achilleus, S. Domitillæ a cubiculis, obsisterent, agente procul dubio Aureliano, a Memmio Rufo seu Minucio Rufo consulari neci sunt traditi; quorum corpora Auspicius, Domitillæ nutritius, Romam translata non procul ab Urbe via Ardeatina humo mandavit. Ita fere Acta SS. Nerei et Achillei. Ex quibus iterum non prorsus vero absimile fit, laudatos supra martyrologos conjecisse, aut in animum sibi induxisse, eundem Aureliam, ut SS. Nereus et Achilleo, ita et Marcellus, cum illis necessitudine conjuncto, il-

Octobris Tomus III.

lata necis auctorem existisse: Marcelli vero, et Apuleii corpora non procul forte ab illorum sepultura Christi fideles pariter recondidisse. Ceterum Adonem et Usuardum cognita habuisse SS. Nerei et Achillei Acta, verba illorum, quibus illos martyres ad diem 12 Maii annuntiant, cum ipsis Actis conferenti, manifestum fiet. Hinc igitur verosimiliter sua Martyrologii Romani Parvi auctor perinde, atque Ado et Usuardus, quod Baronio visum est, de Marcellus et Apuleio hauserunt: hinc sanctos Martyres, tacentibus licet Hieronymianis codicibus, primum Simoni magi, post S. Petri discipulos, passos vero sub Aureliano consulari viro fuisse, dixerunt. Verum num satis purus fons iste, ut fidem certam atque indubitam mereatur?

5 Minime vero: Acta quidem SS. Nerei et Achillei optime fidei olim judicavit Henschenius in suo de his Commentario: sed illa hinc inde complecti, quæ parum credibilia sint, dictum est tom. V Septembris pag. 6: illa in aliquibus non integræ fidei haberi, agnovit Baronius ipse ad annum 69 num. 55, ad stipulante Sollerio ad diem 7 Maii in Usuardo: gravissima denique censura perstrinxit Tillemontius tom. II Monumentorum Ecclesiasticorum pag. 127. Præterea scriptores alios, qui iisdem Actis suppositiōnis vel certe corruptionis notam inusserunt. Inter scripturas apocryphas numerata fuisse videntur jam inde ab ætate S. Augustini; cujus auctoritate sese expedire conatur Henschenius. Arguit ille lib. contra Adimantum (Vile editionem Operum S. Augustini Benedictinam tom. VIII col. 157 et 140) Manichæos, quod libros divinos (uti hæreticis solenne est) quibus scilicet eorum errores convelluntur, non admitterent: contra apocryphos, velut certos et incorruptos, habent.

6 Ipsi autem legunt scripturas apocryphas, inquit priori col., quas esse incorruptissimas dicunt, ubi scriptum est, Apostolum Thomam maledixisse homini, a quo per imprudentiam palma percussus est, ignorante, quis esset, maledictumque illud continuo venisse ad effectum. Nam cum homo ille, quoniam minister convivii erat, ut apportaret aquam, exisset ad fontem, a leone occisus et dilaniatus est. Quod ut manifestaretur ad aliorum terrorem, canis manum ejus intulit mensis, ubi Apostolus convivabatur. Posteriori vero sic loquitur: In illo ergo libro, ubi apertissime Spiritus Sanctus, quem Dominus consolatorem promiserat (in Actis Apostolorum) venisse declaratur, legimus, ad sententiam Petri cecidisse homines, et mortuos esse virum et uxorem, qui mentiri ausi erant Spiritui Sancto. Quod isti magna cœcitate vituperant, cum in apocryphis pro magno legant, et illud, quod de Apostolo Thoma commemoravi, et ipsius Petri filiam paralyticam (addit editio Lovaniensis: sanam) factam precibus patris, et hortulani filiam ad preces ipsius Petri esse mortuam.

7 Petri filia, a paralyti sanata, historia narratur fusius in Actis SS. Nerei et Achillei; unde nonnulli efficere nituntur, illa a S. Augustino inter scripturas apocryphas habita fuisse. Verum, inquit Henschenius tom. VII Maii pag. 422 in Commentario de S. Petronilla, hujus historiae (Augustino apocryphæ) contextus plane diversus est, cum in prædictis Actis (SS. Nerei, Achillei et Domitillæ) nihil reperitur de filia hortulani mortua. Ita quidem habet, ut Henschenius dicit:

AUCTORE  
J. B.

certam fidem  
eorum omni-  
um,

E

que comple-  
ctitur,

F

facere non  
videtur:

AUCTORE  
J. B.

sed nec S. Augustinus, tres illas historias una eademque scriptura comprehensas dixit; contra de diversis se agere, insinuare videtur verbis supra relatis universim ita pronuncians: Ipsi autem legunt scripturas apocryphas. Uti et verbis istis: Cum in apocryphis pro magno legant. Nec scio, an singulas illas tres historias a Manichæis admissas, si earum vel una ex scripturis non apocryphis probare potuissent, S. Augustinus iisdem Manichæis objecturus fuisset. Quod si Acta illa optimæ fidei, ac sincera esse fingere lubeat, ne sic quidem Adoniana, Usuardina, et Romani Parvi annuntiatio certa evadet: cum enim Acta illa nihil de Marcelli martyrio, imo ne verbum quidem de Apuleio referant, fuerint Marcellus ille idem, qui Marcellus martyr una cum Apuleio Hieronymianis codicibus hodie inscriptus, ambigi adhuc merito poterit. Quia tamen scripturæ etiam apocryphæ falsis vera non raro admixta habent, eaque, quæ de Marcello et Apuleio laudati martyrologi scripsere, aliunde etiam explorata fortassis habuerunt, ab eorum sententiâ plane recedere, aut illos falsi arguere nolui; et ex eorum quocumque hac in re fide

B sanctorum Martyrum obitum seculo s ad exitum inclinanti principio lujus Commentarii, adjecta dubitandi formula, Forte, adscripsi.

cultus vero  
sacer valde  
antiquus est.

8 Sed ut ut ista sese habeant, certior multo est cultus ecclesiasticus, et a multis quidem jam retro sæculis sanctis Martyribus impensus. Eminentissimus Joseph Maria Thomasius ex codice, nongentis annis vetustiori, typis edidit libros tres (quos Gelasianus appellat; fuit autem Gelasius Papa sub finem sæculi v) Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ, quorum secundo, qui de Sanctorum Natalitiis est, pag. 174 et seq. occurrunt de SS. Marcello et Apuleio Orationes tres, Nonis Octobris sub sacro-sanctæ Missæ Sacrificium recitari solitæ; quas, utpote antiqui eorum cultus non dubia testimonia, hic transcribo: prima sic habet: Sanctorum tuorum nos, Domine, Marcelli et Apulei beata merita prosequantur; et suo semper perficiant amore ferventes. Per etc. Secunda, cui hic præfigitur titulus: Secreta. Majestatem tuam nobis, Domine quæsumus, hæc Hostia reddat immolanda placatam, tuorum digna postulatione Sanctorum. Per etc. Tertia, præmissis his vocibus, Post Communionem, his

C verbis concipitur: Sacramentis, Domine, muniamur acceptis: et Sanctorum tuorum Marcelli et Apulei, contra omnes nequitas inruentes armis celestibus protegatur. Per Dominum nostrum. Marcellus martyr, sed sine Apuleio, hodie signatur in Calendario Mozarabico hodierno apud Pinium in Tractatu Chronologico de Liturgia antiqua Hispanica tom. VI Julii præfixo pag. 87.

illos Capuani  
jam pridem  
coluerunt;

9 Idem Romani Martyres Capuæ in Campania Felici olim culti fuisse videntur, licet Capuanis aliquando, ut infra dicam, hæud satis, quantum quidem mihi videtur, probe cogniti. Etenim Michael Monachus Kalendaria Capuana antiqua quatuor, quorum tria caractere Longobardico, quartum vero Romano, exarata sunt, pag. 591 et sequentibus exhibet, quæ singula ad diem 6 vel 7 Octobris SS. Marcelli et Apuleii meminere: primum quidem his verbis: II Non. (Octobris) Passio erit SS. MM. Marcelli et Apulei: secundum: Non. SS. Sergii et Bacchi, et Marcelli, et Apulei: tertium: Non. S. M. Marcelli, et Apulei, Sergii et Bacchi: quartum: Non. SS. M. Mar-

celli et Apulei I. 5. Sergii et Bacchi I. 5. Ut in horum primo Marcellus et Apuleius die 6 Octobris annuntientur, inde factum apparet, quod Marcellum hodiernum cum hesterno, una cum Casto, Emilio et Saturnino Capuæ pariter culto, confuderint, quem errorem reliquorum Kalendariorum concinnatores emendasse videntur. Sed ut hoc ita forte sit, quid causæ est, inquires, cur Marcellum et Apuleium in istis Kalendaris memoratos, Romanos potius mox censuerim fuisse, quam Capuanos, cum homonymorum sanctorum Martyrum, Capuæ sub Juliano imperatore pro fide intersectorum, Passionem exhibeat Michael Monachus in Sanctuario Capuano pag. 157 et seq., de quibus proin laudata Kalendaria loqui potius censenda sunt, quam de Romanis? Respondeo, Acta illa, non nisi ex ignoratione Martyrum homonymorum Romanorum, vel, si mavis, forte ex horum dissimulatione, Capuanis martyribus a nonemine, amore præpostero patriæ ducto, videri affecta fuisse. Quod ne gratis dixisse videar, Acta ipsa, prout apud Michaellem Monachum exstant, maxime quod brevia sunt, hic transcribo.

E

10 Sic habent: Temporibus Juliani Augusti centurio quidam ordinarius, Marcellus nomine, Romanus, in Urbe fuit, homo dives et liberalis, honestate morum et benignitate affectus, omnibus sese gratum et amabilem exhibens. Qui cum per gratiam misericordis Dei, omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire volentis, Christianæ religionis colla fidei summisisset, cepit in pauperes et egenos potissimum benignus existere. Hic cum, certis existentibus causis, Apuliam petens, Capuam divertisset, ad diis sacrificium exhibendum a Dragontio quodam præside, ex cæsaris præceptione arctatur. Qui cum, nec minis territus, nec blanditiis delinitus, offerendis sacrificiis præstaret assensum, ad extremum astrictis vinculis, custodia carcerali excipitur. Factum est autem, ut, eo remorante in carcere, defuncto Dragontio, Fortunatus quidam nomine in præsidatum succederet. Iste itaque eductum Marcellum de carcere suis tribunalibus sistens, cepit cum eo agere, quatenus deos immortales studeat libaminibus oblati placare. Quem, cum parere monitis sacrilegis contempsisset, ad Agricolanum quendam, præfectum militiæ, præses destinare curavit, litteris ei significans pariter, ex præcepto cæsaris in Marcellum hunc legaliter ulciscendum; utpote qui, ad Christianam superstitionem conversus, invito cæsare, abrenunciasset militiæ. Litteris igitur Agricolanus susceptis, et lectis, studet cum Marcello omnimodis agere, quatenus, depositis superstitionis vanissimæ cultibus, cingulum resumeret militarem.

E  
sed veram

11 Quem cum nec illatis terroribus, nec blanditiis demulcentibus, ad suæ voluntatis assensum pertrahere se posse videret, postremo capitalem in eum sententiam promulgavit. Qui, cum ad locum, in quo decollandum se noverat, pervenisset, inducias sibi aliquas orandi a carnifice dari petiit et accepit. Qui, cum prostratus in terram, super eo, quod ad palmam perduci meruisset martyrii, gratias Deo et laudum præconia persolvisset, erigens sese, in hanc vocem erupit: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Qui mox ad spiculatoris ictum plexus capite migravit ad Dominum. Quod Apuleius,

eorum noti-  
tiam

A leius, ejus famulus, intuens, se Christianum esse, et pro Christo ne mortis quidem formidare supplicium, clara cœpit voce clamare. Quod spiculator audiens, certus, se per id suo Domino placitum, ipsius quoque gladio verticem amputavit. Passi sunt autem SS. Martyres sub Juliano cæsare die Nonarum Octobrium, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. *Toto celo differre hæc ab iis, quæ de SS. Marcello et Apuleio martyribus in superioribus sunt tradita, atque alios ab his martyres indicare, nemo unus diffitebitur: sed fabulam facile quisque offaciet, qui Acta S. Marcelli Tingitani apud Ruinarum Actis martyrum sinceris et selectis inserta a pag. 502 vel leviter inspexerit. Marcellus, cujus illic passio describitur, pariter centurio fuit, crimen idem illi obiectum ab ethnicis, abjectum militiæ cingulum: idem præses Fortunatus, qui Marcello litem primus intentavit: idem præfectus prætorio, vel militiæ, ad quem ille Marcellem, additis litteris, misit, nimirum Agricolanus; idem denique mortis genus, quo Marcellus uterque Agricolani jussu occubuit, nempe abscisso capite: ut satis appareat, hæc omnia a Marcello Tingitano ad Capuanum pro fingentis arbitrio fuisse translata.*

non habuerunt,

B 12 Frustra Michael Monachus ait, novum non esse, ut diversorum Acta martyrum plurima interdum habeant communia: nam quoties id contingit, vel ex hoc solo capite solent esse suspecta. Frustra item Monachus adjuncta aliquot, quibus Acta utraque invicem differunt, persequitur: facile enim videri, quisquis Acta illa fabricatus est, nimis fore ridiculum, si martyris Africani Acta Capuano sine ullo fere adjunctorum discrimine applicaret. Frustra denique hos versus, ab Alpherio Capuano archidiacono supra Orientalem S. Marcelli ecclesie januam, nunc obstructam, descriptos in subsidium vocat: cum enim Leonini sint, vel inde liquet, ineptos esse, ut quidquam de SS. Marcello et Apuleio Capuæ sub Juliano, ut volunt, passos, dum certiora ea de re monumenta Capuani proferant, prudenti lectori persuadeant: sunt autem hi:

Marcellus sanctus, contemnens cæsaris actus,  
Est Capuam latus, pro Christo decapitatus.

C Ex quibus satis liquere, arbitrator, quod supra aiebam, SS. Marcellum et Apuleium, quos ad hunc diem Capuani colunt, ipsis haud satis fuisse exploratos: quod ut amplius pateat, Breviarium Capuanum, sub Jordano Cajetano, archiepiscopo Capuano et patriarcha Antiocheno anno Domini 1489 excusum, consulamus: habet id ad diem 7 Octobris tres lectiones de SS. Marcello et Apuleio, sed multa ab iis, quæ in Actis, paulo ante rejectis, leguntur, longe diversa complexas. En illas.

et Marcellus, multum diversos

15 Lectio 1. Erat Marcellus quidam vir nomine, qui vite studiis et genere: prudentia quoque et honestate valde clarus habebatur: facultatibus etiam copiosus, et, quod omnium maximum est, religiosissime Deum timens, et ea, quæ de Christo dicebantur, semper cum timore auscultans. Nec quidquam boni erat omnino, quod illi viro deesset: unde et honore plurimo ab universa civitate colebatur. Præterquam ipse civitatem suam frequenter largitionibus remunerabat, pauperibus tribuens, afflictos relevans, tribulatis auxilium ferens. Lectio 2. Quodam tempore, cum Archelao epi-

scopo captivorum multitudo fuisset oblata a militibus, qui ibi castra servabant septingenti, non mediocri sollicitudo constrinxerat, eo quod pro salute ipsorum aurum a militibus posceretur. Quique, cum dissimulare non posset, pro religione et timore Dei vehementius estuabat et tandem, ad Marcellum properans, omne negotium exponit. Ut vero hæc audivit vir piissimus Marcellus, nihil omnino remoratus, ingreditur domum, præparans præcia captivorum, quantumque poposcissent, qui deduxerunt victos. Lectio 5. Et continuo, reseratis bonorum suorum thesauris, pietatis præmia a militibus nec numero aliquo, nec descriptione ulla distinguit, ut magis dona, quam præmia viderentur. At illi ammirati et amplexi tanquam in mensam (lege immensam) viri pietatem munificentiamque, et facti stupore permoti, exemplo misericordie commoventur, ut plurimi ex ipsis adferrentur ad fidem Domini nostri Jesu Christi: alii vero, vix quarta preciorum portione suscepta, discederent: ceteri parum aliquid, quod viatico tantum sufficeret, accipientes abirent. Tandem beatus Marcellus, cum abjecta militia Christianum esse, clara voce se diceret, sub Aureliano consulari cum Apuleo, famulo suo, capite cesus est; sepultus non longe ab urbe Roma Nonis Octobris.

AUCTORE  
J. B.

14 Acta Marcelli, martyris Tingitani, cognomini Capuano, paucis scilicet, ut rei argumentum exigere fabulatore visum est, officta fuisse, jam vidimus: peccata in his Lectionibus, in quibus, quæ trium Marcellorum, ætate, officio, et qualitate plurimum inter se dissidentium sunt, in unam eandemque fuere congesta personam, nec minora, nec pauciora occurrunt. Noti Archelaus et Marcellus apud antiquos scriptores, quorum ille Cascarorum in Mesopotamia fuit episcopus, et fidei contra Manetem, impium blasphemumque hæreticum, defensor acerrimus: hic vero ejusdem civitatis incola, vir, inquit Epiphanius adversus hæc. lib. 11 tom. II de Manichæorum hæresi num. 7 apud Petarium, egregius ac religiosissimus et imprimis illustris: de quo præinde intelligenda sunt, quæ Lectione 1 et 2 ac fere etiam 5 leguntur. Sed Archelaus quidem Martyrologio Romano a nuperis illius emendatoribus ad diem 26 Decembris inscriptus est, sed illum ait Castellanus, omni cultu carere: Marcellus vero, Archelai familiaris, nullis in Fastis sacris, quod sciam, locum habet, ut verosimile non appareat, hunc apud Capuanos sæculo xv cultum obtinuisse. Abjectio cinguli militaris et fidei Christianæ professio, de qua Lectio 5 sub finem, ad Marcellum Tingitanum pertinet. Postrema denique Lectionis 5 periodus, qua Marcellus et Apuleius sub Aureliano consulari capite cæsi, sepultique non longe ab Urbe dicuntur, Martyres Romanos aperte designant. Unde verosimillimum mihi apparet, martyres in Capuana Kalendaria, quæ supra laudavimus, relatos, eosdem plane fuisse, qui Martyres Romæ ab Adone, Usuardo ceterisque ad hunc diem annuntiati; ex quorum tenui apud Capuanos notitia factum sit, ut illis modo hujus, modo illius Marcelli res gesta, seu Acta fuerint applicata.

Officio proprio apud Placentinos gaudent,

15 Nec silentio prætereunda est Placentia, altera Italiæ civitas, cognominis ducatus caput, quæ SS. Marcelli et Apulei cultus studiosam jam dudum pariter sese exhibuit; ut docent ec-

AUCTORE  
J. B.

clesiæ Placentinæ Sanctorum Officia propria Claudii Rangoni, Placentini episcopi, jussu anno 1655 typis evulgata: his præfixum Kalendarium ad diem 7 Octobris sic habet: Marcelli et Apulei, et soc. mart. semiduplex in ecclesia S. Xysti. Non fit illorum mentio in Officio diei 7 Octobris, præterquam Lectione 6 ad Matutinum, quam, quod singularia quædam de sanctis illis Martyribus enarret, huc visum est transcribere his verbis illa concipitur: Eodem die anniversaria memoria celebratur sanctorum Marcelli et Apulei: qui, cum antea Simoni magno (lege mago) insigniter essent addicti, postquam beati Petri mirabilia opera, ac plane divina Romæ viderunt, statim Simone et idolorum cultu relicto, Apostolicaque doctrina imbuti, Christianam fidem ac religionem sunt amplexi, ut in atroci illa Neronis persecutione post Apostolorum necem Aureliani consularis jussu comprehensi, fortiter datis cervicibus, gloriosam martyrii palmam tulerint. Atque hæc quidem de Sanctis, de quibus agimus, congruenter et ab aliis etiam, ut ex supra dictis liquet, memorata, dicuntur.

B  
qui eorum reliquias

16 Singularia porro fere sunt, quæ sequuntur: De quibus illud etiam memoriæ proditum est, eos ejusdem beati Petri e cruce deposito corpori in Vaticano sepulturæ locum delegisse. Sepulti fuere non longe ab Urbe; sed eorum corpora Placentini, multis post annis ad se translata, et in S. Xysti templo honorifice condita, in hodiernum usque diem pie ac religiose habere et colore numquam destiterunt. Hactenus lectio 6; in quam hæc pauca observo. Quam fidem mereatur SS. Marcelli et Apuleii Simoni mago adhesio, colligi potest ex iis, quæ ea de re supra disserui. Acta S. Petri Apostoli Lino, ejus discipulo et successori, supposita, edidit Henschenius tom. V Junii, ubi pag. 428, num. 12 in fine hæc leguntur: Cujus (S. Petri) corpus Marcellus, unus ex discipulis ejus... in suo ipsius sarcophago collocavit in loco, qui dicitur Vaticanus, juxta viam triumphalem. Sed num de Marcello nostro (nihil hic de Apuleio) hic sermo est? Certe nihil suppetit, unde id certo affirmem. Clarius quidem loquuntur Acta S. Petri, apud nos tom. VII Junii pag. 16, ubi hæc: Corpus ejus a Marcello Apuleioque fratribus... in Vaticano, haud procul via triumphali, ad Neronianos hortos circumque sepelitur: at cum illa Paulum Emilianum Sanctorum, anno 1617 ad archiepiscopatum Consentinum in Calabria promotum, et sexennio post ad ecclesiam Urbinatensem translatum, habeant auctorem, non id ætatis ac ponderis habent, ut pro certo accipi debeat, S. Petrum, a Marcello et Apuleio, de quibus hic nobis sermo est, fuisse sepultum.

C  
in S. Xysti templo

17 Porro non recentem esse SS. Marcelli et Apuleii Placentinæ cultum, colligi satis potest ex illis jam data: Lectionis sextæ verbis, quibus non modo olim illorum corpora ad Placentinos translata, sed etiam usque ad annum 1655 in S. Xysti pio semper ac religiose servata fuisse dicuntur: quo primum tempore in Kalendaria ecclesiastica et Breviarium Placentinum refertur sancti Martyres ceperint, equidem me latet: at universim loquendo, coli eos sacris honoribus a Placentinis ceptos esse, existimo, saltem ex quo S. Xysti templum apud illos conditum fuit. Condidit autem id sacris Benedictini Ordinis virginibus (sed ad viros dein devotum est) Angilberga, imperatoris

Ludovici hujus nominis II uxor, anno, ut vult Campius lib. VII Historiæ ecclesiasticæ Placentinæ, 852 ex diplomate Ludovici II, quod recitat part. 1, pag. 438. Dicitur in eo Angilberga infra muros Placentinæ urbis in Dei nomine atque amore in honore sanctæ Resurrectionis monasterium unum sacrarum puellarum construere velle. Datum vero legitur in Idus Octobris, Indictione xv, anno imperii domini Hludovici octavo, Incarnationisque Domini nostri Jesu Christi DCCCLII. At non unam notæ hæc chronica difficultatem patiuntur: nam 5 Idus Octobris dicti anni non 13, sed prima potius currebat Indictio: annus vero 852 Ludoviciani imperii tertius vel quartus fuit; cum anno tantum 849 patris collega factus et 850 a Leone IV Romæ fuerit coronatus; uti Pagius docet ad annum 844, num. 4 in sua in Annales Baronianos Critica.

18 Sed Campius ab anno Christi 844 Ludoviciani imperii exordium numerat; quo quidem re anno 874 Longobardorum coronatus est a Sergio Papa, non tamen imperator. Sincerioris notæ apparet id Ludovici diploma, prout illud tom. II Antiquitatum Italicarum medii ævi col. 455 et seqq. Muratorius exhibet, iisdem fere verbis conceptum, sed paulo contractius; legiturque in illo pariter Angilberga infra muros Placentinæ urbis monasterium unum sacrarum puellarum construere velle. Sed datum scribitur in Idus Octobris, Indictione VIII, anno imperii domini Hludovici xxv, qui characteres chronologici et melius sibi congruunt, et annum Christi indicant 874. Joannes de Mussis in Chronico Placentino anno 812 ab Angilberga imperatrice, Ludovici, filii Caroli Magni, uxore, S. Xysti templum Placentinæ conditum scribit: sed manifestum est, Ludovicum Pium cum Ludovico II abs illo confundi. In eundem errorem libro de Origine Placentinæ (quem vide ad calcem tom. III, part. 2 Theauri Historiarum Italiæ) Umbertus Locatus impiegit. Verba ejus, e quibus, unde et quando Angilberga SS. Marcelli et Apuleii reliquias acceperit, conjici potest, huc transcribo. Anno proximo (813) Bernardo nepote capite punito, Ludovicus imperator Italiæ regnum obtinuit, in quo quidem annis sex et viginti regnavit. Hujus imperatoris uxor Engilberga infra mœnia Placentinæ divis Sixto et Agapeto (imo Fabiano) martyribus cum monialium monasterio erexit templum, in quo cum nonnullis Sanctorum reliquiis ejusdem divi Sixti martyris ac Pontificis a Paschali Pontifice maximo sibi donatum corpus Ludovicus ipse uxori collocandum ex Roma Placentiam transmisit anno DCCCXII vel circa.

19 Legerat verosimiliter Locatus in quibusdam monumentis, Ludovicum imperatorem a Pontifice Romano S. Xysti aliorumque Sanctorum reliquias, Romæ acceptas, ad uxorem misisse Placentiam: quæ, cum generatim tantum scripta reperisset, de Ludovico Pio, quæ de Ludovico II intelligenda erant, fuerit interpretatus: hujus enim, non illius uxorem Angilberga fuit, et Ludovicum II anno 872 vigilia Pentecostes Romam venisse, et postridie, peracta solemnè ritu re divina, ab Adriano Papa ad Lateranensem palatium insigni pompa fuisse deductum, habent Annales Bertiniani. Itaque Ludovicus hujus nominis II eo anno S. Xysti aliorumque Sanctorum reliquias, quas dein uxori suæ Angilbergæ in monasterio ab ea erigendo collocandas donavit, acceperit vel ab

D

jam inde ab anno 874

E

F

religiose servasse evidentur.

A ab Adriano, vel a Nicolao, quod in Vita Sixti II pag. 51 Libanorius scribit. At sive id Adrianus, sive hujus decessor Nicolaus præstitit, fuisse ex illarum reliquiarum numero SS. Marcelli et Apulei reliquias, inde fit vero simile, quod anno 879 jam inde in illo monasterio, ut ex Carolomanni mox citando diplomate efficitur, exstiterint. Hinc porro sanctorum Martyrum apud Placentinos cultus sub anno 874 initium accepisse videtur: ex diplomate enim Carolomanni, quod Anno Incarnationis Domini DCCLXXIX, 2 Nonas Augustini, anno III regni domni Karlomanni regis in Bauoaria, et II in Italia, Indictione XII datum legitur, liquet, jam tum, cum id datum fuit, SS. Marcelli et Apulei reliquias in dicto monasterio religiose fuisse servatas. Verba diplomatis, huc facientia, hæc sunt: Quapropter noverit industria omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium et futurorum, quoniam, comperto in ædificatione monasterii studio amatissimæ sororis nostræ Angilbergæ augustæ in urbe Placentiæ æternæ propitiationis intuitu, pro honore ejusdem omnipotentis Dei et ipsius reverentia Genitricis, necnon Apostolorum omnium, sanctorumque martyrum Sixti, Fabiani, Marcelli et Apulei inibi quiescentium, concessimus atque perenniter confirmavimus etc. Ita Carolomannus apud Campium pag. 464.

Fabulosa de Marcello,

B 20 Ceterum fieri facile potest, ut et alibi, tum in Italia, tum in ceteris orbis Catholici partibus SS. Marcello et Apuleio singularis honor exhibetur: sed modo in Hispaniam nos Tamayus et Bivarius potissimum evocant. Binis hæc scriptoribus Pseudo-Dextri Chronicon, jam toties protritum, ut quidquam de eo dicere supervacaneum hodie sit, amplam figmentorum materiam præbuit. Id apud Bivarium ad annum Christi 71 ita habet: Marcellus, M. Marcelli, discipuli Petri, cognomento Eugenii, consanguineus, olim cum eodem Marcello Simonis magi discipulus, non procul Roma patitur. Quem dextri locum ita Bivarius commentatur: Sunt, qui dicant, agi de his in Actis sanctorum martyrum Nerei et Achillei; falluntur tamen, quia Marcellus, de quo ibi agitur, non fuit passus prope Romam; sed fuit S. Eugenius, Toletanus archiepiscopus, qui prius M. Marcellus dicebatur, et ob nobilitatem postmodum a Christianis dictus est Eugenius, quod sonat nobilis. Fuit quidem et ipse Simonis et Petri discipulus, sed diversus ab illo, tametsi consanguineus ipsius. Ad eundem fere modum loquuntur Acta S. Eugenii apud Tamayum ad diem 15 Novembris. Verum hæc, ut gratis excogitata sunt, et absque legitimo antiquorum scriptorum monumentorumque auctoritate asserta, ita jure merito exploduntur. Recte tamen negat Bivarius, Marcelli Epistolam, Actis SS. Nerei et Achillei insertam, Marcello una cum Apuleio prope Urbem passu, debere adscribi; sed unde habet, S. Eugenio archiepiscopo Toletano eam adscribi oportere? Tam illa, quam altera Marcelli de rebus inter S. Petrum et Simonem magum gestis scriptio, quam apud Florentinum a pag. 105 videre est, nullius fere hodie apud eruditos sunt fidei: consultius itaque fecisset Bivarius, si Epistolam Marcelli ad SS. Nereum et Achilleum scriptam neutri Marcello attribuisset: sed, relicta nugis, Tamayum ad diem 7 Octobris de SS. Marcello et Apuleio, seu de ipsorum reliquis et cultu saniora tradentem audiamus.

21 Apud Sorianam, inquit, urbem Hispania

(in diocesi Oxomensi) Inventio sanctorum pignorum SS. Sergii, Bachi, Marcelli et Apulei martyrum, quorum primi apud Augustam Ephratensem; secundi Romæ, post peractos pro fidei defensione strenuos agones, ad palmam victores pervenerunt athleteæ. Inventionis hujus, circa annum 1470 factæ, Acta, a domino Lupo de Morales, equite Jacobæo, anno 1627 Hispano idiomate scripta, Tamayus Latina fecit: ex quo illa accipe: In oppido, quod dicitur Cuebas, jurisdictionis nobilissimæ et antiquæ urbis Soria, tertio ab ea lapide ad Occidentalem angulum situs erigitur inaccessibilis, ex tribus partibus sic saxorum continuatione compactus, ut pene videntibus nil nisi præcipitium ostendet. Per quartam igitur partem, qua Oriens elucescit, planum iter conspicitur, juxta quod insignia vetustas oculis permisit mœnium vestigia, quæ prorsus totum occludebant situm, et ad formam castris planitiem circumegebant inexpugnabilis. Hic plerumque plura inventa sunt antiqua numismata, et rudera ædificiorum, et aliquando aquarum inundationibus corpora militum armatorum, quorum cadavera ibidem aut necessitas, aut belli periculum, nullis quæsitis amplioribus monumentis, sepelivit.

AUCTORE  
J. B.  
sed de Marty-  
rum Soriae in  
Hispania

22 Intra hujus loci situm, adhuc eremitorium S. Christophoro dicatum conservatur, quod tantæ vetustatis apud opidanos esse prædicatur, ut ejus initium et constructio prorsus omnium hominum viventium memoriam excedat. Itaque locus ille per aliquot secula nullam aliam accepit venerationem, quam quæ solet dari a fidelibus cæteris eremitoriis alicui Divo sacra-  
E reliquis et cultu  
tis, licet ubicumque situs opacitas, ædificiorum vestigia et rudera signa, illud montis supercilium admirabile accolis et magnæ existimationis reddidere. Evenit erga circa annum MCCCCLXX, Deo sic permittente, ad sui et Sanctorum suorum gloriam et honorem, quod in limite eremitorii prædicti intra ecclesiam, nullo quærente, sed casu, lapidea capsula cœpit in humo patefieri, quæ quatuor planis confecta et coadunata visebatur lapidibus, in qua ossa quatuor hominum inventa sunt, quæ protinus fragrantissimum odorem respirantia, ea esse Sanctorum lipsana, prædixere, ut impleteretur Salomonis dictum: « Thesaurus desiderabilis, et oleum in » habitaculo justi. » Sed, quia inventio hujusmodi hautquaquam absque auctoritate transiret, nec corpora in sola præsumptione persisterent, omnipotens Deus intra capsulæ lapideæ cavum dignatus est manifestare pergamineum pitacium, aureis litteris et cæruleis characteribus conscriptum, hæc aut similibus litteris Latinis: « Gentes, necessitatibus, oppresse. » occurrite. SS. Sergio. Bacho. Marcello et Apuleio. »

23 Statim hujus mirabilis inventionis fama per totum circumjacentium oppidorum ambitum transcendens, plurimos ægrotos ad limina eremitorii traduxit, quos divina pietas per merita suorum Martyrum, quorum ossa devotio contrectabat, sanos ad propria dimisit. Hujus etiam eventus opinionem cum episcopus Oxomensis, in cujus diocesi situm eremitorium conspicitur, audivisset, præcedente informationis processu, quo constitit de re in inventione acta, et de miraculis postmodum evenientibus, frequentique fidelium concursu et cæteris Actum auctorantibus, sacra sanctorum Martyrum lipsana honorifice collocare præcepit. Quod  
F  
seniora Tamayus tradit,  
ut

AUCTORE  
J. B.

ut factum, frequentius eremitorium illud a fidelibus visitatum, omnes quoque morbo laborantes integram quotidie sanitatem recipiunt. Sed et tempore, quo pluvia sementibus deficit et fructibus terra, vix oppidorum processio ad eorum limina sistit, cum nubium imbres, apertis cæli cataractis, totum regionis agrum pluvis salutaribus implent. *Teste itaque domino Lupo de Morales SS. Marcellus et Apuleius cum SS. Sergio et Baccho, maxime a saculo xv ad suam usque ætatem non modo peculiarem illic cultum obtinuerunt, sed pluribus hunc etiam tum miraculis, tum beneficiis, divinitus ad illorum invocationem exhibitis, apud circumjacentes populos auce- runt; quod quidem in dubium vocare notim: cum tamen solus ea de re, ut Tamayus ait, Lupus scripserit; nec hujus Opus videre contigerit hactenus, nescio, num undequaque vera sint, quæ Tamayus de Lupi Opere seu scripto his verbis addit: Hactenus D. Lupus de Morales circa inventionis hujus relationem, qui ad contraria, quæ possent opponi, docto calamo respondet, causasque, quibus hæc sacra pignora Hispaniam transferri*

valerent, ad amussim exponit: *quæ cum, ut dixi, nobis hactenus explorare non licuerit, cogimur hæc in re sustinere judicium.*

24 Acta SS. Marcelli et Apuleii habemus ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris, quorum initium est: Marcellus et Apuleius primo quidem Simoni mago adhaeserunt etc.: *finis vero: Sed Deus eos (Eutichetem, Victorianum et Maronem) ibidem in vita miraculis clarificavit, et cum multos convertisset, martyrio coronati sunt, ut habetur xii Maii in festis SS. Nerei et Achillei. Eorum exordium eadem complectitur, quæ Martyrologia, hujus Sylloges principio citata. Tum S. Petrum, Apostolorum principem, a Marcello tumultatum narrant ex Actis, S. Petri Lino Papa suppositis, ut hæc Actorum Ultrajectinorum verba ostendunt: Hæc Linus Papa. Reliqua fore ex Actis SS. Nerei et Achillei (Vide tom. III Maii pag. 9 et seq. num. 10 et quatuor sequentibus; item pag. 11, num. 18, 19 et 20) descripta sunt; quapropter ea iterum prælo, maxime cum illa, unde sunt hausta, exigua sint fidei, subjicienda non putavi.*

Car non edantur Martyrum Acta.

## DE S. EUMENIO EPISC. CONF.

### ALEXANDRIÆ IN ÆGYPTO.

#### E FASTIS HABESSINIS.

C. B.

ANNO CXLIII. Sanctus, cui septimus inter patriarchas Alexandrinus locus haud inepte tribuitur.

**A**lexandriam in Ægypto ecclesiam ab æræ vulgaris anno quadragesimo ad annum usque centesimum septuagesimum nonum, uti in Chronologica patriarcharum Alexandrinorum Historia, Operis nostri tom. V Junii præfata, videre licet, patriarchæ numero decem, pro Sanctis ab Ecclesia omnes habiti, administrarunt; septimum autem hos inter locum tenuit, qui in Alexandrina patriarcharum Coptitarum Historia, ab Echeleni typis Parisiensibus anno 1631 edita, Eumenius vocatur. Ab Eusebio quidem is in editionis Scaligerianæ Chronico ad annum 151, ubi Hymenæus, et in Historia Ecclesiastica lib. iv. cap. 5, ubi Eumenes nuncupatur, ecclesie Alexandrinæ sextus dumtaxat ordine præfuisse traditur; verum is scriptor, etsi Alexandrinæ urbis episcopatum primus omnium S. Marcus gesserit, hunc tamen idcirco verosimillime, quod non tam episcopus, uni Alexandrinæ sedi addictus, quam Apostolus, qui non solum Ægyptum, sed alias præterea regiones veræ fidei lumine illustravit, existisse videri queat, Patriarchis Alexandrinis haud annumerat; quare, cum his nihilominus merito S. Marcus, non secus ac Romanis Pontificibus S. Petrus, accenseri posse videatur, septimus eosdem inter patriarchas locus S. Eumenio haud perperam tribuitur.

¶ Utinam modo, quam certum hoc apparet, tam certo etiam innotescerent Sancti gesta! Verum tam quæ ad hunc, quam quæ ad plures alios

patriarchas Alexandrinos spectant, maxima ex parte, antiquis monumentis, quibus consignata reperias, deficientibus, in obscuro sunt. Eumenium interim anno 150, mense Junio ad patriarchatum Alexandrinum fuisse evectum, annoque 145 septima Octobris die e vivis excessisse, in laudata Chronologica patriarcharum Alexandrinorum Historia num. 90 et binis seqq. Sollerius ex Eusebio primum ostendit, tum breve, quo Sanctus in Habessino Hagiologio celebratur, conceptum præcipue hisce verbis, Salutem Eumenio, qui bona elegit, mala sprevit, dignus ut constitueretur in Sede S. Marci Alexandria, encomium recitat, ac tandem subjungit: Nihil præterea de hujus Patriarchæ (S. Eumenii nimirum) rebus præclare gestis reperimus, plura suo loco daturi, si qua ex Copticis Synaxariis aut aliunde nanciscamur. Plura de Eumenio suo loco danda, quæ fortassis temporis lapsu nos nacturos, Sollerius, uti hisce ipsemet verbis indicat, existimavit, nacti hactenus, quod pœnitet, non sumus, nec fore, ut nanciscamur, spes ulla affulget. Verum, etsi res ita habeat, Eumenio tamen, quem mox assignato a Sollerio tempore et ad cathedram Alexandrinam fuisse promotum, et vivere desuisse, in animum induco, in Actis nostris locum hic dandum existimavi, quod in Habessino Hagiologio jam laudato, Æthiopicumque seu Habessinorum apud Jobum Ludolfum Calendario, in quibus binis solis Fastis sacris reperitur, ad hunc diem dumtaxat, quo etiam illum, ut jam dixi, obisse, puto, commemoretur.

in Fastis Habessin, in quibus solis reperitur, hodie recoitur ideoque hic datur.

DE



## DE SS. SERGIO ET BACCHO MM.

IN SYRIA.

## COMMENTARIUS PRÆVIUS.

## § I. Sanctorum memoria in Fastis sacris, cultusque ecclesiasticus publicus.

SÆCULO III  
AUT INITIO  
SEQ.  
Sancti, qui  
multis hodie  
Græcorum  
Latinorum-  
que

**M**artyrologii, quod S. Hieronymi nomine passim venit, reliquisque omnibus Martyrologiis hagiologice ætate prævit, exhibita a Florentinio tria apographa, Lucense nimirum, Corbeïense, hisque antiquius Antverpiense seu Epternacense, SS. Sergium et Bacchum, corrupte tamen in Antverpiensi confato in unum a librariis amborum nomine, hodie commemorant. In contracto, quod Operis nostri tom. VII Junii exstat insertum, Richenoviensi Hieronymiano apographo idem etiam fit, uti et in antiquissimis duobus, Stabulensi uno, Verdensi altero, Calendariis, ecclesiæque Autissiodorensis Martyrologio, amplissimæ Collectionis Scriptorum Veterum tom. VI a Marteneo vulgatis. Hisce etiam præter pervetusti ecclesiæ Turonensis Martyrologii opud Marteneum tom. III Thesauri Anecdotorum col. 1390 Fragmentum, quod Sanctos, non hodie, sed ad diem sequentem seu 8 Octobris celebrat, accedunt antiquum, quod Genebrardus anno 1392 publici juris fecit, Græcorum Calendarium, Basilianum, quod in publicum ecclesiarum Constantinopolitanarum usum ante annum 984 exaratum fuisse videtur, notissimum modo Menologium, Martyrologium Romanum Parvum seu vetus, aliæque ex antiquioribus, quæ Classica vocari solent, Latinorum Martyrologiis quatuor, Adonianum videlicet, Rabianum, Usuardinum et Notherianum. Id interim tamen, quod Operis nostri tom. II Martii præfigitur ac Bedam habet auctorem, aliudque, quod metrice Wandelbertus contexit, nullam usquam SS. Sergii et Bacchi mentionem instituit, uti nec aliquot contractiora Hieronymiana apographa, a decessoribus nostris tom. VII Junii, aliisque aliis in lucubrationibus typorum beneficio vulgata.

hagiologiis  
reperiuntur  
inscripti,

¶ Verum, etsi id ita sit, nonnulla equidem supra laudata Hieronymiana apographa, aliæque monumenta sacra, quæ fere omnia sæculo undecimo certo noscuntur antiquiora, binosque illos illustres Pugiles unanimi consensu hodie recolunt, fuisse hosce in Ecclesia, tam Græca, quam Latina, ante idem sæculum magna veneratione gavisos, argumento sunt minime dubio; hanc autem lapsu temporis non desuisse, imo ne decrevisse quidem, satis superque ostendunt sequiorum temporum non pauci, quibus Sanctorum nomen pariter reperitur inscriptum, Fasti sacri tum Græci, tum Latini. Ac præcipui quidem (neque enim omnes recensere, operæ pretium existimo) posteriores inter sunt Martyrologium Romanum hodiernum, aliæque, quæ sæculo undecimo recentiora certissime sunt, a Belino, Greveno, Mauro-

lyco, Galesinio, et Molano contexta; Priores autem inter memorari præcipue merentur Menologium Sirelianum, magna Græcorum Menæa excusa, aliæque a Græcis usurpari soliti seu Fasti sacri seu libri ecclesiastici, qui et ipsi omnes sæculo undecimo recentiores, etsi non certo, verosimillime tamen sunt. Sergium porro et Bacchum non tantum in Fastis sacris, illatis in hosce illorum nominibus, Græci Latinique hodie celebrant, verum etiam in ecclesiastico Officio.

¶ Ac primo quidem, ut a re, quantum ad Latinos, probanda exordiar, in Breviario Romano, in quo hodie Officium de S. Marco Papa recitandum exhibetur, commemoratio de Sanctis nostris, oratione hæc simul sanctisque Marcello et Apuleio propria assignata, faciendæ præscribitur, inque Missa, recitari ad hunc diem solita, non tantum Orationem, sed etiam Secretam et Post-communionem quatuor illis Sanctis proprias. Missale Romanum proponit. Quod modo ad Græcos pertinet, hi hodie de SS. Sergio et Baccho non tantum commemorationem, verum, intersertis dumtaxat fere Juliani, Casarii et Polychronii, qui serius in Martyrologio Romano hodierno celebrantur, elogiis, ipsum suum faciunt Officium, uti quisque comperiet, qui magna Græcorum Menæa excusa, Typicum, quod S. Sabæ nomine insignitur, novissimumque, quod anno 1758 impressum est, Anthologium inspexerit. Atque hæc sunt, quæ generatim de Sanctorum apud Græcos Latinosque cultu in medium hic adducenda existimavi, commodius alibi, quæ ad specialem eorumdem apud hosce aliosque in locis nonnullis sacris venerationem spectant, lectorem edoctrurus: quod antequam faciam, notandum ante omnia adhuc est, non tantum apud Græcos Latinosque, verum etiam apud Slavo-Russos seu Græco-Moscovos, Coptitas, maximeque apud Syros seu Chaldaeos, apud quos martyrio coronati sunt, magno in honore ac pretio ambos sanctos nostros Athletas haberi.

partemque in  
ecclesiastico  
eorumdem  
Officio habent.

¶ Etenim in Ephemeridibus Græco-Moscovis, Operis nostri tom. I Maii præfixis, in Sparwensfeldiano, quod Ms. servamus, Menologio Slavo-Russico, itemque in Ruthenico, quod Moscuæ anno 1688 Georgius David, Societatis nostræ sacerdos, ad nos misit, Synaxario Bacchus simul et Sergius hodie signantur. Quod vero ad Coptitas Syrosque spectat, Sergius quidem, qui, quemadmodum infra docebo, solus hodie gloriosum pro fide certamen felici obitu terminavit, solus etiam, non secus atque id in Ruthenico Possevini Calendario, in Gellonensi apud Dacherium tom. XIII Spicilegii Martyrologio, contractoque apud nos tom. VII Junii Hieronymiano, quod Labbeanum inscribitur, apographo fit, in Calendario Coptico, quod

in sacris pa-  
riter Græco-  
Moscovorum  
aliorumque  
Fastis cele-  
brantur.

AUCTORE  
C. B.

quod a Kirchero, Societatis nostræ sacerdote, in linguam Latinam versum fuisse, suspicio est, alioque item Calendario Coptico, quod scabrose in linguam Latinam versum habemus, hodie commemoratur; verum in Calendario itidem Coptico apud Seldenum de Veterum Hebræorum Synedrüs pag. 379 cum adjuncto sibi Baccho, qui ibidem nomine a lingua Coptica deducto Achasis, atque apud Jobum Ludolfum in sacris ecclesiæ Alexandrinæ Fastis Wachasius dicitur, hodierno pariter die notatur; idem autem in Calendario Syriaco seu Chaldaico, typis Romanis anno 1624 excuso, Latineque dein reddito atque apud nos Ms. exstante, etiam fit, idque non tantum ad hunc diem, verum etiam, quod sane, ambos Sanctos nostros præsertim apud Syros seu Chaldæos magna, ut jam dixi, in veneratione esse, argumento est, ad 9 Decembris, iterumque ad 21 Augusti, ad posteriorum tamen hunc diem eorum commemoratione dumtaxat assignata.

Elogia, quibus id in Usuardino et Romano hodierno Martyrologiis fit, recitantur.

5 Atque ita modo, in quibus Sancti nostri, modica subinde, quod nondum monui, intercurrente in nominibus eorum variatione, celebrantur, Fastos sacros præcipuos recensui. En nunc, quibus id in Usuardino et Romano hodierno Martyrologiis fit, vna eogia. Primum sic habet: Apud provinciam, quæ nuncupatur Augusta Eufratesia, sanctorum martyrum Sergii et Bachi sub Maximiano imperatore; quorum Bacchus tam diu nervis crudis est cæsus, quoadusque totus corpore discissus in confessione Christi emitteret spiritum: Sergius vero clavatis coturnis pedibus indutus, cum in fide fixus maneret, data sententia, jussus est decollari: Secundum vero, quod ex hoc, uti ex utriusque collatione patescet, majorem partem concinatum est, sequentibus hæc verbis concipitur: In provincia, quæ nuncupatur Augusta Euphratesia, sanctorum martyrum Sergii et Bacchi, nobilium Romanorum, sub Maximiano imperatore: quorum Bacchus tam diu nervis crudis cæsus est, quoadusque toto corpore discissus in confessione Christi emitteret spiritum; Sergius vero clavatis coturnis pedes indutus, cum in fide fixus maneret, data sententia, jussus est decollari; cujus nomine locus, ubi quiescit, Sergiopolis appellatus, ob præclara miracula frequenti Christianorum concursu honoratur. Reliqua omnia ac singula, quibus Sergius et Bacchus in aliis supra enumeratis Fastis sacris ornantur, seu eogia seu annuntiationes (locis enim suis, si quid notatu dignum offerant, in decursu notasse suffecerit) lectori hic ob oculos ponere operæ pretium non puto; ut ei tanen, quæ de Sanctis potissimum narrantur, in ipso statim Commentarii hujus limine compendio exhibeam, non possum, quin suppeditatum ab Adone prolixius eorum elogium duobus aliis jam datis, quorum primum Usuardus ex hoc contraxit, præterea adjungam.

uti etiam prolixius, quod Sanctis

6 Sic itaque id habet: Eodem die (7 nempe Octobris) natale sanctorum martyrum Julii, Sergii et Bacchi sub Maximiano imperatore; cujus honoribus sublimati in palatio ejus clari habebantur. Nam Sergius erat primicerius, Bacchus vero secundicerius scholæ gentilium. A quibusdam ergo apud imperatorem accusati, quod essent Christiani, vocati sunt ab imperatore, ut sacrificantes Jovi de sacrificiis oblati cum eo degustarent. Ingressus imperator templum gustavit de sacrificiis, et circumspectans non vidit Sergium et Bacchum: neque enim

ingressi fuerant templum. Mittens igitur milites deadstantibus sibi imperator jussit eos introduci; quibus et dixit: Ut video, facti estis deorum inimici. Accedite ad aram Jovis magni et sacrificate, ac de sacrificiis ejus, sicut et ceteri, manducate. Responderunt beati Sergius et Bacchus: Habemus regem verum æternum in cælis, Jesum Christum filium Dei. Huic per singulos dies offerimus sanctum vivumque sacrificium atque rationabilem culturam; lapides autem et ligna non adoramus. Imperator tunc indignatus jussit exutos chlamyde indui eos muliebri colobio et per mediam civitatem ad palatium pertrahi, catenis in cervicibus positus. Et cum pervenissent ad palatium, dixit eis imperator: Sceleratissimi, scitis, quia, quem colitis Christum, fabri filius fuit, et antequam nuptiæ legitime fierent, de adulterio facto mater cum procreavit? Cui Milites Christi responderunt: Erras imperator; nam, quem colimus, Deus verus est et vita æterna, qui fecit cælum et terram et quæ in eis sunt.

7 Amplius igitur veris prosecutionibus eorum iratus Maximianus jussit eos Antiocho duci tradi, ut constringeret eos in cippo. Et, facto mane, sedit in prætorio, et adducti sunt ante illum Sergius et Bacchus, et cum nec blanditiis, nec minis eos a proposito incurvare posset, beatum quidem Sergium iterum jussit in custodia recipi; Bacchum vero extensum nervis crudis tam diu cædi, quousque cedentes lassifecerent. Et vicissim succedentibus sibi cæsoribus, Martyr gloriosus in confessione Christi, totus corpore discissus, emisit spiritum, et, relicto corpore avibus et feris, abiit Antiochus. At Christiani, furtim venientes, tulerunt corpus Martyris et in spelunca quadam sepelierunt. Sequenti vero die beatus Sergius, eductus de custodia, præsentatur Antiocho; qui cum verbis eum flectere non posset, primo coturnos confixos clavibus vestiri eum fecit, et novem milibus ante se currere. Postmodum in sententia fixum manere videns, decollari jussit, quem tunc Christiani in eodem loco sepelierunt. Parvo autem tempore interposito, beatum quoque Bacchum a loco, quo tumulatus fuerat, elevantes honorabili Martyribus loco juxta sanctum Sergium composuerunt; ubi et virgo Julia, quæ sub Martino præside martyrium consummavit, sociata Martyribus sepulta quiescit. Tale est prolixius, quod SS. Sergio et Baccho Ado adornavit, elogium. Atque id quidem, quantum ad nonnulla, quibus constat, capita martyrologus hic et diffusioribus illorum Actis compendio fecit; verum e quibus? Id sequens § aperiet.

Ado adornavit.

## § II. Acta Latina, e quibus prolixius elogium Ado Sanctis adornavit, aliisque Acta Græca qualia sint, et cur ambo edenda.

Duplici modo inveniuntur Sanctorum Acta, alia nempe, quæ sola lingua Latina exhibentur descripta, alia vero Græca, quæ, a Lipomano in linguam Latinam primum conversa, a Surio deinde, in Vitarum, quam compilavit, collectionem,

Adonianum Sanctorum elogium ex Actis Latinis

A ctionem, nulla prorsus in Lipomani interpretatione mutatione invecata, ad hunc diem sunt illata. Actorum Graecorum exstant penes nos in codice signato X. MS. 195 exemplaria duo, ad amussim invicem consonantia, quorum alterum unde acceptum sit, ignoro, alterum e Ms. Mediceo bibliotheca regia Parisiensis notatur desumptum; Latinorum autem Actorum exemplar seu apographum unum tom. II Vitarum, a se editarum, exhibet Mombritius, triaque alia nos Mss. habemus in totidem Mss. codicibus, quorum prior Q. MS. 6, secundus Q. MS. 7, ac tertius denique P. MS. 20 notatur. Duo e tribus hisce Mss. exemplaribus seu apographis priora apprime inter se, uti etiam, si locum unum infra assignandum exceperis, cum eacuso Mombritiano exemplari, non solum in substantia adjunctisque omnibus, verum etiam in ipsis pene, si paucas, quae ad rem parum faciunt, lectiones variantes excipias, verbis singulis, quibus isthaec exprimuntur, conveniunt; quod vero ad postremum ex iisdem tribus Mss. Actorum Latinorum exemplaribus spectat, licet et hoc cum duobus aliis eacusoque Mombritiano exemplari in substantia atque adjunctis exacte admodum congruat, in verbis tamen, quibus haec exponuntur, ab iisdem plurimum discrepat. Hisce praemissis, ad id modo, quod hic quaeritur, respondeo. Acta Latina, iisdem omnino aut certe fere iisdem, quibus tria jam memorata, quorum unum a Mombritio atque duo in codicibus nostris Q. MS. 6 et Q. MS. 7 exhibentur, exemplaria seu apographa constant, verbis concepta, Adoni praeluxisse, ex iisque abs hoc, quod num. 6 et 7 recitavi, Sanctorum elogium, quantum ad nonnulla, quibus constat, capita fuisse concinnatum, verosimillimum, ne dicam indubitatum, apparet.

quorum hic quoddam

9 Ea sedet sententia, quod locutiones phrasaeque, ac pleraque etiam verba, quibus ea Ado complexus est, in illis quoque Latinis Actorum exemplaribus inveniuntur. Ut res manifesta evadat, quoddam ex hisce contractum, quale Adoniano Sanctorum elogio exhibetur, Actorum eorundem, punctis plerumque, ubi, quae in hoc ommissa sunt, occurrunt, dumtaxat interpositis, compendium propono, majori etiam, quam par sit, qualis ex decendis et in Adoniano elogio occurrit, licentia in contrahendo adhibita. Tunc itaque... (codicis nostri, notati Q. MS. 7, lectiones sequor) Sergius et Bacchus pollebant in palatio, honorabilesque erant apud Maximianum imperatorem. Beatus quidem Sergius erat primicerius... scholae gentilium... Beatus vero Bacchus ejusdem et ipse scholae gentilium erat secundicerius... Invidia ergo maligni demonis... quidam... eos... accusaverunt apud imperatorem, quod fuissent Christiani... Continuo ergo (ad sacrificandum nempe) convocavit eos imperator... Et templum ingressus est... et sacrificavit... ac de sacrificiis degustans circumspectus et non vidit Sergium et Bacchum; neque enim ingressi fuerant in templum... Mittens imperator quosdam de adstantibus sibi satellitibus jussit eos... introduci. Ingredientibus dixit: Sicut video... contempnere vultis edictum imperiale, transgressores facti deorumque inimici... Accedentes... ad aram Jovis magni sacrificare, et de mysticis sacrificiis degustate, quemadmodum et ceteri. Respondentes autem... Sergius et Bacchus dixerunt: ... Habemus...

Octobris Tomus III.

Regem verum aeternum in caelis, Jesum Christum Filium Dei... Huic per singulos dies offerimus sanctum vivumque sacrificium, atque rationabilem culturam; lapidibus autem et lignis non sacrificamus, neque adoramus...

10 Indignatus itaque imperator jussit... zonas eorum incidi, et exutos clamidibus... induit eos colubilia \* muliebra; et... per mediam civitatem usque ad palatium pertrahi gravissimas in cervicibus catenas portantes... Quando autem venerunt ad palatium, vocavit Sanctos imperator et dixit: Sceleratissimi... scitis, quia, quem vos colitis Christum, fabri filius fuit, et, antequam nuptiae legitimae fierent, adulterio facto Mater eum procreavit... Respondentes... fortissimi Christi Milites dixerunt: Erras, imperator... Quem... tu dicis adulterio facto fabri fuisse filium, ipse est Filius Dei veri, qui cum eo et per eum omnia fecit, caelos extendit, terram fundavit... Haec audiens imperator plenus furore factus est, et... transmisit eos ad Antiochum ducem... Mane... facto, sedit in praetorio dux, et... dixit: Ingrediantur legati \*... Adstantibus autem Sanctis... dixit: ... Vel nunc sacrificate diis... Respondentes Sancti dixerunt: ... Non tangit animas nostras oratio tua... Tunc iratus valde dux Antiochus beatum quidem jussit Sergium iterum custodiae recipi; beatum vero Bachum extensum brutulis crudis caedi in tantum usque, dum illi, qui caedebant illum, in terram lassii ceciderunt. Illis autem de labore lassis, jussit alios regirare sanctum martyrem Bachum, et his iterum ventrem ejus caedi... Et dum caderetur Sanctus, tradidit animam in manibus \* angelorum. Iratus autem Antiochus jussit, ut nec corpus ejus sepeliretur, sed canibus, bestiis ac volucris projiceretur; et exurgens recessit... Vespere autem facto, descendentes quidam de ibidem habitantibus Fratrum in speluncis tulerunt sanctum corpus ejus... sepelieruntque eum in una de speluncis eorum.

11 Sequenti... die egressurus dux de castro Barbarisso in castrum Syrum, jussit et beatum Sergium sequi, deprecabaturque eum, ut sacrificaret... Venientibus ergo eis in castrum Syrum... Antiochus in praetorium convocavit ad se beatum Sergium dicens ei: ... Si... sacrificare noluveris... te acerrimis suppliciis subjiciam. Beatus... Sergius dixit: Fac, quod volueris... Dux... convocavit ergo adiutorem officii sui et dixit: Cothurnos longis clavibus confixos et clavos eorum rectos relinquentes eum velociter induite; cumque indueretur, sedens in carruca Antiochus jussit eum ante se currere, praecipiens, ut usque ad castrum Tetrapyrgium velociter agerentur jumenta; distat vero hoc castellum a Syro milia novem... Cumque venissent in castrum Tetrapyrgia, Antiochus dux dixit: Admiror de te, Sergi, quomodo in tanto officio examinatus potuisti nunc tam gravia sustinere supplicia. Sanctus vero Christi Martyr respondens dixit: Non sunt mihi amarae poenae tuae, sed dulces super mel et favum... Videns ergo... Antiochus, quia fixus et immobilis erga fidem Christi atque confessionem persistebat, talem adversus eum dedit sententiam: ... Hunc leges gladio animadverti praecipiant... Venientes ergo apparitores interposuerunt funem labiis ejus, et accipientes eum de medio secretarium duxerunt, ut gladio perimeretur... Dum venerant

103

ACTORE  
C. B.

compendium  
\* Mombrit.  
colobia

\* ligati

E

\* al. in manus

datur,

F

ad

AUCTORE  
C. B.

ad locum, in quo consummaturus erat Christi martyr Sergius, . . . signans seipsum, et flectens genua capite truncatus est. . . Quidam collegunt corpus ejus, et optime sepelientes posuerunt eum in eodem loco, in quo et passus fuerat.

quantum ad  
nonnulla,  
non tamen

12. Tale est, quod, e memoratis Latinis Sanctorum Actis contractum, hic exhibere libuit, Actorum eorumdem compendium. Confer nunc id cum supra recitato Adoniano elogio, videbisque locutiones seu phrases non paucas, quæ in hoc, etiam in illis reperiri, illudque proinde ex his quantum ad nonnulla, quibus constat, capita ab Adone fuisse contextum. Dico autem, quantum ad nonnulla, quibus constat, capita: neque enim omnia, quæ in Adoniano elogio traduntur, in laudatis etiam Actis tradita inveniuntur. Elogium sequentibus hisce terminatur verbis: Parvo autem tempore (a martyrio nimirum S. Sergii) interposito, beatum quoque Bacchum a loco, quo tumulatus fuerat, elevantes honorabili martyribus loco juxta sanctum Sergium composuerunt; ubi et virgo Julia, quæ sub Martino præside martyrium consummavit, sociata Martyribus sepulta quiescit; nulla autem in Actis mentio occurrit vel Juliae, vel corporis S. Bacchi, quod parvo post S. Sergii martyrium tempore a loco, quo terræ mandatum fuerat, ad locum, quo tumulum nactus erat S. Sergius, fuerit translatum. Nec Elogium cum Actis satis ubique videtur congruere. Id enim (adi num. 7) ita habet: Amplius igitur veris prosecutionibus eorum (S. Sergii videlicet et Bacchi) iratus Maximianus jussit eos Antiocho duci tradi, ut constringeret eos in cippo. Et, facto mane, sedit in prætorio, et adducti sunt ante illum Sergius et Bacchus.

quantum ad  
omnia, est  
contextum.

15. Ita autem non obscure indicatur, die proxime secuto præceptum, quo Maximianus Sanctos nostros Antiocho duci tradi jussit, fuisse ad hunc illos adductos; quod sane cum supra memoratis, quæ Adoni præluxere, Latinis Actis neutiquam congruit. Secundum ea enim, quæ in hisce, uti et in Græcis, narrantur, plurimum dierum itinere ab Antiocho tunc aberat Maximianus, nec Sancti prius, quam longissimam viam fuissent emensi, ad Antiochum fuere adducti. Oportet itaque, ut Ado hic, vel monumenta antiqua, a præfatis Actis distincta, quod tamen non puto, fuerit secutus, vel ut hæc, quod longe verosimilius reor, omnibus prorsus, quæ inter Maximiani præceptum et Sanctorum ad Antiochum accessum intercessisse, perhibent, libentius, quam par esset, omissis, haud satis apte contraxerit. Minus dictis Actis contrariatur, qua præterea in exponendis, quæ S. Sergius subisse in iisdem prolixè memoratur, suppliciiis sanctus Viennensis martyrologus usus est, licentia. Elsi enim unius dumtaxat, qua Sergius, clavatis cothurnis indutus, currere compulsus fuerit, vicis mentionem faciat, nihil tamen suggerit, unde id vice duplici, prout in Actis traditur, factum non esse, necessario sit consequens. Utcumque hæc habeant, Adonem equidem elogium supra huc transcriptum, quo Sanctos exornavit, e Latinis jam sæpius laudatis Actis quantum ad nonnulla, quibus id constat, capita contextuisse, ex jam ante adductis satis liquet.

Acta illa  
Latina, uti et  
Græca Metaphrasis e  
Græcis

14. Hinc porro jam consequitur, ut Latina illa Acta Actis Græcis, in codice nostro, signato Ms. 195, exstantibus supraquo memo-

ratis, antiquitate præcellant. Hæc enim, ut Leo D Allatus de Simeonum scriptis pag. 127 recte docet, Simeonem Metaphrastem, qui ante sæculum decimum non floruisse certo scitur, habent auctorem; Ado autem, cui illa ex dictis præluxere, anno circiter octingentesimo natus anno 875 excessit e vivis, ut Sollerius noster in sua in Usuardum Præfatione num. 150 e Mabillonio docet. At vero sciscitabere, fuerintne ergo Sanctorum nostrorum Acta Latine prius, quam Græce conscripta? Id equidem mihi haud apparet. Cum enim, ut supra docui, Acta Latina, quæ apud Mombritionum et in duobus codicibus nostris, Q. MS. 6 et Q. MS. 7 signatis, exstant, cum Latinis itidem Actis, in alio nostro codice, qui P. MS. 20 notatur, exstantibus, in substantia simul et adjunctis, non tamen in verbis, quibus hæc exprimuntur, conveniant, verosimillimum apparet, id ex eo factum, quod Acta Græca ante illa Latina exstiterint, eaque duo scriptores diversi suo singuli stylo in linguam Latinam converterint. Nec tantum ex hujusmodi antiquioribus, quæ modo interierint, Actis Græcis Latina Acta mox dicta, verum etiam Græca penes nos etiam exstantia, quæ, ut jam monui, Metaphrastes concinnavit, promanasse, verosimillimum autumo. Hæc enim cum Actis Latinis, quæ, ut jam dixi, ex antiquioribus Actis Græcis, haud amplius exstantibus, accepta videntur, in substantia apprime consonant. Nec obstat, quod hanc, uti et adjuncta, quorum aliquot, minus probabilia, etiam omittunt, brevius exponant. Absit etiam, ut aliter sentias, quod sermocinationes prolixiores, quæ vel Sergio et Baccho, vel Maximiano aut etiam Antiocho duci in Actis Latinis affinguntur, penitus subinde prætermittant, vel habitas fuisse, dumtaxat indicent, vel certe longe contractiores exhibeant.

antiquioribus, quæ modo interierunt, sunt accepta.

15. Acta enim illa, ut jam dictum, a Metaphraste sunt contexta; hujus autem scriptoris hic solum, quemadmodum ad 18 Aprilis in Annotatis ad Vitam S. Eleutherii Papæbrochius noster edicit, in concinnandis colligendisque Sanctorum quorumcumque Actis scopus fuit, ut, quæ in ecclesiis quibusdam Græcis ob rusticitatem aut prolixitatem styli non sine stomacho prudentium legebantur, ea proprio ipsius stylo brevius concinniusque deducta minus displicerent. At vero, opponet non nemo, adjunctum etiam unum infra memorandum veroque absimile, quod a præfatis Latinis Actis abest, in Actis, a Metaphraste elucubratis, invenitur. Fateor, sic habet. Verum quid tum? Fieri potest, vel ut, quamvis ex iisdem antiquioribus Actis Græcis, e quibus Acta Latina sunt contexta, sua etiam Græca Metaphrastes concinnavit, illorum tamen exemplar, quod hic scriptor, Sanctorum Acta, quæ expolivit, adjunctis fabulosis, errore absimilibus augere haud solitus, ad manum habuit, interpolatum ea in parte fuerit, vel ut ipsa Acta Latina seu potius, e quibus hæc fuere deprompta, Actorum Græcorum antiquiorum exemplaria hoc vitio laborarint. Latina Sanctorum nostrorum Acta, prout apud Mombritionum exstant, initio sic habent: Tunc itaque (imperante scilicet Maximiano) veluti quadam stellæ terrestres erga confessionem fidei salvatoris Domini nostri Jesu Christi Marcellus, Apuleius, Sergius et Bacchus pollebant in palatio, honorabilesque erant apud Maximianum imperatorem; licet autem certum omnino

A omnino non sit, SS. Marcellum et Apuleium, ad hunc diem jam datos, qui una cum Sergio et Baccho sub Maximiano floruisse hisce verbis traduntur, martyrio ante imperatoris hujus aetatem saeculo primo fuisse coronatos, id tamen sat verosimile apparet, nec bini illi Sancti cum SS. Sergio et Baccho conjunguntur vel in Actis Graecis, a Metaphraste adornatis, vel in Actis Latinis, prout haec in tribus nostris codicibus. Q. Ms. 6, Q. Ms. 7 et P. Ms. 20 signatis exhibentur.

haecque non  
a scriptore  
synchrone,

16 Quare Acta Latina, quae Mombritius suppeditat, loco producto non tantum a vero aliena, verum etiam a posterioris aevi scriptore interpolata, existimo; quod si autem simili nave constaret, alicubi esse infecta trium mox dierum codicum nostrorum Acta Latina, potius in Actorum Antiquiorum Graecorum exemplaribus, e quibus haec fuere accepta, a recentioris aevi interpolatore omissum fuisse parum verosimile, quod Metaphrastes ex dictis suppeditat, adjunctum, quam id in eorundem Actorum Graecorum exemplar, quod scriptori huic praeluit, a simili interpolatore fuisse intrusum, in animum inducerem.

B Verum, cum res secus habeat, adjunctum illud recentioris interpolatoris vitio in antiquiorum, e quibus Latina dierum trium codicum nostrorum exemplaria fuere accepta, Actorum Graecorum exemplaribus verosimiliter non fuisse omissum, existimo, et modo in tempus, quo haec Acta Graeca primitus scripta fuerint, inquiri. In Latinis, quae ex his, ut dictum, deprompta, trium mox iterum dierum codicum nostrorum Actis, voraginem eo loco, quo S. Sergius martyrio coronatus est, prodigiose post Sancti hujus martyrium factam esse, sub finem narratur, ac deinde, paucis interpositis, subiungitur: Et sic (verba Actorum sunt in codice nostro Q. MS. 7) remansit locus ille usque in presentem diem, continens ex divino nutu vetustatis indicia. Adhaec post pauca in iisdem Latinis Actis, quibus etiam Graeca, a Metaphraste conscripta, quantum ad substantiam consonant, haec verba sequuntur: Post multum igitur tempus religiosi viri, zelo Christi incitati, ceperunt expoliare corpus de loco suo, venientes de castro Syro, veluti quandam thesaurum pretiosissimum; sanctus vero

C Sergius non permisit corpus suum occulte transferri, quod publice propter Christi confessionem triumphalibus suppliciis punitum est; bini autem textus isti antiquiorum atque, e quibus hausti sunt, Graecorum Actorum auctorem, qui, quo Sancti, fuso pro Christo sanguine, martyrii palmam consecuti sunt, tempore floruerit, neutiquam arguunt.

sed vel quinto,  
quo certe an-  
teriora non  
sunt,

17 Verum quanto quidem ille post felicem Sanctorum ad caelos transitum tempore elapso lucubrationi, qua horum martyrium complexus est, manum admovit? In iisdem Latinis Actis, quibus iterum, quae a Metaphraste concinnata sunt, quantum ad substantiam saltem congruunt, verbis proxime recitatis sequentia isthaec, aliis adhuc nonnullis, quae huc non faciunt, adductis, subduntur: Paulatim itaque proficiente Religione Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, convenientes in unum sanctissimi episcopi, numero quindecim, edificaverunt juxta castrum Rhuzafatam cymiterium, dignum confessione ejus, transtuleruntque ibidem sancti Martyris (Sergii videlicet) corpus, et deposuerunt in eodem martyrio per eandem diem, qua passus

est, die septima mensis Octobris. Multae denique salvationes et miracula peraguntur, ubicumque ejus sanctae reliquiae fuerint, praecipue in sepulchro, ubi prius jacuerat. Alexander, Hierapolitanus in Syria Euphratesiensi episcopus ac metropolita saeculo quinto, uti infra docebo, ecclesiam eo loco, quo S. Sergius martyrio coronatus fuerat, exstruxit, trecentis auri libris in aedificium istud expensis. De sacra isthac aede, quam etiam, a se jam exstructam, dicitur Alexander, Hierapolitanus metropolita, solemniter, multis assistentibus provinciae suae episcopis, consecravit, depositisque in ea S. Sergii sacris reliquiis decoravit, sermonem fieri verbis proxime huc transcriptis, verosimiliter apparet, sanctorumque proinde Sergii et Bacchi Acta antiquiora Graeca, in quibus haec primitus fuere notata, non fuisse ante saeculum quintum evarata.

18 Verum an hoc ipso saeculo, an serius id factum? Locus seu vicus, quo, ut mox dixi, ecclesiam S. Sergio Alexander, Hierapolitanus episcopus, saeculo quinto erexit, postea ex infra dicendis in sancti hujus Martyris honorem Sergiopolis, cum antea Resapha seu Rosapha diceretur, fuit appellatus; quod cum Procopius, saeculi sexti scriptor, lib. II de Aedificiis, cap. 9 doceat, id certe ante saeculum septimum factum esse, necesse est. Adhaec ecclesiam S. Sergio ab Alexandro, Hierapolitano episcopo, constructam, saeculo sexto Justinianus I imperator, ipseque etiam Chosroes ethnicus Persarum rex, Hormisdas filius, cum sanctum Martyrem in sese beneficium plus vice simplici fuisset expertus, pretiosis donariis et singulari in hunc veneratione decorarunt, uti infra docebo. Quare, cum nec rei hujus usquam Sanctorum Acta meminerint, locumque, quo S. Sergius et martyrium consummarit et tumulum nactus est, nusquam Sergiopolim, sed ubique Graeca quidem, a Metaphraste adornata, Resapham, Latina autem, nomenclatione paululum corrupta, Rutzaphatam nuncupent, antiquiora Graeca, e quibus haec, ut docui, deprompta videntur, verosimiliter ante saeculum septimum concinnata fuisse, conjicio, faciuntque omnia jam dicta, ut a vero forte non multum aberraturum putem, qui ea vel saeculo quinto senescente, vel sexto jam labente adornata statuerit. Ut sit, cum equidem de ecclesia, de qua supra, saeculo quinto exstructa, veluti de re aliquamdiu peracta, loquantur, Sanctique ex dicendis aut sub finem saeculi tertii aut initio sequentis martyrio coronati fuerint, sesqui-saeculo ut minimum a felici Sanctorum nostrorum ad caelos transitu elucubrata fuisse, sat certum apparet.

19 Hinc porro jam fluit, ut, quae ex iis fuere contexta, tum Latina, tum Graeca Metaphrastica, talia sane non sint, quae fidem sibi certam atque indubitam concilient. Nec tantum ad id fontis, e quo orta sunt, sufficienti antiquitate, destituntur, verum etiam ab eruditis haud magno in pretio passim habentur. Baronius, qui tam Acta Latina Mombritiana, quam Graeca Metaphrastica ad manum habuit, in Annalibus ad annum 509 num. ultimo sic scribit: In Superiori Syria, quae appellata est Augusta Euphratesia, Sergius et Bacchus, clarissimi martyres, occubuerunt; quorum memoria virtute miraculorum non in Christianos tantum, sed etiam infideles, ut suo loco dicturi sumus, propagata est. Extant eorum Acta, sed in aliquibus emendanda. Ita ille, aperte sane agnoscens, ab anni

saeculo senescente, vel sexto jam labente fuere conscripta,

saeculo senescente, vel sexto jam labente fuere conscripta,

E

F

hincque alio, quae ex his contexta sunt, fidem indubitam non merentur.

pernitus

AUCTORE  
C. B.

penitus novo immunia non esse Sanctorum nostrorum, quæ vidit, Acta. Nec Tillemontius, et Bailletus Acta Metaphrastica, quæ sola viderunt, faventiori censura dignantur. Minus interim fortasse esse vitiosa existimavit Papebrochius noster Latina Acta, quam Græca a Metaphraste adornata. Audi ipsum in suis ad Ephemerides Græco-Moscas, tom. I Maii præfixas, Annotationibus ad hunc diem de SS. Sergio et Baccho loquentem: Martyres hi, inquit, Augustæ Ephrasiæ toto orbe celeberrimi et antiquis etiam Latinorum Fastis adscripti fuerunt. Acta Græca habemus, sed expolita a Metaphraste, ut fortassis sinceriora sint vetera Latina. Et vero, etsi Sanctorum Acta, ut Sillingus noster tom. VIII Septembris in Comment., Actis S. Gregorii Armeni ejusque sociorum prævio, num. 32 recte docet, statim haud recte, quod a Metaphraste expolita sint, velut spuria fabulosaque rejiciantur, Latina tamen SS. Sergii et Bacchi Acta perpolitâ eorundem a Metaphraste Actis Græcis sinceriora utcumque idcirco videri queunt, quod Acta antiquiora Græca, e quibus, ut supra docui, non minus, quam quæ Metaphrastes adornavit, sunt deprompta, multo accuratius, quam id Acta Metaphrastica præsent, ubique exprimant, uti ex jam supra dictis pronum est colligere. Verum ane idcirco potiorum, quam Acta, a Metaphraste perpolitâ, fidem merentur?

Metaphrastica interim aliquo ex capite Actis Latinis.

20 In Actis Græcis, quæ Metaphrastem habent auctorem, fuisse a Maximiano imperatore SS. Sergium et Bacchum, a fide abstrahendos, aliasve tormentis gravissimis atque ipsa etiam morte afficiendos ad Antiochum ducem in Syriam missos, num. 15 narratur, recitatisque, quas ad hunc occasionem illa Maximianus dederit, litteris, subjungitur: Cum has litteras et sanctos Viros accepissent milites, viam sunt ingressi. Quidam autem ex famulis et simili zelo in pietatem et in Dominos victi benevolentia, eos quoque sunt secuti, quasi non corpora solum legi, sed etiam animas volentes Deo servire. Qui etiam audierunt sanctos inter se colloquentes et dicentes, quod nocte, qua egressi sunt e civitate Romanorum, divina quædam apparens visio jussit eos confidere, et bono esse animo ad certamen; ex hisce autem verbis colligendam apparet, Sanctos a Maximiano imperatore Roma, aut saltem Constantinopoli, quæ Græcis a Constantini Magni tempore Nova Roma dicta passim fuit, ad Antiochum ducem in Syriam missos fuisse; quod sane, cum nullus imperator, nomine Maximianus, seu Romæ seu Constantinopoli simul et in Syria regnarit, ægre admodum potest vero intelligi consonum adjunctumque idcirco, ejus num. 15 memini, parum verosimile constituit. Quare, cum ista difficultate, cui et aliæ addi possent, Latina Sanctorum Acta non laborent, hoc saltem ex capite videri utcumque queunt potiorum fidem, quam Græca Metaphrastica, mereri. At vero alia, parum etiam verosimilia, continent, ob quæ Actis Metaphrasticis, a quibus ea absunt, fidei merito videri queant inferiora.

hæcque contra alio ex capite Metaphrasticis deteriora queunt videri.

21 Etenim, narrato S. Bacchi martyrio, mox subdunt: Iratus autem Antiochus jussit, ne corpus ejus (S. Bacchi nempe) sepeliretur, sed canibus et volucris projiceretur a castris, et exurgens recessit. Cumque corpus ejus projiceretur longe, collecta est multitudo bestiarum et circumdederunt eum, aves vero desuper vo-

lantes non permittebant crudeles bestias, ut tangerent eum, et sustinuerunt custodientes eum usque in tempore noctis. Vespere autem facto, descendentes quidam de ibidem habitantibus fratribus speluncas, tulerunt sanctum corpus ejus permissi a bestiis, veluti a quibusdam rationalibus hominibus, sepelieruntque eum in una e speluncis eorum. Ut feroces etiam bestie a tangendis sanctorum Martyrum corporibus abstinerint, factum esse, in sinceris etiam Martyrum Actis legitur; verum bestias, quo minus ea tangerent, ab avibus fuisse impeditas, necdum in Actis undequaque probatis inveni, nec futurum reor, ut facile apud quemquam prodigium istud fidem inveniat. Sed en aliud adhuc, quod eadem Latina Acta suppeditant, quoque haud multo credibilius apparet. Martyrio S. Sergii sequentia isthæc in iis verba, aliis nonnullis, quæ hic recitanda non duco, interjectis, subjunguntur: Locus autem, in quo susceptus est sanguis sancti Martyris, divisus magnam voraginem fecit. Deo ita dispensante, quatenus eos, qui veluti suos in cæno volutabantur, terrore visæ voraginis non auderent appropinquare, et conculeare in ipso sanguinem sancti Martyris. Alia, ob quæ præterea Latina Sanctorum Acta deterioris fidei, quam quæ a Metaphraste sunt conscripta, queant videri, prætermitto, præcipuaque modo in medium adduco, quæ, quid tam de his, quam de illis generatim statuendum sit, edoceant.

22 Generali in Christianos persecutione nota, SS. Sergium et Bacchum in Syria Maximiani imperatoris jussu pro fide fuisse occisos, tam Græca, quam Latina Acta, necessario, uti infra docebo, exigunt; quare, cum tunc certe nullus Maximianus, qui vel imperator vel etiam dumtaxat cæsar fuerit, in Syria regnarit, oportet, vel ut Sanctorum nostrorum martyrium in dicta persecutione generali non acciderit, vel ut, quod Maximiano, qui ab anno 503 ad annum usque 515 partim cæsar, partim augustus in Syria dominatus est, adscribendum erat, in laudatis Actis perperam attribuat Maximiano, qui, quemadmodum Tillemontius tom. V Monumentorum Ecclesiasticæ pag. 492 docet, cum dicto Maximiano non raro confunditur. Adhæc prolixiora ratiocinia, concertationis quamdam speciem præferentia, quæ vel Sanctis nostris vel Maximiano imperatori vel denique Antiocho duci affinguntur, tam in Actis Græcis, quam Latinis (minus tamen in prioribus, quod, quæ ad manum habuit, Acta antiquiora Græca contrahere Metaphrasti cura fuerit) frequenter occurrunt; quod in probatoris fidei Actis ægerrime reperias. Nec Actorum seu Latinorum seu Græcorum fidem etiam commendant frequentia, quæ in iis occurrunt, prodigia, ac nominatim, quibus Sancti ad gravissima quæque tormenta toleranda divinibus roborati fuerint, apparitiones; licet enim similia etiam sit legere in aliorum Martyrum Actis, minime suspectis, crebra tamen, quæ in Actis quibuscumque referuntur, prodigia de eorum pretio ac fide non parum detrahunt, si, quemadmodum hic ex supra dictis fit, ab ævi, non ejusdem, quo martyres, quorum Acta sunt, floruerunt, sed a posterioris dumtaxat scriptore, qui unde sua hauerit, haud scitur, litteris commendata fuisse noscantur.

25 Verum qualicumque tandem Sanctorum nostrorum Acta sint, cum equidem nonnulla etiam, præsertim quantum ad martyrii, quo coronati illi fuere, locum ac genus, quæ, uti ex dicendis

Quænam tam in his, quam in illis improbanda occurrant,

et cur tamen ambo edenda.

A *dis in Commentarii hujus decursu palescet, veritati apprime consona apparent, complectantur, typis ea, in capita ac numeros pro more nostro divisa, ad Commentarii calcem lectori, qui sic, verane sint, an falsa, quæ de Sanctorum Actis hic disserimus, ex ipsa horum inspectione judicare facilius poterit, exhibere est visum, et quidem non tantum Latina, verum etiam Græca, quæ, cum hactenus, quod sciam, Græce edita non fuerint, magis forte, quam Latina a non nemine desiderantur. Ad id præterea etiam moveor, quod, cum antiquiora Acta Græca, e quibus Græca alia Metaphrastes adornavit, in Latinis Sanctorum Actis accurate, uti pronum est ex supra dictis eruere, exprimentur, futurum ita sit, ut quisque ex horum cum Actis, a Metaphraste adornatis, collatione perspicat, scriptorem hunc, dum vetustiores Sanctorum Vitas suo stylo exponendas suscepit, non adeo mala, ut quidam credi volunt, fide id semper præstitisse. Rem porro hoc modo executioni mandabo. Acta quidem Latina, quod ex dictis antiquitate Græcis præcellant, priori loco edam e codice nostro Q. MS. 7, facta illorum cum excusis Actis Mombritianis, aliisque*

B *quæ in binis codicibus nostris Q. MS. 6 et P. MS. 20 exstant, collatione; secundo autem loco Græca, quæ in codice nostro Q. MS. 195 exstant, quæque e codice Mediceo Bibliothecæ regis Parisiensis notantur accepta, Acta excudam, adjecta ex adverso, quam, ut jam docui, Lipomanus adornavit, interpretatione Latina. Actis porro tum Græcis tum Latinis de more nostro Annotationes adjungam, ut et locutiones variantes, notatu magis dignæ, si jam ante ad marginem adnotatæ haud fuerint, assignentur, elucidenturque, quæ obscura sunt, si id in Commentario prævio sufficienter præstitum haud fuerit.*

### § III. Militaris Sanctorum conditio, martyrii locus, genus, tempus, aliaque adjuncta.

*Conditione milites, et quidem non inferioris ordinis, SS. Sergium et Bacchum exstitisse, Acta eorum tum Græca, tum Latina loco non uno indicant. Ac primo quidem Latina initio sic habent: Sergius et Bacchus pollebant in palatio, honorabilesque erant apud Maximianum imperatorem. Beatus quidem Sergius erat primicerius, et princeps scholæ gentilium.... Beatus vero Bacchus ejusdem et ipse scholæ gentilium erat secundicerius. Actis Latinis consonat, non tantum Adonianum, quod ex hisce, ut supra docui, depromptum est, Sanctorum elogium, verum etiam Menologium Sirelianum, occurrensque ad hunc diem in Magnis Græcorum Menæis excusis encomium, utpote hisce verbis initio conceptum: 'Ο μὲν Σέργιος πριμικέρριος ἦν σχολῆς τῶν γεντιλίων, ὁ δὲ Βάκχος σεκουνδικέρριος τῆς αὐτῆς σχολῆς' Sergius quidem primicerius erat scholæ gentilium, Bacchus vero scholæ ejusdem secundicerius. In Græcis Sanctorum Actis, a Metaphraste contextis hincque, ut dixi, elendis, pro γεντιλίων legitur γεντιλίων, hancque vocem Lipomanus gentili casus vocabulo Centiliorum Latine reddidit.*

*25 Verum in dictis Actis Græcis seu potius in utroque horum apographo, quod, ut jam docui,*

*pene nos exstat, alioque item, quo Lipomanus usus fuit, γεντιλίων pro γεντιλίων errore e librorum oscitantia profecto perperam exarari, manifestum fit, primo quidem ex eo, quod in omnibus prorsus aliis monumentis, in quibus militaris Sanctorum conditio dignitasque aperte exprimitur, non γεντιλίων, sed γεντιλίων scribitur; tum vero etiam ex eo, quod primum e binis hisce vocabulis nullam prorsus inveniatur significationem sibi habere adjunctam; adjunctam vero re ipsa habeat secundum, prout ex jam nunc dicendis patescet. Gentiles, uti ex antiquis Romani imperii Notitiis et Ammiano Marcellino Hofmannus in suo Antiquitatum Lexico continuato ad vocabulum Gentilis docet, dicebantur Romanis, qui, iisdem alias barbari appellati, illis militabant, eorum federati, vel qui in leges Romanas ultro, vel deditio transibant. Atque hæc significatio est, quam in Sanctorum nostrorum Actis habet Gentilis vocabulum. Addit porro Valesius in suis ad Ammiani Marcellini lib. vii. cap. 7 Annotationibus, gentiles illos inter scholas palatinas, id est, inter militares turmas, palatii imperialis custodiæ potissimum destinatas, locum obtinuisse; talem autem etiam exstitisse gentilium scholam seu militarem turmam, cujus S. Sergius quidem primicerius, Bacchus autem secundicerius fuisse perhibetur, in Latinis horum Actis sat clare indicatur.*

*26 Atque hinc jam consequitur, ut, cum primicerius quidem cujuscunque ordinis, quemadmodum ad hoc vocabulum in Glossario medice et infimæ Latinitatis Cangius docet, is sit, qui locum primum, secundicerius vero, qui locum secundum in eo tenet, fuisse sane Sanctos nostros, quos nobiles Romanos Mrl. Roman. hodiernum conditione, et quidem non infimi ordinis, milites, indubitatum omnino apparet, spectatis eorum Actis aliisque monumentis supra laudatis, quibus interim hic aut certo denegandam aut certo adhibendam esse fidem vocat, nihil evincit. Nec est, cur quis, quo, contrarium probet, reponat, gentilium scholam e barbaris, seu ex iis, qui in provinciis, Romanæ ditioni non subjectis, nati essent, constituisse, verosimileque proinde non videri, primicerium quidem illius Sergium, secundicerium vero Bacchum, qui ambo, uti in Actis traditur, Romani erant genere, exstitisse. Fuerint enim dictæ gentilium scholæ milites omnes gregarii ipsique etiam ordinis inferioris officiales e barbaris adlecti, a veri tamen specie minime videtur alienum, fuisse aut semper aut saltem subinde etiam Romanos constitutos, qui in schola hujusmodi seu turma militari, quo de hujus fide imperator esset securior, superioribus munitis fungerentur. Addunt porro Latina Acta, Sanctos nostros apud Maximianum imperatorem tantum valuisse, ut hic ad illorum postulationem Antiochum quemdam Augustæ Euphratesiæ ducem creasset. Consonant et Metaphrastica Græca, ita tamen, ut Antiochum, non Augustæ Euphratesiæ, sed Orientis ducem creatum fuisse notent. Verum cum is, qui Orientis dux erat, Augustæ Euphratesiæ, uti ex antiquis Romani imperii Notitiis intelligo, etiam præesset, Græcane hic Actis Latinis, an contra Græcis hæc præsent, est dubium. Nec verum asseverare ausim, quod tam in his, quam in illis, ut dictum, de Sanctorum apud Maximianum potestate asseritur. Nunc, ut post dicenda clarius intelligantur, ad palæstram, qua Sancti gloriosum interant pro fide certamen, sermonem convertamus.*

27 Augusta

AUCTORE  
C. B.  
conditione  
milites, et  
quidem

E

non infimi ordinis fortassis, exstiteret.

F

AUCTORE  
C. B.  
Augustæ Euphratesiæ notitia, duorumque, quæ in hac sita sunt,

27 Augusta Euphratesia, quæ a Plinio, Strabone, Ptolomæo aliisque sæculo Christi quarto anterioribus scriptoribus Commagene seu Comagene aut etiam Comagena nuncupatur, Syriæ provincia est, dicta quidem Euphratesia, quod ad Euphratem sita sit; Augusta vero, quod, imperatorum, qui et Augusti appellantur, iubente forsitan aliquo, nomen ejus mutari contigerit. Lequienus in suo Oriente Christiano tom. II col. 926 mutationem illam Casari Augusto, a quo in provinciam Romanam Comagena redacta fuerit, adscribit. Verum etsi quidem ab Augusto, si Pancirolus in suo in imp. Orientalis Comment. cap. 115 recte notet, Commagena Augustæ nomen accepit, diu tamen adhuc post Augusti ætatem antiquum suum Comagenes nomen retinuit, primumque a Sexto Aurelio Victore et Ammiano Marcellino, sæculi IV scriptoribus, Augusta Euphratesia affinis nomine vocata reperitur. Quare mihi sane parum verosimilis apparet ista Lequieni opinio, maxime cum, Comagenem in provinciam Romanam a Tiberio primum redactam fuisse, Tacitus, scriptor coævus, lib. II Annal., cap. 56 memoriæ prodant. Ut sit, Sancti nostri in provincia illa, ac proin in Syria, martyrio coronati ex dicendis sunt. Verum quo vel quibus determinatis illius locis? Augusta Euphratesia, cum Commagene adhuc diceretur, seu Ptolomæi, Strabonis ac Plinii ætate, regio valde ampla haud erat, uti in antiqua Geographia apud Cellarium tom. II lib. III, cap. 12 est videre; verum postea, mutato nomine, limites etiam mutavit, longe extensiores, quam ante, consecuta. Carolus a sancto Paulo, in Geographia sacra seu episcopatum Ecclesiæ universæ: Notitia antiqua, quam ex conciliis, patribus, historia ecclesiastica et geographis antiquis excerptis, provinciæ Euphratensis seu Augustæ Euphratesiæ civitates, sedibus episcopalibus ornatas, enumerans, sub Hierapoli metropoli ponit Cyrrhum, Samosatam, Dolichen, Germaniciam, Zeugma, Perren, Europum, Urima, Casaream, Sergiopolim, Sura et Marianopolim; hisce autem seu civitatibus seu sedibus episcopalibus Barbalissum, quod castrum potius, quam civitas, fuisse videtur, præterea adjungendum, Lequienus in Oriente sacro tom. II recte docet, uti, quæ ibidem col. 949 et 950 in medium adducit, probatum dant. Ac Barbalissi quidem S. Bacchus;

locorum Barbalissi nempe,

28 Inter episcopales Augustæ Euphratesiæ civitates, e Carolo a S. Paulo mox recensitas, sex ad Euphratem sitæ sunt, Perre nimirum, Samosata, Urima, Zeugma, Europus et Sura; media autem inter duas harum posteriores interjacet Barbalissus seu, uti ab aliis scribitur, Barbarissus. Ita unanimi consensu omnes, qui quidem a ne risi de hujus seu civitatis seu castris situ tractant, geographi tum antiqui, tum recentiores statuunt. Quare, cum de re dubitandum non sit, situm loci, quem martyrii palæstram S. Bacchus nactus est, compertum habemus. Verum circa locum, Sergiopolis nomine postea distinctum, quo, ut jam dixi, S. Sergius martyrium consummarit, difficultas paulo major occurrit. Sergiopolim enim laudatus Carolus a S. Paulo in Geographica patriarchatus Antiocheni Tabula, quam una cum nonnullis aliis Geographicis itidem

tabulis in laudatum Opus suum intulit, Samosatam inter et Dolichen, civitatis Surorum seu Surensis ad Ortum sitas, collocat, aliosque nonnullos recentiores scriptores, sibi hac in re consentientes habet. Adhuc Resapham seu Rosapham, quo, ut jam indicavi, nomine Sergiopolis olim nuncupabatur, Cellarius in Geographia Antiqua loco proxime cit. Surensium seu Surorum civitatem inter et Barbalissum mediam ponit, non nihil tamen ab Euphrate remotam. Verum tam Cellarius, quam Carolus a S. Paulo aliique omnes, qui cum eis sentiunt, e Procopio erroris convincuntur.

29 Etenim hic scriptor, quo sane, utpote magis, quam jam laudati auctores recentiores, rerum illarum perito, standum est, lib. II de Bello Persico pag. 99 de Chosroe, Persarum rege, ita memorat: Ergo mittit Sergiopolim, quæ urbs ditionis Romanæ a Sergio, illustri Divo, nomen accepit, et ab urbe capta (Surensi nimirum) stadiis cxxvi abest, in Barbarico, quem vocant, campo ad Austrum sita: mittit, inquam, qui a Candido, urbis antistite auri pondo cc petant in pretium redemptionis XII. m. captivorum. Sergiopolis ergo, olim Resapha seu Rosapha, ad Austrum seu Meridiem, Procopio hic docente, civitatis Surorum sita est, ad cuius plagam Borealem cum tam Barbalissum seu, uti etiam ab aliis vocatur, Barbarissum, quam Samosatam et Dolichen, geographi omnes ponant, Sergiopolis, olim Resapha nuncupata, perperam sane et binas hæc inter civitates a Carolo a S. Paulo aliisque, et inter Barbalissum ac Surorum civitatem a Cellario collocatur. At vero erit fortassis, qui, ut Cellarium saltem tueatur, Sergiopolim cum civitate, quæ Resapha seu Rosapha olim appellata fuit, eandem esse, eat inficias. Atque ad id quidem moveri forte quis possit, quod, civitatem hanc, nomine primævo, antequam Sergiopolis diceretur, Resapham dictam fuisse, nullus omnino scriptor antiquus, ac ne ipse quidem Procopius, qui tamen de Sergiopoli, a S. Sergio martyre ita nuncupata, lib. II de Ædificiis, cap. 9 agit, diserte affirmet. Verum, etsi id ita sit, Sergiopolim cum civitate, quæ olim Resapha seu Rosapha aliove nomine affini vocata fuit, esse eandem, idem utriusque situs vix non indubitatum facit. Uti Sergiopolim ad Austrum seu Meridiem civitatis Surorum sitam fuisse, supra recitata e Procopio verba ostendunt, ita etiam ad civitatis hujus Austrum itidem seu Meridiem sitam fuisse Resapham, Tabulæ Peutingerianæ evincunt. Res ex jam nunc dicendis patescet.

30 In harum Fragmento septimo apud Ortelium aliosque earundem editores Resapha, seu, prout ibidem vocatur, Risapa Surorum civitatem inter et Palmyram, recta fere seriatâ serie, ponitur hoc ordine: Sure, Risapa, Cholle, Oruba, Haræ, Palmyra; quare, cum ad Australem Surorum seu civitatis Surensis plagam Palmyra, fatentibus omnibus prorsus geographis, sita, sit, quin ad eandem quoque civitatis istius plagam sita fuerit Risapa seu Resapha, ambigendum non est. Adhuc, quo, Resapha et Sergiopoli unam eandemque civitatem significari, certius adhuc fit, Sergiopoli reconditum jacere aut dudum certe, si res modo secus habet, jacuisse sacrum S. Sergii corpus, apud omnes in confesso est, veritatique etiam id esse consonum, argumento sunt, quæ de sancti hujus Martyris reliquiis, apud Sergiopolitanos in capsâ oblonga, argento contexta, asservatis, Historiæ ecclesiasticæ lib. IV, cap. 28 Evagrius memoria

et Sergiopolis assignatur hancque cum Resapha

E

F

esse eandem ostenditur.



A memoria prodit; Resaphæ autem, quo loco, ut jam dictum, idem Sanctus martyrium consummarit, sacrum etiam ejus corpus terræ fuisse mandatam, infra dicenda ostendent; ut sane vel hinc, Resapham, quam martyrii palestram nactus est S. Sergius, eandem esse cum Sergiopolis, si non prorsus certum, verosimillimum saltem sit. Jam vero cum id ita sit, civitatisque hujus situm ex jam ante adductis apprime compertum habeamus, situs quoque Resaphæ seu loci, qua Sergius martyrium consummarit, sat exploratus habetur; quod et hic determinandum erat.

Sancti in Augustam Euphratesiam ad Antiochum ducem mittuntur.

51 Notandum porro adhuc est, Resapham, etsi jam inde a sæculo vi, uti ex concilio Constanti-nopolitano tunc celebrato, in quo Abraham Sergiopolitanus episcopus apud Labbeum tom. V Conciliorum col. 417 occurrit, palam est, posito primævo nomine, Sergiopolis in S. Sergii honorem nuncupata fuerit, non ita tamen perpetuo ac constanter novo hoc nomine fuisse appellatam, quin etiam more antiquo a posterioris ævi scriptoribus primævo nomine fuerit appellata, uti liquet e synodo œcumenica septima, anno 787 celebrata, in cujus Actione 3 apud Labbeum tom. VII Conciliorum col. 582 et seq. mentio fit anachoretæ senis, qui subinde ad S. Sergium in Arapham (Arapham scilicet pro Rasapham, ni fallat, librarium oscitantia exarato) peregrinari solet. Hæc annotatis, modo martyrii, quod Sancti subiere, serie æri arripiamus. Cum SS. Sergius et Bacchus, tanquam Christiani ad Maximianum imperatorem delati, reque etiam ipsa tales esse, ac in fide constantes deprehensi ab eo fuissent, jussu ejusdem vestibus militaribus exspoliati, muliebribusque colobis induti per mediam civitatem summo ludibrio ad palatium imperiale ducti fuere, missique, cum in fide nihilominus constan-tes perseverarent, ad Antiochum, seu Orientis seu Augustæ Euphratesiæ ducem, addita etiam epistola, qua huic præcipiebatur, ut vel Sanctos ad fidem abnegandam adduceret, vel, si id facere non posset, supremo etiam supplicio eos mulcicaret.

Bacchus ab eo flagris, Sergius vero

52 Ita edenda Sanctorum nostrorum Acta, quæ an hic fidem indubitam mereantur, spectata, qua scripta fuerunt, ætate, definire quis ausit? Minus interim Actis Græcis, quam Latinis, hic tribuendum puto; Sanctos enim Roma, aut saltem Constantinopoli ad Antiochum ducem in Syriam missos a Maximiano fuisse, videntur adstruere; quod sane parum admodum esse verosimile, jam supra edocui. Sed ad alia, quæ Sancti præterea passi narrantur, progrediamur. Cum ad Antiochum ducem ducti fuissent, isque eos nec minis nec blanditiis ad fidem abnegandam potuisset adducere, atrocissimis in Sanctos tormentis sævire aggressus est. Ac primo quidem, recluso in carcerem Sergio, Barbalissi, ubi tunc commorabatur, crudis neris cædi Bacchum, donec inter repetita verbera spiritum emitteret, præcepit. Cum autem executioni id mandatum fuisset, Barbalisso Suram, seu, si aliis, nomen hoc generis neutrius pluralisque numeri facientibus, adherere placeat, Sura, aut etiam (varie enim admodum nomen illud scribitur) Syrum seu Strum, Augustæ Euphratesiæ, ut jam dictum, civitatem, seu, quemadmodum in Latinis Actis edendis vocatur, castellum, Romano præsidio munitum, postmodum est profectus, ducto secum S. Sergio, quem quam crudeliter, quo ejus in fide frangeret constantiam, deinde tractari, nunc accipe.

55 Vocatum iterum Suræ ad se S. Sergium primo quidem partim blanditiis, partim minis a fide conatur avertere; cum autem ne sic quidquam sese proficere animadverteret, Suraque Resapham, alterum Euphratesiæ, de quo quæ supra docui, videnda, seu oppidum seu castellum, Romano pariter præsidio munitum, esset discessurus, sanctum Athletam cothurnis, qui clavis ferreis, acuminibus introrsum versis nec recurvatis, erant instructi, indutum, ante currum, quo vehabatur, currere coegit usque ad Tetrapurgium, seu, ut alias etiam exaratur, Tetrapurgiam, castellum novem milliariibus, seu, quod eodem fere (octo enim stadia milliaria constituunt) recidit, septuaginta stadiis, uti in Actis Græcis, a Metaphraste adornatis, innuitur, Sura remotum. Nec hic stetit Antiochi in Sanctum scivites. Postero enim die, cum fortem Christi Pugilem recto gressu (quæ enim in pedibus acceperat, vulnera prodigio erant sanata) incedentem vidisset, nec minus, quam antea, in proposito experiretur immotum, eum iterum ante currum, quo vehabatur, ad oppidum usque seu castellum, nomine Resapham, novem a Tetrapurgia, uti in Actis Latinis notatur, milliariis distitum, currere coegit, fideique nihilominus æque ac ante constanter adherentem gladio tandem ibidem necari præcipit. Ita Latina, quibus quantum ad substantiam Græca, a Metaphraste contexta, consonant, Sanctorum nostrorum Acta, compendio quodammodo hic jam exhibita. Nunc quid de nonnullis, quæ in hoc traduntur, statuendum appareat, dispiciamus.

AUCTORE C. B. gladio, aliter adhuc ante torlus, occisus fuisse, in Actis traditur.

54 Ac primo quidem non est, cur, quæ S. Sergius, crepidis seu cothurnis, eo, quo dixi, modo clavatis, indutus, a Sura ad Resapham seu Rosapham confecisse adstruitur, milliaria integra octodecim cum distantia, qua prior e duobus hæc locis a posteriori sejunctus est, haud sat recte componi posse idcirco existimetur, quod Sergiopolis, quæ, ut supra docui, a Rosapha seu Resapha diversa non est, a Sura, quemadmodum, quæ num. 29 recitari, Procopii verba fidem faciunt, stadiis dumtaxat centum ac viginti sex sit remota. Etsi enim res ita habeat, ac proin milliariis non octodecim, sed dumtaxat sedecim circiter Sura a Resapha ex Procopii mente sit distita, debet tamen hic scriptor verosimillime, ne dicam indubie, de via recta, qua Resapham a Sura pergatur, intelligi. Quare cum nihil prorsus obstet, quo minus abs illa Tetrapurgensi, quod nec in Tabulis Peutingerianis, nec alibi, prout de locis ignobilioribus passim fit, notatum uspiam est, et quod tamen S. Sergius, clavatis cothurnis indutus, cursu primum adire, indeque post Resapham eodem modo pergere fuerit compulsus, castellum nonnihil declinasse credatur, non est sane, cur Latina Sanctorum Acta, quod ex eorum calculo a Sura ad Resapham milliaria non tantum sedecim, sed octodecim S. Sergius, cothurnis seu crepidis, eo, quo supra exposui, modo clavatis, indutus confecerit, cum distantia, a Procopio inter utrumque illum locum posita, pugnare æstimentur. Quod autem vel ad ipsum, quod invictus Athleta modo dicto confecerit, longum iter vel ad alia, quibus tum is, tum S. Bacchus martyrium consummarit, tormenta pertinet, mortem huic flagris, in ventrem aliasque corporis partes sæpissime, ut Acta omnia perhibent, adactis fuisse illatam, fidem nequiquam excedit reque ipsa Bacchum ita consummasse martyrium, mihi persuasum habeo.

Hæc illa in re.

F

AUCTORE  
C B.  
uti ex iis,  
quæ hic ad-  
ducuntur.

55 Licet enim auctor anonymus, a quo scripta sunt, sesquisæculo ut minimum post Sanctorum martyrium, ut supra docui, floruerit, nec, an ex antiquioribus monumentis sua hauserit, sciatur; hinc autem, fueritne in omnibus et singulis, quæ memoriæ prodit, veritatem assecutus, non immerito queat ambigi, abs hac tamen illum in martyrii, quod S. Bacchus subierit, genere narrando devium non esse, idcirco existimo, quod id, si non e tabulis monumentis antiquis, e genuina equidem a majoribus ad posterum delata traditione discere potuerit, reque ipsa etiam dedecisse, verosimillimum appareat. Cum enim graviora etiam supplicia, quibus vel ipsos insignes modo maleficos a magistratibus subinde plecti accidit, diutissime hominum inhærant memoriæ, filisque a patribus narrata ad seram etiam posteritatem sola traditione interdum etiam transierint, credemusne, apud primos Christianos, qui summa in veneratione Martyres habebant, sacraque eorum lipsana diligentissime custodiebant, tam facile atrocissimorum tormentorum, quibus fortissimi illi Athletæ de tyrannis ipsoque etiam demone, fuso pro Christo sanguine, tandem triumpharant, memoriæ interisse, ut, quo martyrii genere S. Bacchus agonem terminavit, sesqui circiter sæculo dumtaxat a re gesta elapso, ignoratum penitus fuerit? Id enimvero mihi ab omni propemodum veri specie alienum videtur. Nec est, quod reponas, ita etiam tamquam vera propugnari posse reliqua martyrii Sanctorum nostrorum adjuncta, ac nominatim apparitiones aliaque miracula, quæ id comitata in Actis narrantur; etsi enim fieri facile queat, ut, quæ traditione populari, e qua forte sola Sanctorum nostrorum Acta, qui hæc primus litteris commendavit, didicerat, dumtaxat noscuntur, veri etiam aliquid tam quantum ad adjunctum unum alterumve, notatu magis dignum propiusque cum substantia connexum, quale atrox, quod Sancti nostri subiere, martyrii genus potest haberi, quam quantum ad ipsam substantiam complectantur, id tamen quantum ad adjuncta singula, minus etiam notatu digna, minusque prope cum substantia connexa, aut omnino nunquam aut certe rarissime evenit, uti ex iis, quæ ad diem præcedentem in Commentario, Actis S. Brunonis prævio, § 25 disserui, pronum est colligere.

C  
apparet, as-  
sentendum  
est, nec Græco.

56 Quod porro ad apparitiones miraculaque modo spectat, scriptores, qui sanctorum Martyrum, ætate sua sæculo non minus uno anteriorum, Acta litteris mandarunt, in hæc lucubrationes suas apparitiones miraculaque, quæ vel ipsimet confixerant, vel jam conficta ab aliis prudentis critices defectu adoptarant, non raro infulsisse noscuntur, hincque similia, nisi synchronis, seu æqualibus fidei undequaque probata, ac nota scriptoribus monumentisve nitantur, apud eruditiores modo criticos fidem indubitata passim non inveniunt. Quare cum res ita habeat, fierique proinde possit, ut primævis Sanctorum nostrorum biographus, sesquisæculo ut minimum horum ætate posterior, prodigia, quæ refert, vel ipsemet, quo illustriorem eorumdem redderet historiam, confixerit, vel jam conficta ab alio imprudenter adoptarit, est sane, cur fides indubitata iis haud adhibeatur. Hæc itaque omnibus perpensis, etsi quidem prodigia, quæ Sanctorum martyrium comitata in Actis perhibentur, pro certis neutquam habeam, de tormenti tamen genere, quæ hoc illi consummasse in iisdem Actis

narrantur, aliter sentio. Ac Bacchum quidem D inter flagra occubuisse, in animum, ut jam dixi, induco; quamvis autem, Sergium, clothurnis seu crepidis, modo supra explanato clavatum, indutum, via adeo longa, qualis ex dictis est, quæ Sura Resapham ducit, currere fuisse compulsum, creditu difficile appareat; quin tamen is martyrium gladio, uti in Actis perhibetur, finierit, nullus ambigo. At vero erit fortassis, qui hic modo objiciat Græcam, Justiniano I regnante, seu sæculo sexto, in Constantinopolitano S. Sergii templo positam atque in historicis suis in arcanam Procopii Historiam Annotationibus a Nicolao Alemanno pag. 124 e Mss. Vaticanis codicibus recitatam inscriptionem, in qua, cum ignis etiam supplicium S. Sergium pro fide tolerasse, innui videatur, nec tamen rei hujus ulla in Actis mentio fiat, videri hæc idcirco possint in tormentis, quibus Sancti martyrium consummarint, recensendis haud sat accurata fideique proinde minus firmæ. Inscriptionem illam integram, infra adhuc memorandam, in qua et ob extructam S. Sergio adem sacram imperator Justinianus ejusque uxor Theodora laudantur, integram E hæc addita etiam, quam adornavi, interpretatione Latina, lubet transcribere.

57 Sic habet :

Ἄλλοι μὲν βασιλεὺς ἐτιμῆσαντο θανόντας  
Ἄνδρας, ὧν ἀνόητος ἦν πόνος. ἡμέτερος δὲ  
Εὐσεβίην σκηπτούργος Ἰουστινιανὸς ἀέξων  
Σέργιον ἀγλήεντι δόμῳ Σεράποντα γεραίρει  
Χριστοῦ παμμεδέοντος τὸν ὀυ πυρὸς ἀπυρὸς  
ἀνάπτων,

quæ hic datur,  
inscriptio.

Ὁὐ ξίφος, οὐχ ἑτέρῃ βασιάνῳ ἐτάραξεν ἀνάγκη,  
Ἀλλὰ Θεοῦ τέτληκεν ὑπὲρ Χριστοῦ θαυμάσια  
Λίματι κερδαίνων δόμον οὐρανοῦ ἄλλ' ἐνὶ πᾶσι  
Κοιρανίῃ βασιλεὺς ἀκοιμήτοιο \* φυλάξοι,  
Καὶ κράτος ἀέξῃσσι θεοσεβέσσι Θεοδόρα, \* ἀκοιμή-  
\* τοιο  
Ἦς νόος εὐσεβίῃ φαιδρύνεται, ἧς πόνος ἀνεὶ  
Καὶ κτεάτων Σρεπτήρες ἀφειδῆες εἰσὶν ἀγῶνες.

Alii quidem imperatores honore affecerunt  
e vivis sublato

Viros, quorum haud sana fuerat vitæ ratio;

noster autem,

Qui pietatem promovet, imperator Justinianus

Splendida domo honorat Sergium, servum

Christi, omnium regnatoris; quem, ignis F

nidore haud motum,

Nec gladius, nec alia tormentorum vis tur-

bavit,

Sed pro Christo Deo mori sustinuit,

Sanguine lucrificans domum cæli. Is igitur

in omnibus

Imperatoris vigilantissimi imperium custo-

diat

Potentiamque augeat a Deo coronatæ Theo-

doræ,

Cujus mens pietate ornatur, cujus cura, ve-

luti

Assidua est e possessionum conservandarum

studio contentio.

58 Talis est, quæ hic contra, quod in Actis adstruitur, Sanctorum nostrorum martyrii genus objici possit, Græca inscriptio. Verum præterquam quod hæc, utpote Justiniani I, qui sæculo sexto regnavit, ætate primum posita, fonte antiquiori Græco, e quo, ut supra docui, Sanctorum Acta promanarunt, velustior haud sit, fideique proinde his potior haud videatur, fieri potest, ut, Sergium igne non fuisse commotum seu perterritum,

igne præterea,  
quod in Actis  
non traditur,  
probatum  
fuisse Ser-  
gium, evincit.

A tum, innuat, non quod hic sanctus Athleta igne reipsa, quem superaverit, fuerit tentatus, sed vel quod ad ignis, corpori suo admoventi, minas manserit immotus constansque in fide, vel quod sese ad atrocissima quæque sufferenda pro fide tormenta, ac proin etiam ad ipsum ignis incendium paratum exhibuerit, etsi interim nec hoc, nec plurima alia reipsa passus fuerit. Quo porro minus hæc displiceat interpretatio, facient ei ipsa Græca, quæ huc spectant, inscriptionis verba: hisce enim S. Sergius proprie non dicitur fuisse immotus ad ipsum ignem seu hujus incendium, sed tantum ad ignis ἀπὸς, id est, vaporem seu nidorem. Adhæc etsi etiam daremus, reipsa S. Sergium igne etiam fuisse probatum, nec sic tamen Acta, utpote nihil, quod cum hoc facto pugnat, contentia, minoris fidei hic ferent, aut dici etiam deberent sufficienti in recensendis, quibus Sergius et Bacchus martyrium consummarint, tormentis accuratissime destituta. Ad hanc enim non tam requiritur, ut omnia, quæ Sancti subierint, tormenta recensentur, quam ut, quæ subisse referuntur, re etiam vera subierint.

B  
Iis quoque quantum ad dicendum, quam Sancti assignant,

B 59 Porro quemadmodum quantum ad necis genus, quo Sancti martyrium consummarunt, edendis eorum Actis, ut jam docui, assentiendum apparet, ita etiam iis standum puto, tum quantum ad diem, quo Sergium passum, statuunt, tum quantum ad martyrii locum seu palæstram, quam utriusque Sancto, ut jam vidimus, diversam assignant. Ac primo quidem S. Sergium Resaphæ martyrium consummasse, vel ex eo verosimillimum apparet, quod sacrum ejus corpus, uti ex infra dicendis patescet, sæculo quinto ac sexto in civitate illa jacuerit reconditum, nec eo aliunde delatum fuisse sciatur; quod autem ad S. Bacchum pertinet, Barbalissi hunc martyrio occubuisse, genuina traditione, a majoribus ad posteros delata, apprimè adhuc ætate, qua primævus Sanctorum nostrorum biographus floruit, verosimiliter fuit compertum. Ita ob rationes, mox, cum de martyrii genere egi, adductas, autumo, uti etiam hunc ex illa, et qua pariter S. Sergii palæstram discere potuit, consummatum a S. Baccho loco præfato fuisse martyrium, didicisse, nisi forte id ex antiquioribus tabulis, quod vero prorsus etiam absimile non apparet, acceperit. Gregorius Magnus Papa, qui sæculi septimi initio obiit, ad Eulogium Alexandrinum lib. vii. epist. 29 ita scribit: Nos autem pene omnium Martyrum, distinctis per singulos dies passionibus, collecta in uno codice nomina habemus; atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solennia agimus. Non tamen in eodem volumine, quis qualiter sit passus indicatur, sed tantummodo nomen, locus et dies passionis ponitur. Quid si ergo, qualem codicem ætate sua seu sæculo sexto Romæ exstitisse, Gregorius hic testatur, talis etiam ætate biographi nostri, id est, ex dictis, sæculo quinto senescente aut sexto jam labente, apud Græcos exstiterit, hincque ex illo palæstram diversam, quam Sancti nostri, ac nominatim S. Bacchus, nacti sunt, didicerit?

C  
palæstram standum est, uti etiam quantum ad diem, quo Sergium,

40 Res sane a veri specie neutiquam abhorere mihi videtur. Ut ut interim sit, biographum equidem vel e simili monumento vel e veri nominis traditione hausisse, quo loco Sancti nostri martyrium consummarint, verosimillimum puto, ac proin non minus Actis, dum S. Baccho Barbalissum, quam dum S. Sergio Resapham pro Octobris Tomus III.

palæstra assignant, assentiendum reor. Mirum porro est, quam varie ac confuse de Sanctorum palæstra tres sacri Græcorum Fasti, hic proinde jam memorandi, loquantur. Ac primo quidem in Menologio Basiliano ad Augustopoleos præfectum ducti fuisse Sancti narrantur atque ab eo martyrio affecti; ast cum in hujus nominis civitate Sanctos nostros martyrio fuisse coronatos, nusquam alibi notatum inveniam, certum apparet, Augustopolim perperam hic poni pro Augusta Euphratesia, qua in provincia Sancti nostri ambo martyrium, uti ex supra dictis liquet, subiere. In Menæis, quæ secundo loco commemorare hic lubet, martyrio coronati ἐν πόλει Εὐφρατησίῳ, id est, in civitate Euphratesiorum fortissimi Pugiles traduntur; verum cum Sancti in una eademque Euphratesiæ civitate, uti sic innuitur, passi non sint, error sane in Menæis hic cubat, uti ex jam supra dictis satis liquet. Nec minus errat, quod hic memorandum adhuc restat, Menologium Sirlitianum. Sanctos enim in civitate Augusta Euphratesia martyrio coronatos tradit; hujus autem nominis civitatem nullam sive apud antiquos sive apud recentiores geographos invenio. Baudrandus quidem civitatem, quæ olim Augusta Euphratesia dicta fuerit, modoque Azar vocetur, in Lexico Geographico ex Nigro recenset. Verum nihil prorsus, quo, quod hac de re apud hunc scriptorem invenit, confirmet, in medium adducit, nec, quidnam solidi adducere potuisset, satis perspicio. An forte Chalcedonense et Seleuciense concilia, in quorum posteriori, anno 559 celebrato, apud Harduinum tom. I Conciliorum col. 726 Augustus episcopus Euphratesiæ, in priori vero, anno 451 celebrato, apud Labbeum tom. IV Conciliorum col. 788 Augustus Eufra-siensis comparet? Verum nec uno, nec altero loco civitas, sed provincia dumtaxat designatur, uti ostendam, cum de S. Julia, hodie quoque Martyrologio Romano inscripta, infra tractabo. Ceterum esse quoque Sanctorum nostrorum Actis, quod adhuc hic probandum restat, assentiendum quantum ad diem, cui S. Sergii martyrium innectunt, ex jam nunc dicendis patescet.

41 In Magnis Græcorum Menæis excusis SS. Sergii et Bacchi elogio, versiculi duo, in quibus ad martyrii, ab hisce tolerati, genus allusio fit, præmittuntur una cum versiculo tertio, quo aperte exprimitur tum necis species, qua ambo Sancti martyrium consummarint, tum etiam dies, quo id acciderit. Priores duo, quibus et versionem Latinam adjungo, sic habent:

Χαλκῆ σὰ νεύρα, Βάκχε, πρὸς νεύρων Βίαν,  
Καὶ πρὸς ἕψος, Σέργιε, πῦρ σὴ καρδίᾳ.

Ænei sunt, Bacche, adversus nervorum vim nervi tui,

Et adversus gladium, Sergi, ignis est cor tuum;

Posterior autem his verbis concipitur:

Σέργιον ἐρδομάτη ἕψος ἔταξε, νεύρα δὲ Βάκχου.  
Versiculum hunc hexametrum Papebrochius noster in Ephemeridibus Græco-moscis ad hunc diem sequenti isthoc eleganti, qui ei ad verbum fere respondet, versiculo pariter hexametro Latine reddit:

Sergion ense, flagris Bacchum lux septima mactat.

Tam Bacchus itaque, quam Sergius, si Menæis standum sit, martyrium una eademque septima Octobris die consummarint. Verum cum S. Sergius proxima a S. Bacchi martyrio, Barbalissi consummato,

AUCTORE  
C. B.

E

qui tamen simul et Bacchus uno eodemque die, uti in Menæis traditur,

AUCTORE  
C. B.

summato, die, Antiocho iubente, Suram, ut supra docuimus, ductus fuerit, nec atrocissimorum, quæ pro Christo subiit, tormentorum, vitæque simul finem gladio prius sit adeptus, quam Sura Tetrapyrgium, hincque deinde Resapham cothurnis seu crepidis, modo supra exposito clavatis, incedere seu currere ante Antiochi, ad loca isthæc pergentis, vehiculum fuisset compulsus, Sanctos sane non uno eodemque septimo Octobris die fuisse occisos, sed contra plures etiam inter utriusque martyrium dies intercessisse dicendum est.

passi non  
sunt, coro-  
natum, sta-  
tuunt.

42 Verum quinam ergo dies diversi Sanctorum martyrio seu potius hujus consummationi assignandi? Sergium septima Octobris die gladio finivisse martyrium, Sanctorum Acta, ut jam plus vice simplici indicavi, diserte tradunt, hisque etiam suffragantur unanimi consensu omnes fere Fasti sacri supra laudati, non solum Latinorum, Græcorum, Habessinorum et Russorum, verum etiam ipsorummet, apud quos Sancti martyrio fuere coronati, Syrorum. Quare dubitandum non apparet, quin reipsa S. Sergius dicta septima Octobris die martyrium consummarit; quod autem ad diem, quo id Baccho obtigerit, B spectat, cum itineri, quod Sergius proximo ab obitu Bacchi die Barbalisso Suram, hincque Tetrapyrgium conficere fuit coactus, unus ut minimum dies, uti ex ante dictis facile erues, fuerit impensus, nec minus quam dies alter itineri deinde Tetrapyrgio Resapham conficiendo, necique ibidem S. Sergio inferendæ impendi potuerit, consequens omnino est, ut duobus ut minimum ante Sergium diebus martyrio coronatus Bacchus fuerit. Adhæc, cum Acta, an Sergius ipsa, qua Tetrapyrgio Resapham advenerat, die martyrium subierit, itemque an ipsa, qua Suram fuerat adductus, die Tetrapyrgium pergere fuerit coactus, nullo modo exprimant, quatuor etiam aut quinque dies inter Sanctorum nostrorum martyrium non intercessisse medios, asseverare non ausim. Quare verum diem, quo Bacchus, crudis nervis ad mortem usque cæsus, ad Superos migravit, signant fortassis Fasti Æthiopiæ apud Joban Ludolfum, Copticumque num. 4 adhuc memoratum, linguaque Latina scabrose donatum Calendarium, in quibus S. Bacchi memoriam ad 1 Octobris diem notatam invenio. Uti sit, uno equidem eodemque die tam Bacchum, quam Sergium pro fide non occubuisse, indubitatum apparet, uti etiam id quantum ad S. Sergium die 7 Octobris accidisse.

Id, quod in  
persecutione  
generali factum,  
Acta exigunt,

45 Proximum nunc est, ut, quo sæculo Sanctos pro fide occumbere contigerit, nunc examine-mus. Sub S. Heracla, patriarcha Alexandrino, id factum, Chronicon Orientale, ab Ecchellensi typis vulgatum, statuit; verum cum Heraclas, uti in chronologica patriarcharum Alexandrinorum Historia, Operis nostri tom. V Junii præfixa, ostenditur, ab anno 252 ad annum usque 246 sederit, sique Sanctorum, quod in Syria accidit, martyrium Maximino I, cui ægerime id convenire potest, deberet attribui, eruditi passim omnes a laudato Orientali Chronico, in aliis etiam sæpissime falso, hic recedunt. Sed qui tandem ergo sæculum saltem, quo Sancti passi sint, determinabimus? Latina Sanctorum Acta initio sic habent: Imperante Maximiano tyranno, multus error hominum genus possederat. Lapidés enim et ligna, hominum adinventiones, adorabant et de obscænis sacrificiis degustabant. Qui autem sacrificare volebant, pœnis atque suppliciis ve-

hementius afflicti deservire dæmonibus com- D pellebantur. Erat igitur edictum per singulas civitates in foro propositum cum severissima comminatione. Ita hæcenus, quibus etiam quantum ab substantiam Metaphrastica Græca consonant, Latina Sanctorum nostrorum Acta; quæ autem deinde serie continua subjungunt, Sanctos nostros eo rerum statu, quo generalis in Christianos fervebat persecutio, martyrio fuisse coronatos, luculentissime exigunt. Verum cum nullus, quemadmodum jam supra monui, imperator, nomine Maximianus, cujus jussu Sancti in Syriam ad Antiochum ducent, a fide per illum abstrahendi aut atrocissimis tormentis ipsaque etiam morte affiendi, missi fuerint, in Syria, persecutione generali in Christianos commota, regnarit, quomodo id verum esse potest? Nulla sane ratione, ut mihi equidem apparet.

44 Quare oportet, vel ut Sancti persecutionis generalis tempore pro fide occubuisse perperam in Actis statuatur, vel ut id, quod sub Maximino, Syriam ab anno 303 ad annum usque 315 moderato, sæpiusque cum Maximiano Galerio confundi solito, evenit, sub Maximiano factum per errorem notetur. Verum quid præstat? Sancto- E rum martyrium persecutione generali commota, sub Maximino, an, hæc nondum scivente, sub Maximiano Galerio locare? Hic anno 296 et 297 belli Persici occasione, uti inter omnes scriptores convenit, in Syria commoratus est, tuncque forte, uti ad 29 Augusti diem docuimus, S. Andream tribunal, pluresque cum eo milites, quod Christiani essent, ab Antiocho, copiarum in Syria duce, jussit occidi. Quod si ergo in Actis error potius quantum ad persecutionem generalem, qua scivente, Sancti nostri pro fide fuerint occisi, quam quantum ad imperatoris, sub quo id acciderit, nomen admittendus sit, Sanctorum nostrorum martyrium anno circiter 296 aut sequenti non inepte consignaris. Verum cum fieri facili negotio possit, ut quantum ad nomen imperatoris, sub quo Sancti coronati fuerint, erratum duntaxat sit, est enimvero, cur dubites, ad id, persecutione generali Maximiani et Diocletiani jussu jam concitata ac proin sæculo quarto jam labente, factum potius haud fuerit. Quod ad me pertinet, cum Sancti equidem sub Maximiano in Syria dominante, qui imperator esset, martyrium passi in Actis narrentur, nec ante annum 303 Maximianus Galerius imperatoris nomen obtinuerit, in eam opinionem, quæ, persecutione generali sæculi quarti initio jam exorta, sub Maximino, cum Maximiano Galerio potissimum ex nominis affinitate confundi solito, Sanctorum martyrium statuit, magis propendeo, nec asseverare ausim, a vero procul abire Baronium, qui id in Annalibus ecclesiasticis anno 309 innectit. Res interim, quemadmodum ex jam dictis satis liquet, certa neutiquam est, hincque supra in margine Seculo tertio vel initio seq. adscripsi.

anno circiter  
297 aut sæ-  
culi sequentis  
initio evenit.

F



A  
**§ IV. Quænam Sanctis ante sæculum sextum veneratio, ac nominatim S. Sergio, fuerit delata.**

S. Sergius, ut Theodoretus hic recitata verba

**A**ntiquam enimvero admodum, quæ SS. Sergio et Baccho a Græcis, Latinis, aliisque exhibetur, venerationem esse, generatim, quæ Commentarii hujus prævii § 4 disseruimus, ostendunt; nunc spectatim magis, quam quidem antiqua ea sit, dicenda hoc § aperient. Ac primo quidem quod nominatim ad venerationem, S. Sergio delatam, spectat, antiquitatis huic attribuendæ testem locupletissimum habemus Theodoretum, Cyrensem in Augusta Euphratesia sæculo v. episcopum. Hic enim, qui Opere non uno edito inclaruit, lib. de Curandis ethnicorum affectibus cap. 11, quo de sanctis Ecclesie Martyribus potissimum tractat, sic scribit: Ex iis itaque (Christi fidelibus) viris ac mulieribus constituti sunt Martyrum chori.

**B** Ac philosophi quidem præclarique oratores oblivioni jam dati sunt; imperatorum vero ac magnorum ducum ne nomina quidem multi hodie norunt, cum tamen Martyrum nomina magis, quam familiarium, cuncti mortales sciant. Quin etiam nascentibus filiis ea imponi curant, ita custodiam illis tutelamque certissimam comparantes. Sed quid ego philosophos, imperatores ducesque commemoro, cum eorum quoque, qui passim Dii ferebantur, memoriam e mente hominum Martyres aboleverint?

fidem faciunt, festiuitate annua jam inde a sæculo quinto

**C** 46 Eorum namque templa una cum suis lucis sic destructa jam sunt, ut ne ulla quidem vestigia superent, nedum qua forma illorum aræ constiterint, scire homines possint. Earum vero rerum materia templis arisque Martyrum excitatis expiata est. Suos enim Mortuos Dominus Deus noster in templa pro diis vestris induxit. Ac illos quidem cassos gloria vanosque reddidit; suis autem Martyribus honorem illorum dedit. Pro pandis enim, diasisque ac dionysiis (hoc est, Jovis Liberique Patris solemnitatibus) Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauricio aliisque sanctis Martyribus solemnitates populari epulo peraguntur, proque illa veteri pompa, pro turpi obscenitate ac impudentia fiunt modestæ, castæ ac temperantiæ plenæ festiuitates, non illæ quidem mero delibutæ, non commensationibus leves, non caehinnis solutæ, sed divinis canticis personantes, sacrisque sermonibus audiendis intentæ, in quibus ad Deum preces non sine sanctis lachrymis ac suspiriis summittuntur.

fuit honoratus, citiusque etiam illum, Surenorum hic relatum facimus,

**47** Tali, qualis hic a Theodoretis describitur, solemnitate S. Sergii, non secus ac SS. Petri, Pauli aliorumque celeberrimorum martyrum, festiuitas annua celebrata fuit Theodoretis ætate ac proin jam inde a quinto, quo is floruit, sæculo, imo forte jam inde etiam a quarto; neque enim Theodoretus, feri id sua ætate primum cepisse, uspiam dicit. Adhæc insignis plane, quæ jam inde, ut apparet, a sæculo quarto vigerit, venerationis erga S. Sergium argumentum in Actis tum Græcis, tum Latinis suppeditatur. En verba, quibus id in Latinis sub finem refertur. Post

multum igitur tempus (nimirum a S. Sergii martyrio) religiosi viri, zelo Christi incitati, cæperunt expoliare corpus (S. Sergii nempe) de loco suo, venientes de castro Syro, veluti quemdam thesaurum pretiosissimum; sanctus vero Sergius non permisit corpus suum occulte transferri, quod publice propter Christi confessionem triumphalibus suppliciis punitum est, sed deprecatus est Deum ignem succendi in eodem loco, non ut eos, qui furari conabantur, ulcisceretur, aut etiam exureret, sed caliginem quoque noctis inlustraret tale furtum in Ruzaphatam castellum; quod et factum est. Incenso ergo igne in loco, ubi corpus jacebat, quidam de habitatoribus castri videntes, penitusque usque in cælos flammam elevari, putaverunt, a quibusdam hostibus maximum illum ignem factum fuisse, et armati egressi sunt, et persequebantur eos, qui furari temptaverunt corpus sancti Martyris; illi autem postulantes eos permiserunt ibidem diebus paucis persistere; et ædificium facientes ex lapidibus et luto in loco, ubi jacebat, et cooperientes super in honorem Martyris sic recesserunt.

ACTORE C. B.

**48** Magna enim vero in S. Sergium sacrasque ejus exuvias veneratione sese fuisse abreptos, Castri Syrensis incolæ, suo hisce verbis relato facinore, utut haud sat probando, manifestarunt; quamvis autem id non prius, quam cum jam multum tempus a S. Sergii martyrio esset elapsum, accidisse ex ipso eorumdem verborum initio intelligatur, sæculo tamen quinto, ut jam monui, fortasse fuisse antè, existimo, quod in Sanctorum nostrorum Actis facto jam relato proxime subdatur aliud, quod serius, quam hoc, accidisse innuit, et tamen sæculo quinto non multum propecto evenit, uti ex jam nunc dicendis patescet. Id verbis, quæ mox datis proxime subjunguntur, sequentibus hisce Acta exponunt. Paulatim itaque proficiente religione Salvatoris nostri Domini Jesu Christi, convenientes in unum sanctissimi episcopi, numero quindecim, ædificaverunt juxta castrum Ruzafatam martyrium dignum confessionis ejus, transtuleruntque ibidem sancti Martyris corpus et deposuerunt in eodem martyrio per eandem diem, qua passus est, die septima mensis Octobris. *Serius sane, quæ hic narrantur, evenisse, quam tentatum a Syrensi castri incolis S. Sergii corporis furtum, palam esse videtur ex eo, quod, postquam hoc narratum est, illa demum, Paulatim proficiente Religione, accidisse referantur; verum unde, sæculo quinto non multum propecto facta esse, potest probari? Alexander, Hierapolitanus in Syria Euphratesiensi sæculo quinto episcopus, in concilio Ephesino, anno 451 adversus Nestorium celebrato, cum Joanne, patriarcha Antiocheno, aliisque nonnullis Orientis episcopis pro Nestorio contra S. Cyrillum, patriarcham Alexandrinum, stetit.*

**E** quod ante sacram S. Sergii ædem, ab Alexandro, Hierapolitano episcopo,

**49** Licet autem deinde Joannes in Nestorii damnationem consensisset, sicque in concordiam cum S. Cyrillo rediisset, Alexander non tantum exemplum ejus sequi constanter recusavit, verum etiam sese a Joannis, quod et concilii Ephesini in Nestorium decreta amplecteretur, et sancto Cyrillo esset unitus, communionem separavit, nec unquam vel ad concordiam, vel ut Nestorium damnaret, potuit adduci. Hinc Joannes, ut hominis, sedem metropolitancam, quæ ad patriarchatum Antiochenum spectat, occupantis, aliorumque ei adherentium episcoporum contumaciam seu

uti e scripta ab hoc occasione, quæ hic exponitur,

AUCTORI  
C. B.

seu frangeret, seu puniret, in duorum ex his locum, consentiente, ut apparet, aut certe non refragante imperatore Theodosio Juniore, alios episcopos ordinavit. Adhuc Joannes in Hierapolitanae diocesis ecclesia, S. Sergio sacra, quae episcopum antea haud habuerat, episcopum consecravit, eamque a diocesi Hierapolitana avulsit. Alexander alique sex ei adherentes provincia Hierapolitanae seu Augustae Euphratesiae episcopi maxime hinc moti epistolam ad Eudociam, imperatoris uxorem, Pulcheriamque ejusdem sororem, ambas augustas, dederunt, enixissime flagitantes, ut, re ad imperatorem delata, et ecclesiam, S. Sergio sacram, metropoli Hierapolitanae, cujus ante fuerat, reddendam, et ulteriora Joannis in provinciam Hierapolitanam seu Augustam Euphratesiam molimina comprimenda curarent.

epistola,

50 Epistola illa inter diversas anno circiter 452 scriptas, quas Christianus Lupus anno 1682 Lovanii edidit, annoque 1707 in nova conciliorum Collectione Stephanus Baluzius recudit, locum obtinet centesimum trigesimum quintum. Verba, huc potissimum spectantia, quae comple-

B tūtur, transcribo. In ea itaque praefati episcopi, acerbissime nec, ut apparet, sat juste ac moderate de Joanne, patriarcha Antiocheno, conquerentes, sequentem hunc loquuntur in modum: Contra nostram provinciam oblatravit, et contra sanctorum Patrum regulas duos episcopos ordinavit abominabiles viros atque perversos et totius operatores lascivia. Pervasis vero et martyrium sancti et boni victoris Sergii martyris, quod sub Hierapolitana erat ecclesia, et noviter illic contra morem ordinavit episcopum, cujus nec latet iniquitas, sed omnibus nota est. Ob hoc compulsi sumus Deo amicissimos clericos ac monachos destinare cum praesentibus, per quas vestram quaesumus pietatem, ne despiciatis ecclesias Dei, sed edocetis de his, quae contra nos fiunt, iniquitatibus piissimum et amicum Christi principem nostrum; suadeatis vero, ut jubeat ejus imperium iniquas ordinationes vacare; episcopos vero nostrae provinciae secundum sanctorum beatorumque Patrum regulas ordinationes celebrare. Basilicam vero sancti et boni victoris Sergii martyris secundum pristinum morem sub ecclesia

C hujus esse metropolis, uti erat, antequam et magnum id ipsum templum fabricatum est, et illi altissimi muri et alia intra eandem munitionem aedificia. Decet enim sanctitatem vestram et hanc iniquitatem removere, et sanctorum beatissimorumque Patrum regulas roborare, quorum orationibus vestrum munitur imperium.

51 Inter epistolas supra memoratas, quas primum Lupus, iteratisque deinde typis Baluzius edidit, duae adhuc aliae, 147 nempe et 165<sup>a</sup> occurrunt, in quibus laudatus Alexander, Hierapolitanus episcopus, nonnulla praeterea, quae huc spectant, proloquitur, in priori quidem haec: Nec si mihi totum caelorum regnum (patriarcha Antiochenus) Johannes, cujus non est dominus, dederit, non autem dico Rasaphas et alias hujus solitudinis (in qua scilicet Palmyram versus situ erat Resapha) civitates, ei communicare sustinebo; in posteriori vero isthaec: Quam enim speciem contrarietatis adversum me Antiochenus non exercuit? Nonne militum magistros et judices adversum meam armavit

aliquae duabus colligitur, saeculo v Resaphae exstructam, evenisse videtur,

humilitatem? Nonne Martyris (S. Sergii nimirum) ecclesiam a me abstulit, in quam fere trecentas auri libras expendimus, et ecclesiam sub debito fecimus? Ex hisce porro trium, quas dixi, epistolarum textibus simul acceptis eruditi, nec, ut apparet, immerito, conficiunt, saeculo v ab Alexandro, Hierapolitano episcopo, ante exortas ipsum inter et Joannem, patriarcham Antiochenum, Nestorianae haeresos occasione simulatas, Resaphae insignem ecclesiam S. Sergio martyri, trecentis auri libris in sacrum istud aedificium expensis, propriae ecclesiae ari alieno hinc obligata, exstructam ac dedicatam, totumque praeterea locum, quem et alii multis aedificiis ornavit, muris altissimis circumdatum, atque adversus Saracenorum incurSIONES munitum fuisse.

52 Ac ego quidem hanc ecclesiam cum ecclesia, quam ab episcopis numero quindecim, Resapham ingressis, aedificatam, sacrisque S. Sergii martyris reliquiis, cum ab iisdem episcopis fuisset consecrata, decoratam fuisse, Latina Sanctorum nostrorum Acta recitatis num. 48 verbis perhibent, esse puto eandem, atque id quidem idcirco potissimum, quod nec ante, nec post conditam ab Alexandro Hierapolitano S. Sergio Resaphae ecclesiam insignis altera eidem ecclesia ibidem fuisse exstructa noscatur. Acta interim haud sat accurate loquuntur, notareque debuissent videntur, S. Sergii ecclesiam ab episcopis numero quindecim Resapham ingressis, non quidem aedificatam, sed tantum, cum jam, Alexandro Hierapolitano sumptus suppeditante, aedificata fuisset, ab iisdem, seu potius ab uno dicto Alexandro, quatuordecim aliis episcopis assistentibus, dedicatam, illatisque deinde in illam sacris S. Sergii exuviis fuisse ditatam. Jam vero, cum sacra isthaec S. Sergio ades, ab episcopis, ut Acta Latina perhibent, numero quindecim dedicata, ab ecclesia, quam Resaphae ex dictis eidem sancto Martyri Alexander, Hierapolitanus episcopus, circa concilii Ephesini, anno 451 contra Nestorium celebrati, tempus, quintoque proinde saeculo non multum protracto, exstruxit, diversa, uti ex dictis apparet, non sit, illiusque ante exstructionem supra memoratus, quo S. Sergii corpus Resaphae auferre Surenis, insignis vel sic venerationis erga Sanctum argumentum praebentes, tentarunt, con-

53 Ac primo quidem, cum ecclesia, quam ibidem S. Sergio erexit, ab ecclesia ex dictis, quae post tentatum a Surenis corporis S. Sergii furtum Resaphae aedificata fuisse in Actis perhibetur, diversa non sit, haecque, uti in hisce traditur, eadem, qua sanctus hic Martyr, fuso pro Christo sanguine, ad Superos migravit, septima Octobris die consecratam fuerit, dies sane, quo illam solemniter ritu ab Alexandro Hierapolitano dedicari contigerit, exploratus habetur, si Sanctorum modo Actis sit standum. At vero erit fortassis, qui, quo horum ea in re fidem infirmet, hic objiciat Calendarium Copticum, a Kircheri, ut suspicamur, Latine redditum supraque adhuc laudatum, in quo

magna in veneratione fuisse ostendit.

E

F

Sacra illa ades die, quo in Actis traditur, septimo Octobris.

ad

A ad 15 Novembris notatum invenitur, Fundatio ecclesie S. Sergii martyris in Rosepha. Et sane, cum in alio prætereæ Calendario Coptico, scabrose in linguam Latinam converso, supraque adhuc pariter laudato, ad quintam decimam itidem Novembris diem memoretur Dedicatio ecclesie SS. Sergii et Bacchi in urbe Rassaphe, fueritne ecclesia illa 15 Novembris, qua ejus seu fundatio seu dedicatio in binis hisce Calendariis signatur, an potius 7, uti in Actis asseritur, Octobris die consecrata, in dubium haud omnino immerito revocari posse videtur. Attamen cum in Calendariis aliisque Fastis sacris Sanctorum festivitates, ecclesiarum dedicationes, aliaque similia non raro etiam aliis, quam quibus evenere, diebus commemorentur, Sanctorum nostrorum Actis, solemnitate, qua constructam a se Resaphæ S. Sergii ecclesiam Alexander, Hierapolitanus episcopus, consecravit, septima Octobris die dicitur signantibus, adhaerendum puto.

nec uni S. Sergio, sed Baccho prætereæ

B 34 Verum an recte etiam eadem Acta, dum ecclesiam illam S. Sergio dedicatam, sacrasque ejusdem sancti Martyris reliquias in eam fuisse translatas, memorie produnt, nullam prorsus de S. Baccho, non secus atque non ejus etiam nomini sacra illa ædes tunc dedicata, reliquisque, facta harum in illam translatione, decorata fuisset, mentionem instituunt? Sanctorum nostrorum Acta Græca, a Metaphraste adornata, a Latinis Actis hic dissonant, sicque num. ultimo habent: Paulatim crescente pietate in Salvatorem et Dominum nostrum Jesum Christum, episcopi numero quindecim, ingressi civitatem Rosaphorum, insigne templum Sanctis (Sergio nempe simul et Baccho) extruunt, et, cum id consecrasset, in eo deposuerunt divinas Martyrum reliquias. Hic itaque testantibus Græcis Metaphrasticis Sanctorum Actis, templum, quod Alexander, Hierapolitanus episcopus, Resaphæ condidit, non tantum S. Sergio, verum etiam S. Baccho fuit extructum, illataque in id tam hujus, quam illius fuere sacræ exuvie. Verum unde hæc Metaphrastes didicit? Cum Græca, quæ contexit Acta, ex iisdem, ut supra docui, antiquioribus Actis Græcis, e quibus, quæ hæc ex dictis accurate exprimunt, Latina Sanctorum Acta fuere accepta, deprompsit, nec tamen in hisce, vel Bacchi etiam nomini templum Resaphense fuisse consecratum, vel sacras ejusdem sancti Martyris exuvias in id fuisse illatas, memoratur, oportet, ut Metaphrastes documenta alia, in quibus tam hoc, quam illud esset notatum, sibi prælucentia habuerit, vel certe, ut Acta antiquiora Græca, quibus ad sua adornanda usus est, interpolata, uti etiam alibi (adi num. 15 et seq.) fuisse illa videntur, hac in parte fuerint. Ut sit, Resaphense equidem templum non tantum S. Sergio, est etiam S. Baccho dedicatum, illatisque in id tam hujus, quam illius sacris reliquiis ditatum fuisse, videtur. Etenim, ut ambo hæc asserta eo, quo hic proferuntur, ordine confirmem, in Calendario Coptico, supra jam plus semel laudato, in quo, scabrose, ut dixi, in linguam Latinam converso, Resaphensis, de quo hic, templi seu ecclesie dedicatio ad quintam decimam Novembris diem signatur, sacra isthæ ædes non tantum S. Sergii, sed etiam S. Bacchi nomine insignitur. Verba Calendarii repeto: Dedicatio ecclesie SS. Sergii et Bacchi in urbe Rassaphe.

consecrata fuisse videtur,

35 Opponi quidem hic potest, Resaphensem, de qua hic, ecclesiam in Calendario itidem Coptico, supra pariter laudato, latineque, ut suspicamur,

per Kircherum reddito, solo S. Sergii nomine condecorari, idque etiam ab ipsomet Alexandro, Hierapolitano metropolitano, qui ecclesiam illam erexit dedicavitque, in tribus supra laudatis epistolis fieri; verum non raro accidit, ut ecclesie, quæ duobus tribusve aut etiam pluribus Sanctis dedicate fuere, solo Sancti præcipui, seu qui ceteris nominis celebritate sanctitateve præcellere existimatur appellari et a vulgo et ad hujus exemplum a scriptoribus soleat, non secus atque homines, quibus plura Sanctorum nomina in Baptismate indita fuere, priori dumtaxat, ceteris omissis, communiter appellari consuevere. Quod cum ita sit, ex eo sane, quod et in Calendario Coptico, proxime iterum laudato, et ab Alexandro, Hierapolitano episcopo, solo S. Sergii nomine Resaphensis ecclesia insignitur, neutiquam consequitur, ut hæc simul et S. Sergio et S. Baccho consecrata haud fuerit. Imo vero, cum eadem ecclesia non tantum in Coptico altero num. præced. alibique laudato, verum etiam in aliis monumentis SS. Sergii simul et Bacchi nomine condecorata reperitur, quo hæc cum Calendario Coptico, per Kircherum Latine reddito, nec non cum præfatis Alexandri Hierapolitani epistolis, in quibus solo S. Sergii nomine insignitur, in concordiam adducantur, hoc in illis ex recepta passim, qua, ut jam monui, ædes sacræ, pluribus Sanctis consecratæ, præcipui tantummodo nomine venire solent, consuetudine dumtaxat fieri, dicendum apparet, standumque proinde altero, quod num. præced. alibique laudavi, Calendario Coptico monumentisque aliis, quæ, cum Resaphensem ecclesiam sanctorum Bacchi simul et Sergii nomine condecorant, suffragantur Metaphrasticis Sanctorum nostrorum Actis Græcis, in quibus, Resaphensem ecclesiam non tantum S. Sergio, verum etiam S. Baccho extructam dedicatamque fuisse, memorie proditur, quemadmodum, quæ proxime ex iis recitavi, verba fidem faciunt.

36 Quod modo ad sacras S. Bacchi, quas Alexander, Hierapolitanus episcopus, in Resaphensi a se constructa ecclesia etiam deposuerit, reliquias spectat, videtur et hac in re Actis Metaphrasticis Græcis assentiendum. Etenim S. Julia martyr una cum SS. Sergio et Baccho in codicibus Hieronymianis, Martyrologio Romano Parvo seu Veteri, Adone et Nothero sub una eademque annuntiatione hodie conjungitur; id autem, cum Julia eodem tempore, quo Sergius et Bacchus, martyrio coronata haud fuerit, alia de causa fieri non videtur, quam quod, ut Florentinius in suis ad Martyrologium Hieronymianum Annotationibus hodie observat, eodem loco, quo hi, deposita quiescat. Quare cum quantum ad S. Juliam, quam reapse eodem, quo SS. Sergius et Bacchus, loco quiescere sepultam, Adonianum supra num. 6 et 7 huc transcriptum Sanctorum elogium in fine tradit, res ita vere, ut Florentinius notat, habere videatur, nec Bacchus, qui sub una eademque annuntiatione hodie cum Sergio in mox memoratis Fastis sacris conjungitur, eodem die, quo Sergius, martyrium, ut jam supra docui, consummarit, amorum isthæ in Fastis sacris conjunctio facta pariter, quod, quo loco hujus, eo etiam illius sacra lipsana jaceant recondita, non immerito potest videri. Attamen cum reponi hic queat, Bacchum cum Sergio, quod, quamvis quidem cum hoc non consummarit, inceperit tamen martyrium, in præfatis Fastis sacris etiam posse conjungi, aut etiam, si ob sacra amorum lipsana,

AUCTORE  
C. B.

E

tuncque etiam, ut apparet, tam hujus, quam illius

F

AUCTORE  
C. B.

psana, quæ uno eodemque loco sint recondita, sub una annuntiatione hodie copulentur, fieri id posse, quod, etsi quidem non tunc, cum S. Sergii reliquias in condita a se Resaphensi ecclesia Alexander, Hierapolitanus episcopus, deposuit, sacra iis fuerint adjuncta S. Bacchi lipsana, id tamen aliquandiu post factum fuerit; cum, inquam, reponi isthæc hic queant, aliud præterea, quo sacras etiam S. Bacchi reliquias in Resaphensi ecclesia ab Alexandro Hierapolitano, sæpissime jam laudato, fuisse depositas, ostendam, in medium adduco.

sacræ ezwivæ,  
in illam fuerit  
illata;

37 Ado in Sanctorum nostrorum elogio supra huc transcripto, statim atque S. Sergium, capite truncatum, martyrium consummasse narravit, subjungit; Parvo autem tempore interposito, beatum quoque Bacchum a loco, quo tumultus fuerat, elevantes honorabili Martyribus loco juxta sanctum Sergium composuerunt. Haud multo itaque post S. Sergii martyrium tempore elapso, ad locum, quo hic tumultus jacebat, seu Resapham sacra S. Bacchi ossa, sancto Viennensi Martyrologo teste, fere translata. Nec est, cur scriptori huic fidem hic denegemus. Cum enim B etiam S. Bacchi corpus Resaphæ olim haud modico temporis spatio jacuisse reconditum, apud omnes in confesso sit, hodieque fortassis ex parte adhuc jaceat, cur id alio potius, quam assignato per Adonem, tempore advectionum eo fuisse, credamus? Accedit, non esse, cur Adoni rationem, qua impulsus, S. Bacchum e loco seu Barbalisso, quo martyrium subiit, Resapham haud diu a S. Sergii martyrio fuisse translatum, scripserit, defuisse putemus, licet interim eam compendiariorum morem sequens nuspam prodat. Jam vero, cum sacra etiam, uti ex jam dictis dubitandum non apparet, S. Bacchi lipsana haud dudum post S. Sergii martyrium ac proin jam inde a sæculo quarto Resaphæ, e castro, Barbalisso nomine, eo translata, prope S. Sergii corpus quieverint, ambigendum non apparet, quin, cum hoc Alexander, Hierapolitanus episcopus, in exstructam a se Resaphæ ecclesiam sæculo quinto, haud multum ex dictis provento, transtulit, sacra quoque in hanc S. Bacchi lipsana tunc transtulerit, uti in Sanctorum Actis Græcis, a se adornatis, memoriæ prodit Metaphrastes; cui proinde non magis ad hoc asserendum, quam Adoni ad eorundem sacrorum S. Bacchi lipsanorum Barbalisso Resapham translationem haud dudum post S. Sergii martyrium consignandam, monumenta antiqua, fide digna, arbitror defuisse.

deinceps autem,  
sæculo v  
adhuc tabente,  
Sancti.

38 Atque ita quidem modo habemus, et Resaphensem ecclesiam S. Sergio simul ac S. Baccho ab Alexandro, Hierapolitano episcopo, dedicatam, et sacras ab eodem tam hujus, quam illius reliquias in eam fuisse translatas. Nec, sacro hoc thesauro exstructam a se ecclesiam ditasse, Alexander contentus ipsum præterea, quo sita hæc erat, locum, Resapham nimirum, muris altissimis, ut jam supra dixi, circumdedit. Cum enim, ut apparet, signis et prodigiis SS. Sergii et Bacchi sepulcrum Resaphæ Dominus illustraret, ingens hæc, ut videtur, peregrinorum id visitantium pretiosisque donariis, quo Sanctos sibi propitios redderent, condecorantium, multitudo consuebat. Alexander itaque, quo, ut apparet, et insatiam vicinorum, a quibus tum ecclesiæ a se ædificatæ, tum maxime asservatis in hac thesauris timebat, Saracenorum rapacitatem cohiberet, tutamque adversus horum insultus peregrinis Resapham redderet, altissimos muros, quibus hanc muniret,

ecclesiæ a se ibidem conditæ adjungendus duxit. D Nec, id eum fecisse, fructu, ut apparet, caruit; partim enim hinc factum videtur, ut Sanctorum sepulcrum a frequentioribus deinceps Christianis visitari cæperit, aut saltem ut solitus horum ad illud concursus non desierit. Ut sit, Sanctos equidem sæculo v, cum jam Resapha muris, quod ex supra dictis anno circiter 450 evererit, ab Alexandro fuisse circumdatata, crebris ad suum Resaphæ sepulcrum peregrinationibus fuisse honoratos, verosimillimum ex jam dicendis apparet.

39 Nicephorus Callistus Historia Ecclesiasticæ lib. xv, cap. 25 insigne miraculum, quod sub Acacio, patris Constantino Constantino, anno 471, quemadmodum in chronologica patriarcharum Constantinopolitanorum Historia, Operis nostri tom. I Augusti præfata, videre licet, ad sedem illam promotum, acciderit, sequentibus hisce narrat verbis: Archisynagogus quidam inter Judæos cum pueris duobus in tumultu concitato, perinde atque is author ejus fuisset, correptus, crudeliter a viro consulari excruciatum est, multis hominibus præsentibus. Is autem inter tormenta varia illud tantum vociferatus est: O Deus sancti Sergii, adjuva me. Sancto Sergi, tu nosti. Judices porro fingere et assimilare hæc Hebræum putantes, ad ignem, ut vivus combureretur, qui verba ea protulisset, condemnarunt. Et ecce in media flamma equites duo, candidis induti stolis, apparentes, horis multis illum ab igne intactum conservarunt, et multitudo, in flammam insiliens, hominem inde rapuit. Qui, deinde baptizatus, Sergius nominatus est: atque ille non minus mente quoque illuminatus, substantia sua, quam multam habuit, vendita, in pyræ ejus loco amplissimum Sergio martyri templum extruxit: ubi, capite raso, reliquam juxta Dei beneplacitum exegit vitam. Idem duo ejus fecere pueri, nominibus suis in Sergii et Bacchi nomen mutatis.

quorum ope  
quod tunc factum fuerit,  
miraculum  
hic refertur,

60 Hoc ipsum miraculum in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 471 Baronius, Nicephorum citans, etiam recenset; verbis autem, quibus id facit, hanc observationem interserit: Frequens erat his temporibus peregrinatio ad sanctum Sergium martyrem, a quo, quæ singuli peterent, solerent accipere: qua re vulgata, factum est, ut a Judæo, dira patiente, vehementer dolor extorqueret, ut Deum sancti Sergii invocaret. Ita illi: licet autem, quod refert, prodigium, utpote a Nicephoro, sæculi xiv scriptore novemque adeo sæculis circiter a re gesta remoto, memoriæ primum proditum, fidem indubitam non mereatur, transcripta tamen, quam suggerit, observatio veritati consona apparet quantum ad frequentem, quam adstruit, temporibus illis seu sæculo quinto senescente ac proin, condita jam ab Alexandro, Hierapolitano episcopo, Resaphæ Sanctis ecclesia, murisque civitate hac munita, fieri solitam ad S. Sergium seu ad sacrum huic et S. Baccho Resaphense templum peregrinationem. Cum enim hæc erga Sanctos veneratio verosimiliter quidem jam inde ex dictis a sæculo v initio seu ante conditam Sanctis Resaphensem ecclesiam, certo autem, uti infra ostendam, sæculo vi locum habuerit, eidem sane etiam sæculo v, cum condita jam esset dicta ecclesia, locum fuisse, verosimillimum videtur.

frequentibus  
ad sepulcrum  
suum peregrinationibus  
fuisse honorati,

61 Ceterum Resapha ab eo circiter tempore, quo eam nova in SS. Sergii ac Bacchi honorem exstructa ecclesia ornavit, munimentisque auxit Alexander,



A *Alexander, Hieropolitanus episcopus, e singulari Resaphaque, mutato nomine, Sergiopolis fuit appellata.*

*Alexander, Hieropolitanus episcopus, e singulari incolarum aliorumque in S. Sergium veneratione, posito antiquo nomine, Sergiopolis appellata fuisse videtur. Etenim apud Procopium de Bello Persico ad annum 540 et 542 Candidus Sergiopolitanus episcopus, et in concilio Constantino-politano, anno 534 celebrato, Abraham, Sergiopolitanus itidem episcopus, occurrit, landatusque Procopius, qui saeculo sexto floruit, ecclesiam S. Sergio sacram; seu potius locum, quo exstructa haec est, Sergiopolim ab antiquis nuncupatam fuisse, lib. n de Aedificiis, cap. 9 scribit: ut proinde Resapha Procopii aetate seu saeculo sexto jam diu ac proin verosimilime haud dudum post annum circiter 451 seu post exstructam ab Alexandro Hieropolitano S. Sergio ecclesiam nomenclatione illa nova, posita veteri, insignita fuerit. Plura adhuc de ecclesia SS. Sergio et Baccho Resaphae extracta, de ipso hoc loco, Sergiopoli postea nuncupato, venerationeque ibidem Sanctis ac nominatim S. Sergio impensa dicere hic possem; verum chronologicus, quem sequi statui, ordo exigit, ut, antequam ea in medium adducam, alia nonnulla, tempore, quo gesta fuere, priora, lectorem edoceam.*

### § V. Variæ ecclesiæ Sanctis saeculo vi exstructæ, aliæque in Oriente præcipue delata venerationis officia.

C *Maxima sane Sanctos ac nominatim S. Sergium veneratione saeculo quinto ac fortassis etiam citius in Syria, aut, si mavis, in amplissimæ hujus regionis provincia, Augusta Euphratesia nominata, fuisse affectos, luculentissime, quæ § præcedenti disseruimus, evincunt; illam autem saeculo sexto plurimum increvisse, nec solis Syriae finibus mansisse circumscriptam, luculentissime pariter, quæ § præsentii allaturi sumus, ostendunt. A fonte, e quo, ut tunc ad Sanctorum cultum seu venerationem multum incrementi accesserit, ortum esse videtur, duco initium. Jam inde a saeculi sexti initio, et forte etiam a tempore anteriori Sancti nostri, uti ex dicendis colliges, etiam in Illyria Dardaniæque summa videntur veneratione fuisse gavisi, hique ambo alia ex parte erga Justinum ejusque nepotem Justinianum, postea imperatores, qui illo terrarum tractu oriundi erant, maximeque fortassis amborum Sanctorum ex hausto in patria in eos affectu reverentes, singulari plane modo sese benevolos exhibuisse perhibentur. Justinus ejusque nepos Justinianus apud Anastasium imperatorem, cuius servitio erant adstricti, perduellionis paulo ante illius obitum, qui anno 518 evenit, fuerant accusati, erantque, ut apparet, morte ab eo indubie damnandi; verum, imperatore oblata sibi terrificam in somnis visione a nece eis inferenda absterrito, liberi evasere.*

*65 Qui rem gestam scribant Zonaras et Cedrenus, ipsi horum scriptorum verbis, postea, quid de eorum narratione statuendum appareat, edicturus, primum propono. Prior sequentibus hisce Annalium lib. xiv, cap. 4 utitur: Anasta-*

*sus paulo ante obitum, nunciatis sibi insidiis, multos comprehenderat, atque inter alios Justinum et Justinianum, qui post rerum potiti sunt, atque in animo habebat eos occidere. Sed deterritus est somnio, cum vir terribilis ei astitisse visus esset, ac diceret: Justino et Justiniano ne quid mali feceris; nam uterque suo tempore Deo inserviet; posterior vero in contexto a se historiarum Compendio istis: Anastasius... paulo antequam moreretur, delatis ad ipsum insidiarum sibi factarum indicibus, multos corripit atque interfici jussit. In captis fuerunt etiam Justinus et Justinianus; quos cum necare statuisset, terribilis quidam ei in somnis adstitit, ita dicens: Tibi quidem, o imperator, permissum est, reliquos insidiatores tollere; a Justino autem et Justiniano maleficium omne abstine; nam non licebit, te eis, utcumque velis, male facere. Cumque Anastasius diceret, eos reos esse læsæ imperatoris majestatis, respondit ille, esse eos vasa consilio Providentiæ exequendo apta, et utrumque suo tempore Deo operam navaturum. Atque hos quidem duos Anastasius crimine absolvit; insomnium vero suo tempore exitus comprobavit. Uterque enim eorum post Anastasii mortem imperio functus est. Ut itaque sub Vita suæ finem Anastasius imperator Justinum et Justinianum, postea imperatores, læsæ majestatis crimine, cuius facti erant rei, absolverit, terrificam ad id viri, in somnis sibi apparentis, illosque necari vetantis, specie, si modo Zonaras et Cedrenus recitatis verbis recte scribant, fuerit impulsus; verum Anastasium, ut Justino et Justiniano parceret, non viri dumtaxat unius, sed duorum, quorum alter S. Sergius, alter S. Bacchus exstiterit, terrificam specie motum fuisse, memoriæ etiam proditum est, idque a scriptore, Zonara et Cedreno antiquiore, si Alemanno in suis in Arcanam Procopii Historiam Annotationibus fides sit.*

*64 Etenim in sextum hujus caput, quo, Justinum, cum apud Joannem Gibbum, sub quo, imperatorum exercitum in Isauros rebelles sub adit; ab Anastasio anno 491 imperii initium ducente, militabat, insimulatus criminis atque in carcerem conjectus fuisset, terrificam duci isti hominis visione semel, iterum ac tertio in somnis oblata, præsentissimo mortis periculo fuisse ereptum, Procopius refert, ita observat: Mirificam Justinianum liberationem alii quoque scriperunt, Joannes Zonaras, Cedrenus (horum duorum verba jam dedi) et Ephraemius in Chronico; verum alia plane ab hac est, quam Procopius (loca nempe proxime cit.) contigisse affirmat, in Isauros copias ducente Joanne Gibbo, sub cuius potestate tum agebat Justinus, nempe initio principatus Anastasii; nam extremo ejusdem imperio Justinus erat patricius, senator et comes Prætorianorum; idque magis ac magis confirmat, quod Justinianus, Justinianus nepos, cum Gibbus ductabat exercitum, plane puer erat, neque versabatur in castris, ut criminis aut carceris avunculi, quæ illi narrant, socius esse posset: nam candidata militia, quemadmodum ait Victor Tunnensis, functus est sub initium imperii Justinianus. Ergo secundo Justinus in carcerem ab Anastasio conjicitur cum Justiniano nepote, tunc trigenario majore, perduellionis insimulatus. Eripitur vero non ea hominis specie apparente, ut Zonaras (adi ejus verba proxime recitata) et alii scribunt, quam hic Gibbo, militiae magistro, apparuisse Procopius refert; sed visis*

AUCTORUM  
C. B.

E

F

pe c

AUCTORE  
C. B.

per quietem Anastasio imp. Sergio et Baccho martyribus, quorum summa erat apud Dardanos et Illyrienses veneratio et apud hos ipsos contribules atque gentiles Justinum et Justinianum, a quibus paulo post superbissimum templum ad urbem Scodram Barbenamque fluvium iisdem Sergio et Baccho martyribus excitatum fuit, ut pluribus narravit Theophilus, Justiniani præceptor.

e Theophilo, Justiniani præceptore, Alemannus, scriptor haud ineptus, tradit.

65 Prima illa Joannis Gibbi, et secunda Anastasii imperatoris visio in eo plane conveniunt, quod Justinus, ejusque propinqui futuri essent, ut Cedreni verbis utar, *σκήνη χωρητικῆ τῆς τοῦ Θεοῦ βουλήσεως καὶ προνοίας, καὶ μελλούσιν ὑποურγῆσαι τῷ Θεῷ ἕκαστος ἐν τοῖς καιροῖς αὐτοῦ*, vasa consilio Providentiæ divinæ exequendo apta, et uterque suo tempore Deo esset operam navaturus. Ita hæc, quem pro hisce verbis laudavi, Nicolaus Alemannus. Ac primo quidem, visionem, qua Justinus, cum apud Joannem Gibbum, copiarum Anastasii sub aditi ab hoc imperii initium ductorem, accusatus fuisset, præsentissimo capitis periculo fuit liberatus, diversam esse a visione, qua Justinus simul et Justinianus, cum apud Anastasium imperatorem paulo ante ejus obitum insimulati gravius criminis fuissent, proxime imminente mortis periculo fuere erepti, non immerito contendit. Verum an merito pariter seu recte terrificæ id non unius dumtaxat, sed duorum virorum, quorum alter S. Sergius, alter S. Bacchus exstiterit, oblata Anastasio imperatori visione factum affirmat? Pro hac sua assertione alteraque, quam ei mox adjungit, citat Theophilum, Justiniani præceptorem; verum quis qualis hic fuerit, non edicit, nec ego, facta etiam diligentissima indagine, comperire quivi. Tillemontius tom. V Monumentorum, sese quoque, quis auctor sit laudatus ab Alemanno Theophilo, ignorare, in inferiori pag. 493 margine adnotat. Ut sit, esse equidem non videtur, cur Alemanno, quem a nemine veluti ineptum fallacem scriptorem traduci invenis, citari pulemus auctorem, qui vel nunquam exstiterit, aut ea, quæ illi affingit, literis haud commendavit. Quod cum id ita sit, laudatusque ab Alemanno Theophilo Justiniani imperatoris, utpote cujus præceptor exstiterit, ætate floruerit, ei enimvero, qui Justinum et Justinianum, SS. Sergio et Baccho in

sonnis Anastasio imperatori apparentibus, instantis necis, ab hoc sibi inferendæ, periculo liberatos scribit, credendum potius apparet, quam Zonaræ et Cedreno, scriptoribus sæculo decimo posterioribus, qui nullam plane SS. Sergio et Baccho in visione illa, Anastasio oblata, partem attribuunt.

eique etiam Cangius assentitur, nec prorsus immerito id abs hoc fieri, vides sacræ,

66 Cangius Constantinopoli Christiana lib. IV, pag. 125, num. 88, citans etiam pro se laudatum Alemannum, sic scribit: SS. Sergii et Bacchi martyrum summa fuit apud Dardanos et Illyrienses veneratio, quorum ope Justinus, perduellionis insimulatus, ab Anastasio imperatore una cum Justiniano nepote in carcerem conjectus, visis iisdem per quietem Anastasio, liberatus est. Ita Cangius Alemanno, qui, ut jam docui, oblata Anastasio imperatori, qua Justinus et Justinianus, postea imperatores, præsentissimo capitis periculo liberati fuere, visionem, non uni dumtaxat homini, qui sese Anastasio terrificæ specie in somnis spectandum dederit, sed duobus, quorum alter S. Sergius, alter S. Bacchus exstiterit, attribuit, indubitanter assentiens, nec prorsus, ut apparet, immerito: ad id enim iisdem fere, quas jam allegavi, rationibus potuit

impelli; tales autem illæ sunt, ut res, iisdem spectatis, si non pro certa, pro admodum equidem probabili videatur habenda, maxime cum beneficio illo Justinum et Justinianum a SS. Sergio et Baccho fuisse affectos, argumento etiam qualicumque sint ædes sacræ, quas binis hisce Sanctis postmodum variis locis excitasse partim solus Justinianus, partim Justinus simul et Justinianus perhibentur. Reponi quidem potest, erectam postea, cujus solius structura Justino simul et Justiniano tribuitur, ad Scodram Barbenamque fluvium SS. Sergio et Baccho ædem sacram unice et supra laudati Theophili, scriptoris ignoti, fide, reliquis omnibus scriptoribus antiquis, ac ipsomet etiam, qui tamen exstructa omnia a Justiniano ædificia recenset, Procopio silentibus, ab Alemanno verbis supra recitatis commemorari.

67 Verum, etsi id ita sit, esse equidem non videtur, cur, ædem illam sacram ad Scodram SS. Sergio et Baccho in accepti horum ope beneficii memoriam a Justino simul et Justiniano fuisse excitatam, asserenti Theophilo fidem abrogare debuerit Alemannus. Quamvis enim sacri illius ædificii nec ipse Procopius, qui tamen ædificia omnia tum sacra, tum profana, a Justiniano seu erecta seu instaurata aut etiam dumtaxat aucta, opere hac de re ex instituto elucubrato, recenset, mentionem uspiam faciat, non est tamen, cur id mirum cuiquam accidat, cum sacra, de qua hic sermo, SS. Sergio et Bacchi ad Scodram ædes, etsi etiam, ut apparet, Justiniano partim attribuenda, Justino tamen imperante, fuerit erecta, eaque dumtaxat ædificia, quæ a Justiniano, imperii habenas jam moderante, aut a fundamentis excitata, aut instaurata, aut etiam tantummodo aucta fuerint, in memorato Opere enumerare Procopii scopus fuerit. Quod autem ad reliquorum scriptorum de eodem sacro ædificio silentium pertinet, nec est, cur id mirum cuiquam videatur. Eorum enim omnium nullus plane est, qui ædificia seu sacra seu profana, quæ, vel Justino simul et Justiniano curantibus, vel priori saltem e binis hisce imperatoribus imperii habenas moderante, fuerint erecta, ex instituto commemoranda susceperit, scriptoribusque, qui generatim equidem res, imperante Justino, factas literis mandarunt, non ita id accurate præstitisse sunt censendi, ut nullas prorsus omiserint.

68 Omnibus itaque mature expensis, sacram SS. Sergio et Baccho ad Scodram Barbenamque fluvium ædem fuisse simul a Justino et Justiniano excitatam, Alemanno e Theophilo tradenti fidem indubitanter denegandam non reor, licet interim res, quod, quis scriptor hic fuerit, in obscuro sit, undequaque certa haud videatur. Sed hæc de erectis a Justino simul et Justiniano Sanctorum ædibus seu potius de unica ad Scodram excitata sacra æde jam sufficient; quod modo ad eas, quas solus Justinianus creverit, spectat, hunc, ad imperium jam evectum, Constantinopoli juxta Hormisdæ palatium, ubi, priusquam imperium adeptus esset, habitabat, insignem plane ædem SS. Sergio et Baccho erexisse, e Procopio certum est. Audi ipsomet hunc scriptorem, suis id verbis lib. I de erectis a Justiniano ædificiis, cap. 4 testantem. Sergio quoque, inquit, et Baccho, cælitibus inclytis, ibi (Constantinopoli nempe juxta Hormisdæ palatium) templum constituit; deinde et alterum (SS. Petro nimirum et Paulo sacrum) huic obliquum apposuit. Neque

quæ tum a Justino simul et Justiniano ad Scodram,

E

F

tum a Justiniano solo Constantinopoli,

A que enim adversa sunt ambo; sed a latere coherent, invicem comparabilia; communes aditus habent, aequalia prorsus inter se sunt, et cupidinibus cincta. Neutrum decore, magnitudine aliave re quapiam præstat, ceditve alteri. Utrumque ex æquo solem superat fulgore marmorum, et plurimum ubique auro pariter litum ac donariis refertum est. Hoc uno differunt, quod hujus directæ est longitudo; illius vero columnæ in semicirculum dispositæ sunt fere omnes. Unam habent in vestibulo porticum, nomen ex Narthece seu ferula idcirco naclam, quod longissime porrigitur. Communia sunt omnia propylæa, atrium, medianæ januæ, et ad regiam adjunctio. Ea demum est utriusque templi magnificentia, ut toti hinc civitati ipsique palatio manifestum decus accedat.

magna ad id pecunie vi impensa,

69 Hactenus Procopius, duarum sane a sese hic memoratarum, quarum alteram SS. Petro et Paulo, alteram SS. Sergio et Baccho Justinianus imperator condidit, ædium sacrarum elegantiam et pulchritudinem mirifice prædicans: tradit porro Cedrenus pag. 548 et 566, binas illas ædes sacras ad mare sitas fuisse, Justinianumque non modo in iis excitandis pristinas suas opes, et quas privatus possederat, addidisse, sed et in iis monasterium virorum instituisse. Postremum hoc, uti et dictum ædis, SS. Sergio et Baccho sacræ, ad mare situm, etiam docet, quem Bandurus anno 1711 typis Parisiensibus edidit, auctor anonymus, in Antiquitatibus Constantinopolitanis parte 5 sub initium, titulo, qui hisce verbis concipitur, De monasterio S. Sergii et Bacchi, cognomine Hormisdæ, præmisso, sic scribens: Locus, dictus Hormisdæ, parvus erat portus, in quo Justinianus Magnus monasterium extruxit nomine Sergii et Bacchi. Qui plura seu de hoc monasterio seu de sacra, quæ ad id spectat, æde, a Justiniano Constantinopoli SS. Sergio et Baccho erecta, modoque in Moscheam, ut Thevetus lib. xix Cosmographiæ, cap. 5 docet, a Turcis conversa, scire desiderat, adeat Cangium in Constantinopoli Christiana lib. iv, pag. 153 et sequenti, ubi etiam inveniet inscriptionem num. 57 jam recitatam, quæ, cum olim in Constantinopolitana SS. Sergii et Bacchi æde sacra fuerit apposta, fuisse hanc a Justiniano constructam, fidem etiam facit, uti illam legenti patecet. Duas modo ædes alias, SS. Sergio et Baccho, aut saltem, ni forte, quod tamen non puto, S. Sergio, Cesareæ in Cappadocia maritimi, ad 24 Februarii diem apud nos jam dato, tribuendæ sint, soli priori e duobus Sanctis nostris sacras, quarum alteram condidit, alteram beneficio affecit auxilive Justinianus, recenseamus.

alibique constructo perhibentur, argumento qualicumque sint.

70 Procopius in Opere, quod de Justiniani ædificiis inscribitur, ita de hoc imperatore lib. v, cap. 9 prodit memoriæ: Puteos cisternasve has struxit. In monasterio S. Samuelis puteum ac murum, in monasterio abbatis Zachariæ puteum... in monasterio S. Sergii in monte, cui nomen Cisseron, puteum; murum Tiberiadis; apud Bostrenos ptochium Phœnices; Porphyreone ædem Deiparæ, monasterium S. Phocæ in monte; ædem S. Sergii Ptolemaide. Prior e duabus S. Sergii ecclesiis, hic memoratis, in Palæstina, posterior autem in Phœnicia ponitur a Tillemontio tom. V Monumentorum pag. 495, nec ei hac in re refragandum apparet. Verum etsi ambo isthæc loca sacra solo S. Sergii nomine a Procopio distinguantur, anne tamen tam Octobris Tomus III.

S. Baccho, quam S. Sergio, dedicata non fuerint, idcirco reor ambigendum, quod e binis hisce Sanctis nostris Sergius, utpote tum munere, quo, cum in vivis esset, functus est, tum nominis celeberritate Baccho præcellens, præcipuus quodammodo queat videri, soleantque non raro (adi, quæ num. 33 huc spectantia jam protuli) ædes sacræ, quæ pluribus Sanctis dedicatæ sunt, præcipui dumtaxat nomine a scriptoribus designari. Jam vero cum res ita habeat, nec, quin ædes sacræ, ambobus Sanctis nostris partim a Justino simul et Justiniano, partim a Justiniano solo constructæ, numero saltem aliquot existerint, dubitandum ex omnibus jam dictis appareat, id sane visionem, supra relatam, qua a necandis Justino et Justiniano Anastasius imperator fuit absteritus, oblatam huic a SS. Sergio et Baccho fuisse, argumento, ut dixi, quocumque est, licet interim nec hinc res certa esse queat, quod fieri possit, ut Justinus et Justinianus, non ex accepti beneficii memoria, sed ex concepta erga Sanctos in patria veneratione ædes eis sacras extruxerint.

AUCTORE C. B.

71 E sacris porro locis, modo hic recensitis, quæ Justini et Justiniani ætate seu sæculo sexto, ut jam vidimus, ambobus Sanctis nostris aut horum saltem uni Sergio dicata existabant, colligendum præterea videtur, tunc etiam illos non tantum apud Illyrienses, apud quos etiam, locis istis nondum constructis, magna in veneratione fuisse e supra laudati, qui Theophilum, Justiniani imperatoris præceptorem, pro se citat, Alemanni recitatis verbis videtur, magis magisque honorari contigisse; verum etiam, in Palæstina quidem Phœniciaque eorundem alterum, Sergium nempe, ac forte etiam Bacchum; Constantinopoli autem tam hunc, quam illum non modo a Justiniano imperatore, ast etiam ab iis, qui ejus in partibus illis suberant imperio, cultu ecclesiastico plane insigni fuisse affectos. Hac modo reliquis, quas jam adduxi, observationibus adjecta, ad Resaphensem Sanctorum nostrorum ecclesiam iterum accedo. Procopius lib. ii de Ædificiis cap. 9 ita scribit: Templum est in Euphratesia sacrum Sergio, magni nominis Sancto; quem adeo venerati sunt ac suspexere veteres, ut locum Sergiopolim nuncupaverint. Muro hunc humillimo sepperant, qui videlicet satis foret prohibendis illarum partium Saracenis, quo minus primo aditu irrumperent. Neque enim ad oppugnanda mœnia nati sunt Saraceni. Eorum certe impetum obvius forte murus vel infirmissimus, nec nisi luto compactus, cohibet. Postmodum donariis sacraque supellectili templum hoc summe inclaruit. Quod secum reputans imperator Justinianus curam protinus eo contulit, mœnia loco circumdedit præclarissima, et aquæ copiam providit, imensa ejus collecta vi in receptacula. Insuper domos, porticus, aliaque extruxit ædificia, quibus urbes decorari solent. Præsidium quoque militare ibi constituit, muros, cum res posceret, defensurum. Profecto Chosroës, Persarum rex, cum urbis capiendæ percupidus, magnis illam copiis circumsedisset, munitio nis firmitate prohibitis, re infecta, obsidionem solvit.

E Sæculo sexto variis in locis Sanctos singulariter cultos fuisse, inde etiam apparet;

F

72 Magnam enimvero S. Sergii et nominis claritatem et venerationem apud populum etiam ante Procopii ætatem fuisse, hæc arguunt. Verum in singulis, quæ iisdem adstruit, cum Alexandro,

nominatim autem S. Sergium peregrinationibus Resaphæ

AUCTORE  
C. B.

dro, Hierapolitano episcopo, supra plus semel laudato, haud satis convenit hic scriptor. Justinianus enim, ut refert, Sergiopolim, quæ muro dumtaxat humillimo septa antea fuerat, mœnia circumdedit præclarissima, et tamen eadem isthæc civitas jam inde ab Alexandri Hierapolitani, Justiniano sæculo integro antiquioris, ætate muris altissimis, uti ipsemet is episcopus in scripta, quam supra laudavi, ad Eudociam et Pulcheriam Augustas epistola docet, erat circumdata. Oportet itaque, ut exstructi antea muri Sergiopolitani partim vetustate, partim temporum injuria Justiniani ac Procopii ætate fuerint collapsi aut etiam ex parte destructi, cumque hinc, pristina celsitudine amissa, humiles facti essent, tales eos ab initio fuisse, Procopius existimavit, licet interim, Alexandro Hierapolitano, quem falsi ea in re arguere nemo ausit, testante, altissimi fuissent. Verum utcumque res hæc habeat, ad institutum nostrum parum facit; proprius id tangit, ob quam a Justiniano munitam fuisse Resapham, Procopius verbis proxime recitatis scribit, causa, a sacra suppellectili, pretiosisque, quibus Resaphensis S. Sergii ecclesia Justiniani ætate seu sæculo sexto inclarescebat, donariis re-

B  
honoratum  
fuisse, e Pro-  
copio colligi-  
tur.

75 Etenim vel hinc, quin tunc Resaphensis SS. Sergii et Bacchi ecclesia frequenti ad hanc peregrinorum, a quibus donaria illa sacræ huic ædi ac nominatim S. Sergii fuerint oblata, concursu inclauerit, dubitandum non apparet, maxime cum opinioni isti, ut apparet, etiam suffragentur Gregorii Turonensis, qui eodem sæculo vi floruit, num. 86 recitanda verba. Adhæc cum Justinianus, uti verbis proxime recitatis Procopius indicat, Sergiopolim seu Resaphæ, quo, quod in civitate hac situm erat, sacrati S. Sergii templi donaria sacræque suppellectili tuto custodiri possent, præclarissima mœnia, addito etiam hisce defendendis militari præsidio, circumdederit, dubitandum pariter non apparet, quin id e singulari, quod huc etiam prope spectat, in S. Sergium veneratione præstiterit. Nec tantum ex hac Justinianus sacræ Sergiani templi suppellectili donariisque custodiendis modo jam dicto studuit, verum etiam isthæc, nova eis crucis aureæ donatione adjecta, auxit. Docet id nos Euagrius, aliud simul præterea eximiam erga S. Sergium

C  
venerationis argumentum, insigneque etiam, quod hujus virtute patratum fuerit, miraculum suppeditans. En ipsa, quibus totum hoc a scriptore illo Historiæ Ecclesiasticæ lib. iv, cap. 28 præstat, verba. Referam, inquit, nunc id quod ab eodem Chosdroe alibi gestum est circa urbem Sergiopolim. Est enim eximium, dignumque prorsus, quod sempiternæ hominum memoriæ commendetur.

Sacræ ejus  
ossa ibidem  
etiam tunc in  
capsa, argen-  
to oblecta,  
fuisse asser-  
vata,

74 Quippe Chosdroes ad hanc quoque urbem accessit, expugnare eam cupiens. Cum igitur incusso ariete muros quatere jam cœpisset, oppidani cum eo colloquium inierunt, servandæ urbis causa. Tandemque inter eos convenit, ut sacra ecclesiæ vasa pro redemptione urbis darentur: in quibus erat crux, quam Justinianus ac Theodora eo miserant. His ad Chosdroem perlatis, sciscitatur Chosdroes ex sacerdote et ex Persis, qui uno cum illo ad eam rem missi fuerant, nihilne amplius superesset. Tum quidam ex iis, qui mentiri consueverant, respondit, alios præterea thesauros esse, ab oppidanis, qui pauci admodum erant, occul-

D  
tatos. Porro ex sacris thesauris, qui comportabantur, aureum quidem vel argenteum vas nullum relictum fuerat, sed alterius præstantioris materiæ, ac Deo prorsus dicatæ, sanctissimæ scilicet reliquiæ invicti martyris Sergii, in oblonga quadam arca argento cooperta recondite. His inductus Chosdroes, cum universum exercitum urbi admovisset, repente per omnem ambitum murorum innumerabilis visa est militum multitudo, cum clypeis urbem defendentium. Quo conspecto, hi, qui a Chosdroe missi fuerant, reversi sunt, et numerum et armaturæ genus non sine admiratione referentes. Chosdroes vero, postquam iterum sciscitatus paucos admodum in urbe remansisse didicit, eosque aut senes aut parvulos, robustis videlicet omnibus e medio sublatis, hujus miraculi auctorem esse Martyrem intellexit. Atque ob id metu percussus, admiratusque Christianorum fidem, in regnum suum reversus est. Aiunt etiam illum sub exitum vitæ, sacro regenerationis lavacro initiatum fuisse.

75 Hæc Euagrius; ac sacra quidem, ut scribit, S. Sergii ossa in capsâ oblonga, argento oblecta, Resaphæ, cum civitatem hanc Chosroes obsideret, asservata fuisse, scriptori huic asserenti credo; verum an prodigio, quod præterea hic narrat, quodque, ut apparet, S. Sergio attribuentum foret, factum sit, ut obsidione, qua a Chosroë, Persarum rege, premebatur, liberata fuerit Sergiopolis, potest non immerito revocari in dubium. Procopius enim, qui bellicæ isti expeditioni, anno 542, uti ad hunc annum Pagius in Criticis recte docet, a Chosroë susceptæ, synchronus vixit, nullam plane prodigii illius mentionem usquam facit, causaque longe diversa, ut Persæ, obsidionem, de qua hic, solvere fuerint compulsi, factum esse, lib. ii de Edificiis cap. 9, et lib. ii de Bello Persico cap. 20 memoriæ prodiit, in Priori quidem Opere paucis hisce supra adhuc datis verbis ulens: Chosroes Persarum rex, cum urbis (Sergiopolitanæ scilicet) capiendæ percupidus, magnis illam copiis circumsedisset, munitionis firmitate prohibitus, re infecta, obsidionem solvit: in posteriori vero rem fusius hoc modo pertractans: Vere primo Chosroes, Cabadis filius, tertium in fines Rom. irrupit cum ingenti exercitu, secundum Euphratem a dextra labentem iter habens. Ubi Medorum copias adesse proxime audivit Candidus Sergiopolitanus antistes, sibi civitatisque metuens, quod Chosroi promissa ad diem non præstitisset, hostium castra ingressus eum obsecravit, ne sibi ob hanc causam iratus esset: nunquam se habuisse pecuniam: propterea recusasse ipso initio Surenos redimere: nec precibus, quamvis enixe repetitis, tantillum proficisse apud Justinianum Aug.

76 Nihilominus Chosroes ipsum habuit in custodia, et in ejus corpus cruciati acerbissimo sæviens, majorem duplo, quam pacto convenerat, summam exigere voluit. At ille petiit supplex, ut Sergiopolim mitterentur, qui quidquid esset suppellectilis pretiosæ in templo urbis acciperent. Id cum fieri jussisset Chosroes, una quosdam e suo comitatu Candidus misit. Acceptis in urbem, quos rex destinaverat, multa e sacro thesauro Sergiopolitani dedere, alium sibi nihil reliquum factum asseverantes. Verum Chosroes multo plura deberi sibi contendens, negavit, se illis contentum esse. Quare misit suorum manum, specie quidem, ut civitatis opes perscrutarentur

Euagrius  
tradit, idque,  
etsi interim  
de miraculo,  
quod pariter  
tradit, quod-

F

cum iis, qui  
scribit Pro-  
copius, non sa-  
tis congruit,

A perscrutarentur; re autem eo consilio, ut ipsam occuparent. Quoniam vero in potestatem Persarum ventura Sergiopolis minime erat; Saracenus quidam Christianus et Alamundari imperio subditus, cui nomen Ambro, noctu ad urbis muros accessit, fraudeque indicata, hortatus est cives, ut Persas nequaquam reciperent. Itaque inanes ad Chosroem redierunt illi, quos ipse miserat. Hac repulsa graviter offensus, expugnandæ urbis consilium cepit: eo mox exercitum senis millibus constantem proficisci, obsidium facere, et in muros dare impressionem iussit. Quo illi cum pervenissent, manum operi admoverunt. Ac fortiter quidem initio resistebant Sergiopolitani; post tamen collapsi animis et Martij aleam reformidantes, dedicationem meditabantur: neque enim plus ducentos milites habebant. Sed Ambrus iterum de nocte progressus ad mœnia, compulsos aquæ penuria Persas obsidionem intra biduum soluturos significavit. Quapropter oppidani in colloquium cum hostibus non venerunt. Barbari autem castra moverunt, exusti siti, seque retulerunt ad Chosroem: qui Candidum deinceps numquam dimisit.

B  
ambigi non immerito possit, indubitatum apparet, uti etiam a Chosroes

B 77 E mente itaque Procopij, non prodigio, sed partim mœnium firmitate, partim aquæ penuria factum est, ut Chosroes, Persarum rex a Sergiopolis obsidione recedere fuerit coactus. Quare, cum Procopius, ut jam dictum, rei huic, anno Christi, ut pariter dictum, 542 gestæ, synchronus exstiterit; Euagrius vero, utpote qui non prius quam sæculo sexto senescente floruerit, quadraginta ut minimum annorum spatio ab ea remotus exærit, est sane, cur, an huic scriptori, obsidionem Sergiopolitanam prodigio, quod allegat, solvere fuisse Persas coactos, asserenti, assentiendum sit, non immerito dubitetur. Verum utcumque res hæc habeat, id eundem, quod idem Euagrius verbis recitatis de S. Sergij reliquiis, in capsâ oblonga, argento oblecta, Sergiopoli, cum a Persis civitas hæc obsideretur, asserentis, singularique hæc custodiendæ Sergiopolitanorum cura memoriæ prodit, sat certum apparet, nec rem hanc falsi utcumque, ut consideranti patebit, suo scribendi modo, qui verbis ejus proximè recitatis exprimitur, suspectam Procopius reddit. Quod cum ita sit, luculentum enimvero aliud venerationis erga S. Sergium sæculo sexto delatæ argumentum e laudato Euagrio habemus. At vero idem hic scriptor longe etiam certiora, utpote quibus et ipsemet synchronus exstiterit, eximie plane erga S. Sergium sæculo sexto ad finem jam vergente ab altero Chosroe Persarum rege delatæ venerationis argumenta suppeditat. Erat hic, ut laudatus Euagrius lib. iv, cap. 17 docet, Hormisdæ, Persarum regis, filius, cumque in subjectas Romano imperio terras, a Mauritio imperatore suppeditas adversus Persas sibi rebelles postulaturus venisset, intellexissetque, S. Sergium postulatis eorum, qui ad se confugerent, annuere, crucem auream, si exercitus, quem adversus inimicum suum, nomine Zadespram, mittebat, vivum eum aut mortuum sibi sisteret, sancto Martyri promissit. Chosroes erat Ethnicus; verum, cum Deus etiam, ut Tillementius tom. V Monument. pag. 494 recte ait, maxime perversos, atque ipsos etiam, quando ipsi placet, dæmones, dum non nisi de temporalibus mundi hujus rebus agitur, exaudiat, Chosroes prima regni sui anno, qui ab exæunte anno 590, ut Pagius in Criticis docet, ad exæntem item annum 591 excurrit, septima

Januarii die votum emiserat, sequentisque Februarii nona die Zadespram caput, ad se delatum, summo animi gaudio accepit, nec dudum post regnum suum recuperavit.

AUCTORE  
C. B.

78 Ad pro hisce fere omnibus Euagrius *Sergio, cum hanc in se benevolam fuisse expertus, varia donaria,* *Historiæ Ecclesiasticæ lib. iv, cap. 17, et 21; e quo posteriori loco præterea etiam intelliges, primo quidem Chosroem, regno suo recuperato, non tantum crucem auream, ad quod ex voti religione erat obstrictus, Resaphensi S. Sergij ecclesiæ donasse, verum etiam huic, quam quondam, ut supra vidimus, Sergiopolitani Chosroæ seniori, Cabadæ filio, tradere fuerant compulsi, crucem itidem auream, in regni sui thesauris inventam, restituisse; deinde vero eundem regem, cum alias etiam in se beneficium S. Sergium, facti ei voto, fuisset expertus, egregie erga hunc gratum sese ac reverentem exhibuisse, missis ad Resaphensem sancti Martyris templum donariis, non modo ad quæ ex voti religione tenebatur, verum etiam aliis pretiosissimis. Cum laudatum vigesimum primum Historiæ Ecclesiasticæ Euagrianæ caput, luculentissima sane insignis prorsus S. Sergio sæculo sexto delatæ venerationis argumenta suppeditet, plurimumque ad ejusdem Sancti nostri gloriam conducat, non possum, quin id integrum huc transcribam. Atque ad hoc quidem potissimum etiam moveor, quod instrumenta, quibus ipsemet Chosroes modo assertis fidem facit, nec pauca, ad Sancti honorem facientia, profert, complectatur. Hisce itaque e versione Valesii Latinis verbis concepit: Ceterum Chosdroes cum regnum suum recuperasset, crucem auro multo et pretiosis lapidibus exornatam, in honorem invictissimi martyris Sergij ad Gregorium misit: quam Theodora quidem uxor Justiniani eidem Martyri dedicaverat: Chosdroes vero una cum aliis thesauris diripuerat, sicut a me superius commemoratum est.*

79 Aliam præterea crucem auream idem Chosdroes misit, cui litteris Græcis hæc inscripsit. « Ego Chosdroes rex regum, filius Hormisdæ, quo tempore per diabolicam operationem et malitiam infelicissimi Varami et equitum, qui una cum illo erant, ad Romanorum ditionem me contuli: et quoniam infelicissimus Zadespram cum exercitu Nisibim advenerat, solliciturus equites Nisibinos, ut a nobis deficerent nosque oppugnarent; nos quoque equites misimus ad oppidum Charchas una cum duce. Et quoniam audieramus, venerabilem ac celeberrimum S. Sergium cuncta largiri, quæ ab ipso postularentur; anno primo regni nostri, die septimo mensis Januarii, per genium ejusdem Sancti postulavimus, pollicentes, si equites nostri Zadespram occidissent aut certe vivum, cepissent, nos crucem auream lapillis distinctam ad ejus ædem missuros esse, ob venerandum ejus nomen. Nono autem die mensis Februarii equites nostri caput ejusdem Zadespram ad nos attulerunt. Voti igitur nostri compotes facti, quo res manifesta omnibus fiat, nec ullus dubitandi locus relinquatur, in venerandissimo ejus nomine crucem hanc a nobis factam, una cum ea, quæ olim ab Imperatore Romanorum Justiniano ad ejusdem Sergij ædem missa est, postea vero bello inter duas republicas exorto, a Chosdroe Cabadis filio, patre nostro huc allata, et in thesauris nostris reperta est, misimus in ædem venerandissimi sancti Sergij. » Has cruces Gregorius (patriarcha

uti inscriptio-  
nes, que hisce  
abs illo met  
addite

cha

ACTORE  
C. B.

cha nempe Antiochenus, qui, quemadmodum in chronologica patriarcharum Antiochenorum Historia, Operis nostri tom. IV Julii præfata, pag. 98 est videre, ab anno 370 ad annum 395 sedit) non sine consensu imperatoris Mauricii cum accepisset, cum ingenti pompa in Ecclesia sancti Martyris dedicavit. Nec multo post idem Chosroes alia quoque dona ad eandem ecclesiam misit, et in aureo disco hæc Græco sermone jussit inscribi.

fuert, hie-  
que recitan-  
tur.

80 « Ego Chosroes rex regum, filius Hormisdæ, ista in hoc disco inscribenda curavi, non » ut ab hominibus conspicerentur, nec ut amplitudo venerandi nominis tui sermonibus meis » innotesceret, sed tum ob rerum, quæ inscriptæ sunt, veritatem, tum ob multa et maxima » beneficia, quibus me affecisti. Felicitatis enim » loco mihi est, quod nomen meum in sacris » vasis tuis incisum reperitur. Cum essem in » loco, qui dicitur Beramais, postulavi a te, Vir » sancte, ut mihi opem ferres, utque Sira in » utero conciperet. Et quoniam Sira quidem » Christiana erat, ego vero gentilis, lex quidem » nostra nobis minime permittebat, ut Christiana » nam uxorem haberemus; ego tamen ob meam » erga te benevolentiam, hujus mulieris causa » legem neglexi, eamque præ cæteris uxoribus » meis præcipuo amore dilexi, atque in dies » magis magisque diligo. Itaque decrevi benignitatem tuam nunc implorare Vir sancte, ut » illa gravida fieret. Postulavi igitur et votum » nuncupavi, si Sira gravida facta esset, me » crucem, quam illa gestat, ad venerandam » ædem tuam dono missurum esse. Hanc ob » causam ego et Sira constituimus, in memoriam nominis tui, Vir sancte, hanc crucem » retinere. Et pro illa æstimationem ejus, quæ » quater mille et quadringentos stateres milliarrens minime excedit, quinque staterum millia transmittere decrevimus. Ex quo autem » hoc apud me votum concepi et hæc mecum » ipse cogitavi, quoadusque Rosumchosdrum perveni, non plures, quam decem dies effluxerunt, cum tu, vir sancte, non quod ego id meritis essem, sed pro tua benignitate, noctu » mihi in somnis apparuisti, terque mihi affirmasti, gravidam fore Siram.

C  
fidem faciunt,

81 » Atque eo in eadem visione tertio tibi » respondi, Recte. Et quoniam ea, quæ a te postulatur, tribuis, ex eo die Sira non sensit muliebria. Ego vero de hac re fortasse dubitassetem, nisi verbis tuis credidissetem, quoniam » vir sanctus es, et donas, quæ petuntur, Siram » deinceps non esse sensuram muliebria. Ex eo » igitur virtutem visionis, et veritatem eorum, » quæ abs te prædicta sunt, deprehendi. Quam » obrem illico crucem ipsam et ejus pretium ad » venerandam ædem tuam transmisi, jubens ut » ex ejus pretio discus unus et poculum unum » fiat ad usum sacrarum mysteriorum : crux » item, quæ in sacro altari defigatur et turibulum : cuncta ex auro. Velum præterea hunc cum auro exornatum. Qui vero ex supradicto » pretio reliqui fuerint milliarenses, eos ad sacram ædem tuam volumus pertinere, ut per » genium tuum, Vir sancte, cunctis in rebus, » sed præcipue in hac petitione mihi et Siræ » auxilium feras et quod intercessione tua nobis » contigit, id misericordia benignitatis tuæ, » ex utriusque nostrum sententia ad perfectionem perveniat. Quo scilicet ego et Sira, cunctique mortales in potentia tua spem ac

» fiduciam collocemus atque in te credamus. »

82 De donariis, isthoc jam dato Historiæ Euagrianæ capite recensitis, quæ an Chosroes, Hormisdæ filius, Persarum rex, S. Sergio vere obtulerit, dubitare sane, quæ eodem illo capite suppeditantur, non sinunt, lib. v Historiarum cap. 15 et 14 etiam tractat, qui sæculi vii initio ac proin haud diu admodum post Euagrium floruit, Theophylactus Simocatta, binas etiam, quas idem pariter, quod modo recitavi, Historiæ Ecclesiasticæ Euagrianæ caput complectitur, inscriptiones recitans; licet autem has, quæ Græce scriptæ, missisq; a Chosroe ad Resaphensem S. Sergii ecclesiam donariis incisa fuisse ad Euagrius traduntur, epistolarum dumtaxat, quæ additæ hisce fuerint, nomine perperam distinguat, earundem tamen posteriorem emendatorem, ut apparet, exhibet quantum ad verba, quibus Chosroes de oblata sibi S. Sergii apparitione, conjugisque Siræ prægnatione loquitur. Hæc enim, at non item illa, quibus id apud Euagrium Chosroes facit, sensum dilucidum minimeque implexum generant, utpote ex interpretatione, quam ipsemet adornavi, sequentibus hisce respondentia verbis Latinis : Sancte, non quod ego id essem meritis, sed ex benignitate mihi te in visione nocturna spectandum dedisti, tertiumque dixisti, Siram esse gravidam; ac ego in eadem visione tertium tibi respondi dicens : Bene est, bene est, bene est. Atque ex virtute tua ac misericordia propterque summe venerandum nomen tuum, et quia eorum, quæ a te petuntur, dator es, Sira ab illa die, quod feminis evenire solet, non vidit. Ego autem hac de re (de Siræ scilicet prægnatione) non dubitavi, sed verbis tuis fidem adhibui; et cum illa postea, quod bonus sis verusque eorum, quæ a te postulatur, dator, menses suos passa non esset, hinc visionis vim, eorumque, quæ a te dicta fuerant, veritatem perspexi.

85 Nec tantum, quod jam dictum, Simocatta quantum ad posteriorem e duabus, quæ donariis, a Chosroe ad Resaphensem S. Sergii ecclesiam missis, fuisse incisa, inscriptionibus præstat, verum etiam crucem auream, quam una cum sublata olim per Chosroem, Cabadæ filium, cruce aurea Chosroes S. Sergio primum obtulit, posterioris hujus crucis vertici fuisse affixam, disertis verbis docet, eaque præterea, ut alia, minus notatu digna, quibus ab Euagrio differt, præteream, suppeditat, e quibus fas sit eruere simul et annum, quo donaria hæc, et annum item, quo donaria alia, in posteriori e duabus dictis inscriptionibus, expressa, ad Resaphensem S. Sergii ecclesiam a Chosroe missa fuerint. E duabus enim inscriptionibus illis priori, in qua, sese post acceptum anno regni sui primo, nono Februarii die, Zedesprami occisi caput Resaphensi S. Sergii ecclesiæ crucem auream donasse, Chosroes prodit, in medium adducta, mox subjungit, eundem Chosroem anno proximo, Siram, quam sibi connubio copularat, reginam publice appellasse, annoque deinde tertio pro prole ex hac suscipienda S. Sergio martyri supplicasse, nec ita dudum post, cum hunc iterum ea in re benevolam erga se fuisset expertus, ad Resaphensem ejus ecclesiam donaria secundo misisse : quæ cum ita habeant, primusque Chosrois regni annus ab exeunte anno 390 ad exeuntem item annum, ut supra docui, 391 excurrerit, consecrari e Simocatta est, ut a Chosroe ad Resaphensem S. Sergii ecclesiam donaria

D  
bis fuisse oblata. Atque id primo quidem, uti e Simocatta

E

colligitur, anno 391, secundo autem anno 395 evenit.

F

A donaria mitti contigerit, anno quidem 391, quæ in priori, anno autem 395 aut certe non multo post, quæ in posteriori e duabus præfatis inscriptionibus recensentur.

nec, quin Chosroes, qui tamen Christianam fidem amplexus non est,

84 Porro quæcumque proxime recitatum Historiæ Ecclesiasticæ Euagrius caput suppediat, ea pariter in Historiæ Ecclesiasticæ a se concinnatæ lib. XVIII cap. 21 et seq. Nicephorus Callistus intulit, uti etiam in Ecclesiasticos, quos concinnavit, Annales ad annum proxime dictum 395 Baronius; posterior autem hic scriptor e Christophoroni versione transcriptis, quibus Euagrius postremo transcriptum, quo ea complectitur, caput claudit, sequentibus hæc verbis, Hæc donaria a Chosroe oblata ea loqui videntur, quæ cum prophetia Balaam consentiunt: Quod plane Dei Providentia factum est, ut gentilium linguæ verba salutaria proferrent, mox subiungit: Digna quidem, quæ cubitalibus, ut aiunt, litteris formarentur, quo novatores magis rubore suffusi taceant, cum etiam ab infidelibus et idololatriis redarguantur in veneratione sanctissimæ Crucis et cultu sanctorum Martyrum, dum talia loquitur ethnicus, sua tamen conscientia Christianus, veritus publice profiteri, quid sentiret, ne rebellem experiretur populum, quem omnibus demulcere officiis hoc sui regni exordio satagebat. Hæc Baronius, et recte sane. Utinam modo, quam noscebat, fidei veritatem tandem Chosroes fuisset professus, nec miser in infidelitate infelicem in modum occubisset! Sunt quidem, qui Chosroem Christiana sacra fuisse amplexum, litteris mandarint; verum hosce a vero procul aberrasse, luculenter evincunt, quæ Chosroes postmodum, suscepto contra Orientale imperium, quo Mauritiî imperatoris, cuius auxilio regnum suum recuperarat, necem ulcisceretur, crudelissimo bello, in Christianos gessisse noscitur.

Sancto etiam templum extruxerit, dubium apparet,

85 Princeps hic interim non tantum supra recensitis donariis gratum sese ob accepta beneficia erga S. Sergium exhibuit, verum etiam extructo in ejus honorem templo. Ita apud Assemanum in Bibliotheca Orientali tom. III, part. 1, pag. 412 docet Barhebræus. En ejus verba: Edificavit autem, inquit, Chosroes tria amplissima templa, alterum Deiparæ, Apostolorum alterum, tertium S. Sergii martyris, quæ et patriarcha Antiochenus consecravit. Non raro quidem, ut in præfato Opere Assemanus ostendit, a veritate Barhebræus aberrat; ast, vera illum hic prædicare, reor, quod ei etiam suffragetur Abul-pharajius, in Dynastiarum Historia, anno 1665 Oxoniæ typis vulgata, pag. 98 diserte tradens, Miyapharekini templum S. Sergii martyri a Chosroe fuisse extructum. Romanis, inquit de Chosroë loquens, etiam Daram et Miyapharekinum restituit, duoque Christianis templa Miyapharekini extruxit, alterum nomini beatæ Virginis, alterum nomini Mar Sergii martyris dicatum. Chosroem Romanis duas civitates dedisse, Euagrius Hist. Eccl. lib. vi cap. 19 memorat: etiam prodit; cum autem alteram ex his etiam Daram, alteram Martyropolim vocet, dubitandum non est, quin hanc ipsam civitatem, quæ, ut Procopius lib. III de Edificiis cap. 2 docet, in Armenia ad flumen Nymphium sita est, per Miyapharekinum Abulpharajius designet, dictam scilicet civitatem, quam a Saracenis Miepherkin nominari Baudrandus in Lexico Geographico affirmat, deducto a lingua Saracenicæ seu Arabicæ nomine sic appellans. Atque ita ex Abulpharajio modo habemus, non tantum S. Sergio

templum Chosroem extruxisse, verum etiam quo loco id fecerit.

86 Porro in Actis S. Anastasii Persæ, anno 628 martyrio in Assyria coronati, ad diem 22 Januarii apud non datis, num. 55 monasterii S. Sergii, quod a Bethsaloe, Assyriæ oppido, sex milliariis a Discartas seu Dastager Chosrois palatio, disito, unico dumtaxat, uti in Commentario Actis illis prævio num. 12 docuimus, milliario abfuerit, mentio instituitur, et in Elogio sanctæ Cholinduch, ad 15 Julii diem apud nos etiam dato, oratorium S. Sergii, quod, cum Sancta illa sæculi VII initio ad Dominum migravit, Daram inter et Nisibim, Mesopotamiæ civitates, exstiterit, commemoratur. Quare, cum et hoc oratorium a monasterio S. Sergii, in Actis S. Anastasii commemorato, et a binis hæc locis sacris templum, quod S. Sergio a Chosroe fuisse extructum, Barhebræus et Abul-pharajius scribunt, ex jam assignato, quem habent, situ diverso palam sit distinguî, præter Resaphensem ecclesiam tria adhuc alia innotescunt loca sacra, quæ S. Sergius jam inde a sæculo septimo, verosimiliterque etiam jam inde a sexto nomini suo in Oriente consecrata habuerit. Sed hæc de insigni veneratione, quam S. Sergio nominatim ibidem tunc fuisse delatam, Gregorii Turonensis textus, § seq. proxime recitandus, etiam evincit, jam dicta sufficienti; ad Occidentem modo gradum faciamus.

AUCTORE  
C. B.

isque sæculo VI duo adhuc alia loca sibi in Oriente sacra habuit.

## § VI. Veneratio Sanctis, ac nominatim S. Sergio, sæculo sexto ac paulo serius, etiam in Occidente, delata.

Quæ S. Sergio insignis plane, uti hactenus adducta ostendunt, in Oriente sæculo sexto fuit nominis celebritas, ea quoque ad Occidentem eodem sæculo sese extendit. Res ex § præsentis dicendis patescet. Gregorius Turonensis, qui sæculo VI floruit, in Opere, quod de Gloria Martyrum inscribitur, lib. 1, cap. 97 de nostro S. Sergio (neque enim de alio Sancto homonymo cum vel hic, vel locis infra citandis tractare, cuiquam hactenus visum est) ita scribit: Sergius quoque martyr multa signa in populis facit, curans infirmitates, sanansque languores fideliter deprecantium. Unde agitur, ut ex hoc ingenti basilicæ (Resaphensem S. Sergii ecclesiam a Gregorio hic commemorari, dubitandum non apparet) vel promittantur vota, vel munera deferantur, ex quibus nihil omnino licet subtrahere aut auferre. Quod si quis fecerit, mox judicium aut noxæ aut mortis incurrit. Ob hanc vero devotionem multi res suas Sancto devovent, scilicet ut ejus virtute munitæ non diripiantur a malis. Denique anus erat exigua, et credo Euangelicæ illius pauperulæ similis, quæ quondam duo minuta, cum nihil aliud haberet, in gazophylacium devote jactavit. Ergo hæc pauculos gallinarum pullos habebat, quos ex voto basilicari ditioni subderat, daturæ domo ipsius, cum necessitas flagitasset. Igitur cum ad festivitatem Sancti multi populi advenissent, duo conventionem facta, qui hos pullos olim viderant, unum furto subtrahunt, incisoque capite, detractis plumis, truncatisque

E Gregorio Turonensi, cuius hæc verba dantur,

F

AUCTORE  
C. B.

catisque pedibus, positum in vase cum aqua super ignem levant, instanterque succendunt. Fervet autem latex validissime, sed caro furtiva non coquitur. Etiam fervendo aqua consumitur, nec prorsus pullus ille mollitur. Tentant crebro manibus, et unguem conantur infligere, sed duriores sentiunt, quam misissent. Interim adsunt convivæ evocati ad epulum, nullatenus sumpturi de apparatu. Exstat mensa niveis velata mantilibus, opere plumario exornata. Conversis cibis in novam duritiem, catinus lymphis sæpe diluitur, sed nihil coctum, quod in eo exhibeant, invenitur, sicque novo miraculo epulis redactis in saxum, confusis invitatoribus, verecundantibus invitatis, a cæna cum pudore discessum est.

illustre admodum S. Sergii nomen sæculo sexto in Galliis fuisse, intelligitur;

**88** *Hactenus Gregorius; ait autem tom. V Monumentorum Ecclesiasticorum pag. 496 Tillemontius, miraculum, quod sanctus ille Turonensis antistes verbis recitatis refert, simplicitati sæculi, quo Gregorius vivebat, magis congruere, quam sæculi septimi decimi, quo ipsemet laudata Monumenta Ecclesiastica contexit, subtilitati. Et vero cum Gregorius incertis narrationibus fidem subinde adhibuisse noscatur, dubitari non immerito potest, an ex ambigua duntaxat fidei rumore præfatum miraculum non intellexerit, maxime cum id, si vere evenerit, non in Gallia, sed in Syria longissime a loco, quo Gregorius commorabatur, dissita acciderit, uti ex ipso verborum, quibus a Gregorio narratur, contextu apparet. Verum etsi res ita habeat, nec, quæ hic Gregorius memoriæ prodit, ad Galliam spectent, ex eo tamen, quod a Gregorio sæculo VI scriptore, memorentur, notaque proinde ac credita in Gallia tum fuerint, illustre admodum hoc ipso sæculo S. Sergii nomen in regno illo fuisse, colligendum apparet. Adhæc, unde id ipsum etiam pari de causa colligas, idem Gregorius lib. VII Historiæ Francorum cap. 51 etiam refert, in Oriente existitisse regem, qui, majori S. Sergii digito munitus, illustrem de inimicis suis victoriam reportavit. Non quidem quis rex is fuerit, edicit, certeque, quo minus is Chosroes, Persarum rex proxime memoratus, esse potuerit, ratio temporis, uti partim ex jam dictis, partim ex dicendis pronum erit eruere, omnino impedit. Verum etsi id ita sit, rei tamen hujus, quemadmodum addit, relatione factum est, ut Gundobaudus, qui pro Clotharii primi, Francorum regis, anno 561 vita functi, filio sese gerebat, partemque proinde in hujus hæreditate sibi debere contendebat, reliquiarum S. Sergii partem sibi desideravit. Cum vero Burdigalæ, ubi Gundobaudus tunc versabatur, in mercatoris Syriaci dono notabilis reliquiarum S. Sergii portio magna veneratione asservaretur, partem ex ea sibi Gundobaudus obtinuit; quod qui factum sit, Gregorius loco cit. exponit, cujus verba, quod ad S. Sergii gloriam ex dicendis multum faciant, atque, quæ jam proxime dixi, memoriæ prodant, huc transcribo.*

e Mummoli autem, quod ab eodem etiam Gregorio

**89** *Sic itaque ibidem Gregorius habet: Erat tunc temporis Gundovaldus in urbe Burdegalensi a Bertchramno episcopo valde dilectus. Inquirens autem quæ ei causæ solatium præbere possent, narravit quidam, quod aliquis in partibus Orientis rex, ablato sancti Sergii martyris pollice, in dextro brachio corporis sui seruisset. Cumque ei necessitas ad depellendum inimicos obvenisset, in hoc confusus auxilio, ubi dextri lacerti erexisset ulnam, protinus multitudo hostium, quasi Martyris oppressa virtute, labe-*

**D** batur in fugam. Hæc audiens Gundovaldus inquirere diligentius cœpit, quisnam esset in eo loco, qui reliquias sancti Sergii martyris meruisset accipere. Interea proditus ab episcopo Bertchramno Eufronius negotiator per inimicitiam, quia invitum aliquando eum totonderat, inhians facultati ejus. Quod ille dispiciens, ad aliam urbem transiens, casarie crescente, regreditur. Ait ergo episcopus: Est hic quidam Syrus, Eufronius nomine, qui, de domo sua ecclesiam faciens, hujus Sancti reliquias collocavit, et plurima ex his signa, virtute Martyris opitulante, conspexit. Nam cum tempore quodam Burdegalensis civitas maximo flagrare incendio, hæc domus, circumdata flammis, nullatenus est adusta. Ista eo dicente, statim Mummolus cursu rapido cum episcopo Bertchramno ad domum Syri accedit, vallatoque homine, pignera sibi sancta præcepit ostendi. Negat ille. Tamen cogitans, quod pro malitia aliqua ei hæc pararentur insidia, ait: Noli fatigare senem, nec Sancto inferre injuriam: sed, acceptis a me centum aureis, abscede. Illo quoque insistente, ut sanctas videret reliquias, ducentos aureos obtulit, et nec sit obtinuit, eum recedere, nisi ipsa pignera viderentur.

**90** *Tunc Mummolus elevari ad parietem scalam jubet. (Erant enim in sublimi parietis contra altarium in capsula reconditæ) diaconum suum scandere præcepit. Qui per gradus scandens scalæ, adprehendens capsam, ita tremore concussus est, ut nec vivens putaretur ad terram reverti. Attamen accepta, ut diximus, capsula, quæ de pariete pendebat, detulit. Qua perscrutata, Mummolus os de Sancti digito reperit, quod cultro ferire non metuit. Posito enim desuper cultro, et sic de alio percutiebat. Cumque post multos ictus vix frangi potuisset, divisum in tres partes ossiculum diversas in partes dilabitur. Credo, non erat acceptum Martyri, ut hæc ille contingeret. Tunc, flente vehementius Eufronio, prosternuntur omnes in orationem deprecantes, ut Deus dignaretur ostendere, quæ ab oculis fuerant humanis ablata. Post orationem autem reperta sunt particulæ, ex quibus una Mummolus adsumta abscessit: sed non, ut credo, cum gratia Martyris, sicut in sequenti declaratum est. *Eventus enimvero, uti hic in fine Gregorius innuit, luculentissime probavit, audax temerariumque, quod verbis recitatis refertur, Mummoli ducis facinus S. Sergii nequitiam placuisse. Neque enim vel Mummolus vel Gundobaldus, in cujus potissimum gratiam hic illud commiserat, ex oblati sancti Martyris reliquiis ullum commodum retulit, earumve, quod exspectabant, virtute de hostibus triumphavit, sed ambo Convenis, exercitu civitati huic a Guntchramno Francorum rege admoto anno 585 interierunt, uti ex laudato Gregorio in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad dictum annum. 7 docet Cointius.**

hic narratur, facinore ibidem etiam tunc

**91** *Verum etsi ita infelicitè tam Gundobaldo, quam Mummolo res cesserit, liquet tamen vel ex ipso, utut minime probando, posterioris hujus, quod ex Gregorio retuli, facinore, quam potens apud Deum S. Sergii patrocinium in Gallia existimatum tunc fuerit, ut sane, quin et tunc etiam magna in veneratione ibidem sanctus Martyr existiterit, dubitandum non sit. Verum quo circiter anno temerarium, quod retuli, Mummoli facinus fuit patratum. Gregorius Turonensis lib. VI Historiæ Francorum cap. 24 de Gundobaldo*

magni factum fuisse ejus patrocinium, patam est.



A *baldo sic scribit*: Hic cum natus esset in Galliis, et diligenti cura nutritus, ut regum istorum mos est, crinium flagellis per terga dimisis, literis eruditus, Childeberto regi a matre repræsentatur, dicente ea: Ecce, inquit, nepotem tuum, Clothacarii regis filium, et quia invisus habetur patri, suscipe eum, quia caro tua est. Quem ille, eo quod illi filii non essent, accipiens retinebat secum. Nunciatur hæc regi Clotachario, misitque fratri nuncios dicens: Dimitte puerum, ut veniat ad me. Nec moratus est, juvenem fratri direxit. Quo viso, Clotacharius jussit tonderi comam capitis ejus, dicens: Hunc ego non generavi. Igitur post Clotacharii regis obitum a Chariberto rege susceptus est. Quem Sigebertus accessit iterum amputavit comam capitis ejus, et misit eum in Agrippinensem civitatem, quæ nunc Colonia dicitur. Ille quoque, ab eo loco dilapsus, demissis iterum capillis, ad Narsetem abiit, qui Italia tunc præerat, ibique, uxore accepta, filios procreavit, et ad Constantinopolim accessit.

B  
facinus illud  
vel anno 582  
vel aliquo e  
tribus seqq.  
evenit,

B 92 Hæc ad annum 562 Cointius supra laudatus in præfatis Francorum Annalibus refert, ac deinde, narrato ad annum 582, num. 10 Gundobaudi seu Gundobaldi aut etiam (varie enim a variis hoc nomen exaratur) Gundobadi et civitate Constantinopolitana in Galliam reditu, ad annum 585 num. 2 et seqq. e Gregorio Turonensi exponit, qui idem Gundobaldus hoc anno pro regni, quam sibi e patris sui, uti obtendebat, Clotharii hæreditate debere contendebat, parte adipiscenda bellum civile, Mummolo supra memorato, qui antea contra Saxones Longobardosque virtute bellica, hisce devictis, inclaruerat, aliisque nonnullis ducibus sibi adjunctis, in Gallia concitarit misereque in hoc una cum Mummolo aliisque, qui partes ejus fuerant amplexi, ipso anno 585 perierit. Jam vero cum hæc ita, et quidem ad annos, a Cointio (neque enim quidquam scriptoris hujus calculum suspectum hic reddi) annotatus, habuerint, nec, quemadmodum e supra recitatis Gregorii Turonensis verbis liquet, Mummolus prius, quam sese Gundobado, quod certe ante annum 582 non evenit, adjunxisset, assertas Burdigalæ apud Euphronium mercatorem Syriacum sacras S. Sergii exuvias invaserit, partimque abstulerit, consecrarium est, ut id vel anno 582, quo Gundobaldus Constantinopoli in Galliam rediit, vel aliquo e tribus sequentibus acciderit. Atque hinc modo habemus, S. Sergium in Galliis, si non citius, jam inde saltem ab anno circiter 582 miraculorum sanctitatisque fama inclaruisse, magnaque in veneratione ac æstimatione habitum fuisse.

C  
reliquiarum-  
quo S. Sergii,  
quam se fecis-  
se, Gregorius  
scribit,

C 95 Gregorius Turonensis, qui, quod jam memoravimus, temerarium Mummoli facinus nos docet, sacras etiam S. Sergii reliquias in ecclesiæ, S. Perpetui, decessorum suorum uni, Turonis dedicatæ, baptisterio deposuit, uti ipsemet Historiæ Francorum lib. x affirmat. En, quibus id ibidem facit, verbo; Basilicas, inquit, sancti Perpetui adustas incendio reperi, quas in illo nitore vel pingi vel exornari, ut prius fuerant, artificum nostrorum opere imperavi. Baptisterium ad ipsam basilicam ædificari præcepi, in quo sancti Joannis cum Sergii martyris reliquias posui. Ita Gregorius; verum unde, quas sese in ecclesiæ S. Perpetui baptisterio deposuisse ait, reliquias acceperit, non edicit. Portione forsanhæ minutarum fuerint partium, in quas asserva-

tum apud Euphronium, mercatorem Syriacum, sacrum digiti S. Sergii ossiculum, cum a Mummolo, partem sibi ex hoc desideranti, multis ictibus (adi, quæ num. 90 recitavi, Gregorii verba) percuteretur, fuit dilapsum? Id enimvero mihi sat verosimile apparet, sive interim illas Gregorius ab ipsomet Euphronio dono acceperit, sive aliunde acquisierit. Ita autem animo vel idcirco comparatus sum, quod S. Sergii reliquias in dictæ ecclesiæ baptisterio deponi non ante contigerit, quam cum præfatum digiti S. Sergii ossiculum temerario Mummoli facinore varias in partes fuisset divisum, uti ex jam nunc dicendis patescet. Gregorius, quemadmodum mox iterum cit. Historiæ Francorum lib. x ipsemet docet, cathedralem Turonis S. Martini ecclesiam, alteramque ibidem S. Perpetui sacram, quas ambas, cum ad sedem Turonensem accessit, incendio exustas repererat, instauravit; verosimile autem apparet, Gregorio, ut citius cathedralis sua ecclesia, quam altera, instauraretur, curæ fuisse, ac proin, cum illius instauracioni anno demum episcopatus Gregorii septimo decimo, qui cum anno Christi 590 convenit manus ultima fuisse imposita ex iis, quæ ipsemet loc. cit. Gregorius scribit, videatur, ecclesiæ S. Perpetui instauracionem ante eundem annum 590 consignandam non esse.

E 94 Jam vero cum id ita sit, nec Gregorius, uti ex ipsis ejus verbis proxime recitatis apparet, S. Sergii reliquias in ecclesiæ S. Perpetui, antequam hanc instaurasset, baptisterio deposuerit, consecrarium est, ut id ante temerarium, quo digiti S. Sergii ossiculum in varias partes fuit divisum, Mummoli facinus, utpote non serius, quam anno, uti ex supra dictis liquet, 585 factum, haud evenerit. Verum etsi id ita sit, sacras equidem S. Sergii reliquias sæculo sexto adhuc labente a Gregorio Turonensi, utpote qui vitam ultra id non protraxerit, in ecclesiæ, S. Perpetui Turonis sacra, baptisterio fuisse depositas, indubitatum est; quod iterum, sanctum hunc Martyrem magna veneratione in Galliis jam inde a sæculo isto fuisse gavisum, utcumque ostendit. Nec eam sæculo proxime sequenti in eodem regno desiisse, argumento esse potest vel solum monasterium, in suburbio Andegavensi, Clodoveo II, Francorum rege, qui anno 656 obiit, regnante, in sanctorum Bacchi simul et Sergii honorem exstructum, ut Galliæ Christianæ antiquæ Scriptores tom. IV col. 820 docent. Sunt quidem, qui monasterium illud, quod, hodieque S. Sergii nomine decoratum, a monachis Benedictinis inhabitatur, a Nomenoio demum, Britannicæ principis, ducentis annis serius conditum fuisse, assererent; verum hi nullum prorsus pro se vadem antiquum allegant, falsique e Childeberti III, Francorum regis, anno 711 vita functi, diplomate, quod ibidem laudati Scriptores recitant, concincuntur. Ceterum non tantum in Galliis, verum etiam in ipsa urbe Roma SS. Sergius et Bacchus summa veneratione jam inde a sæculo sexto, ac forte etiam citius, fuisse videntur gavis.

depositionem  
præcessit. Hæc  
interim facta  
est, labente  
adhuc sæculo  
sexto,

F

F 93 Etenim Anastasius Bibliothecarius lib. de Romanorum Pontificum Vitis in Gregorio tertio sic scribit: Item diaconiam sanctorum Sergii et Bacchi sitam ad beatum Petrum Apostolum, in qua pridem parvum oratorium erat, a fundamentis (Gregorius tertius Papa nimirum) ampliori fabrica dilatavit, et concedens omnia, quæ in

quo etiam, ut  
apparet, Ro-  
ma jam existi-  
tit SS. Sergii  
et Bacchi dia-  
conia.

ACTORE  
C. B.

in usum diaconiae existunt, statuit perpetuo tempore pro sustentatione pauperum in diaconiae ministerio deservire. *Cum Gregorius tertius Papa anno 741, uti inter eruditos convenit, obierit, sacramque Romae SS. Sergio et Baccho, quam hic Anastasius memorat, aedem dumtaxat auverit, seu loco antiquae, quae parva erat, ampliorem exstruxerit, verosimillimum apparet, eam jam inde a saeculo sexto aut forte etiam citius existisse, ac proin SS. Sergium et Bacchum jam tum etiam Romae loco sacro, in honorem suum exstructo, fuisse decoratos. Sed haec de veneratione, Sanctis in Occidente etiam inde a saeculo sexto delata, modo disseruisse sufficiat; quanto honore iidem cultuque tum Romae, tum alibi sive in Oriente sive in Occidente sequioribus aut etiam ignotis temporibus fuerint affecti, nunc videamus.*

**§ VII. Ecclesiae locave tum Occidentis, tum Orientis sacra, in quibus vel Sancti post saeculum sextum aut certe a tempore incognito cultu ecclesiastico fuere affecti, vel sacra etiam eorum lipsana aut sunt aut fuerunt asservata.**

Sancti susceptis ad suam, Resaphensem ecclesiam peregrinationibus

**U**t in hoc tractando argumento, ordinatius procedam, confusionemque, quantum fieri poterit, evitem, ecclesias, aedesve sacras, in quibus vel Sanctos nostros speciatim coli vel sacras etiam eorum possideri exuvias, memoriae proditum invento, antiquitatis, qua quaeque in cultu illo possessioneve gaudent, ordine servato, recensere, idcirco etiam, cum commode fieri id potuerit, postremo dumtaxat, ne hunc perturbem, commemoraturus loco eas, quae quo tempore primum Sanctos colere sacrae eorum lipsana possidere inceperint, determinare haud queo. Hisce praemissis, rem ipsam aggredior. Frequentes fuisse saeculo quinto aut sexto ad Resaphensem SS. Sergii et Bacchi ecclesiam peregrinationes, supra docuimus; haec autem nec saeculo septimo et octavo desiisse, jam nunc dicenda aperient. Apud Labbeum tom. VII Conciliorum col. 582 Stephanus monachus et librorum custos in concilio Nicæno secundo, actione quinta dixit, sibi a Dionysio, ecclesiae Ascalonis presbytero, narratum fuisse, abbatem Joannem anachoretam aliquando ad S. Sergium in Arapham (ita scilicet ibidem corrupte Resapha vocatur) peregrinari soluisse.

saeculo VII et serius honorati adhuc fuerunt,

97 Jam vero, cum dictum Nicænum concilium anno 787 celebratum fuerit, Dionysiusque presbyter, a quo sibi id narratum fuisse, Stephanus monachus tum dixit, Joanni anachoretæ, ad S. Sergium in Resapham peregrinari subinde solito, synchronus existisse vidatur, consecrarium est, ut, cum anachoreta iste, nomine Joannes, aut saeculo octavo jam labente, aut septimo senescente, in vivo, ut apparet, exstiterit, verosimiliter etiam utroque hoc saeculo Resaphensis Sanctorum nostrorum ecclesia, non secus atque id duobus saeculis proxime prægressis factum

fuerat, a peregrinis, ad illorum opem confugientibus, frequentari adhuc soluerit; quod an, uti in Martyrologio Romano moderno indicari videtur, hodieque fiat, pro certo asseverare non ausim. Illam interim erga Sanctos venerationem nondum saeculo septimo, imo ne saeculo nono quidem ac decimo, desiisse, credibile etiam apparet vel ex eo, quod tum insignis plane adhuc eorum in Oriente cultus exstiterit, prout argumento sunt tria, quæ vel amborum Sanctorum vel unius saltem Sergii nomini tunc ibidem exstiterit dicata, seu templa seu monasteria diversa, Tagritense nimirum in Mesopotamia, Tura-Saiense, e regione positæ in Mesopotamia ad Tigrim urbis Balat situm, et Gubense seu quod in inferiori regionis Gubæ parte positum erat. Ac primum quidem ex his anno circiter 673, secundum autem saeculo nono aut etiam citius, ac tertium denique saeculo decimo fuit exstructum, uti videre est apud Assemanum in Bibliotheca Orientali tom. II, pag. 422, 427 et 530; quo etiam posteriori loco invenies, in Gubensi monasterio SS. Sergii et Bacchi reliquias fuisse eodem, quo conditum id fuit, tempore depositas.

98 Atque hæc sunt, quæ de veneratione Sanctis in Resaphensi sua ecclesia post saeculum sextum delata dicenda occurrunt; ad alias modo ecclesias, quæ vel eos post hoc tempus cultu ecclesiastico honorare, vel sacras etiam eorumdem reliquias obtinere, sermonem converto; atque ut, quem mihi præfari, ordinem chronicum sequar, a patriarchali Venetiarum ecclesia, sita in ea, ut verosimilior habet sententia, urbis Venetæ parte, quæ Olivola olim dicebatur, quæque episcopatum ac Cathedralem basilicam complectitur, duco initium. Ughellus tom. V Italiae sacrae edit. an. 1655 in Patriarchis Venetis col. 1267 sic scribit: Ursus de Rivoalto, cognomento Baduarus, filius angeli et Joannis Participatii, principis Venetiarum, frater, Venetum gessit Pontificatum ann. MCCCXXI seditque annis XXXI. Hujus parentes viri devoti, inquit Dandulus, ecclesias S. Severi episcopi et S. Laurentii martyris sibi contiguas in geminas construxerunt, in quibus hic episcopus succedens S. Laurentii in virginum monasterium ad suum obitum commutari disposuit, eidemque sororem, virginem lectissimam, abbatissam præfecit. Hic Olivolensis Cathedralis ecclesiam sub S. Petri Apostoli nomine inchoavit, quam post quinque annos completam in Kal. Junii consecravit, et reliquias sanctorum Sergii et Bacchi in ea deposuit. Cum quartus hic Venetiarum, aut, si antiquum, quo is olim a Venetiarum, in qua residebat, urbis parte vocabatur, nomen mavis, Olivolensis episcopus sedem hanc, ut verbis recitatis docet Ughellus, anno 821 occupare inceperit, annisque triginta duobus tenuerit, consecrarium est, ut quod fecisse verbis recitatis idem episcopus traditur, SS. Sergii et Bacchi reliquias in cathedralem, quam Venetis exstruxerat, ecclesiam eo temporis spatio, quod inter annum 820 et annum 834 intercessit medium, transtulerit, ut computanti patebit.

E Venetaque patriarchalis ecclesia sacra eorum lipsana,

99 Verum unde, et quo circiter tempore illæ Sanctorum nostrorum reliquiae Venetias fuerant advectæ? Flaminus Cornelius, senator Venetus, in Ecclesiis Venetis a se illustratis tom. XIII, pag. 10 sic scribit: Eo (Christophoro II) ecclesiam Olivolensem administrante, Veneti, in concione publica congregati, sanxerunt anno MCCCIX ducalem sedem, de Mathemaucense urbe sublatam,

F Heracia Venetias allata a saeculo nono

A sublatam, in Rivoalto persistere; quibus peractis, Angelum Porticium ducem constituerunt. Catholicus vero dux ab Heraclia, unde originem duxerat, corpora sanctorum Sergii et Bacchi, ut tradunt nonnulli ex Venetarum rerum chronologis, Venetias transtulit, et in cathedrali ecclesia, ipsis dicata, in marmoreo sepulcro reposuit in castro Olivolensi; quæ deinde divorum Martyrum lipsana, ædificato seu potius reædificato, ut mox dicemus, divi Petri apostoli templo, in illud per Ursum Baduarium, IV Olivolensem episcopum, translata fuerunt. Sacræ itaque Sanctorum nostrorum reliquiæ, quas quartus Venetiarum episcopus in recens a se Venetiis exstructam cathedralem ecclesiam intulit, Venetias Heraclia, regionis Venetæ urbe, jam dudum excisa, quæ unde illas accepisset, haud invenio, fuerant adiectæ, idque sæculi IX initio. Nec hæc tantum e datis Flaminii Cornelii verbis habemus, verum etiam jam tum Venetiis existisse ecclesiam, SS. Sergio et Baccho sacram, hancque, cum condita nondum esset cathedralis S. Petri ecclesia, pro cathedrali ibidem fuisse; quæ ego interim, uti et quod idem scripserim tom. cit. pag. 5 de dicta ecclesia, quæ jam inde a nascentis urbis Venetæ initio SS. Sergio et Baccho ibidem fuerit ædificata, affirmat, antiquo aliquo documento, fide undequaque digno, vellem confirmari. Verum, etsi id factum nusquam invenitur, quin equidem jam inde a sæculo nono sacras SS. Sergii et Bacchi reliquiæ cathedralis, aut, quemadmodum modo vocatur, patriarchalis Venetiarum ecclesia possederit, nullo modo (neque enim esse videtur, cur Cornelius et Ughellus, verbis recitatis id adstruentes, falsitatis hic habeantur suspecti) dubitandum apparet.

idcirco etiam festo annuo Sanctos celebrans, possedit.

100 Nec solum hæc jam tum possedit, honorificeque asseravit, verum etiam ipsos Sanctos peculiari ritu venerata est, aut certe id sæculo proxime elapso, fecit, atque hodie etiam facit. Ita quantum ad venerationem, quam ipsis sæculo proxime elapso detulit, disco e patriarchalis ecclesie Venetæ, quod penes nos exstat, divini Officii recitandi Ordine, anno 1685 Venetiis excuso, in quo licet a septimo Octobris die, sacra S. Justinæ luce impedito, Sanctorum nostrorum festum in diem alium differatur, in patriarchali tamen ecclesia ipsa illud ob sacra eorum, quæ ibi asserantur, corpora septima Octobris die celebrandum præscribitur. Directorii laudati seu Ordinis divini Officii recitandi verba sunt: In E. Patr. fest. SS. Sergii et Bacchi ob eorum corp. Quod modo ad venerationem, quæ Sanctis hodieque Venetiis defertur, spectat, laudatus Cornelius tom. cit., anno 1749 typis vulgato, pag. 11 sic scribit: Sanctorum Martyrum (Sergii nempe et Bacchi) natalitia a clero Venetæ urbis sub semiduplici ritu coluntur, sub duplici vero in duicali et patriarchali basilicis, quarum hæc potiore corporum partem sub nomine corporis in marmoreo monumento asservat, illa vero insignes reliquiæ, ex ipsis corporibus ablatas, obtinuit. Ita ille, hisce simul verbis, quibus præterea, in duicali Venetiis ecclesia et Sanctos nostros singulariter coli et sacras eorum asservari exuvias, docet, ea suppeditans, et quibus intelligis, præfatum Directorium, dum SS. Sergii et Bacchi corpora Venetiis in patriarchali ecclesia inveniri inuit, figurate dumtaxat loqui corporumque SS. Sergii et Bacchi partem, quam patriarchalis Veneta possidet ecclesia, pro integris eorumdem, Octobris Tomus III.

uti frequentissime, dum de aliorum etiam Sanctorum reliquiis sermo est, fieri assolet, corporibus accipere; quod adeo et de scriptoribus monumentisque omnibus dicendum est, si integra Sanctorum nostrorum corpora uni soli loco attribuant. In eam autem opinionem idcirco præterea concedo, quod alibi etiam sacrorum pignorum partes inveniantur, uti ex jam nunc eo, quem mihi præfixi, ordine dicendis patescet.

101 Jacobus Gualla, diversorum sacra Sanctorum lipsana, in monasterio S. Felicis Papiæ asseroata, in Sanctuario Papiensi lib. v., cap. 11 recensens, hunc scribit in modum: Otto Teutonicus imperator secundus Salvatori nostro perpulchrum (Papiæ nempe) condidit oratorium, hac nostra tempestate sanctum Felicem vocatum: quam quidem ædem sanctissimæ virginis divi Benedicti Ordinis mira religione colunt. In ea autem hæc veneranda Sanctorum corpora decumbunt, quorum nomina infra describuntur: Felix, Castulus, Georgius, Felicitas, Prothus, Hyacinthus, Sergius et Baccus, Innocentes duo, Marina, Felicula, caput S. Stephani prothomartyris, caput S. Valentini presbyteri, Crux una de sanctissimo ligno Crucis inaurata, capsula una in medio altaris majoris plena reliquiis. Quæ quidem venerandæ omnes reliquiæ in subterraneo oratore \* decenter arcis tribus tumulantur mirandæ pulchritudinis ex marmore eburneo ac egregio artificio insignitis, quæ fidei religione conservatæ ibidem adhuc exstant atque venerantur. Cum laudatus Jacobus Gualla hic, statim ac SS. Sergii et Bacchi corpora Ticini decumbere, asseveravit, subjungat, ibidem etiam asservari SS. Stephani et Valentini capita, esse videtur, cur de Sanctorum nostrorum aliorumque, quos memorat, integris corporibus, quæ Ticini decumbant, non autem de eorumdem dumtaxat partibus, intelligatur.

102 Adhæc Romualdus a S. Maria in Ticino seu Papiæ sacra parte II, pag. 131 sic scribit: Sergius... Nonis Octobris optatam ad martyrii palmam in cælum et ipse commilitoni Baccho sociandus evolavit, atque ob ipsius Sergii memoriam locus, ubi primo corpus ejus conditum fuit tumulo, Sergiopolis ex ejus nomine appellatus est, et ob præclara inibi, quæ patrabat, miracula frequenti Christianorum concursu honoratus; cujus eadem exuvia postea una cum corpore S. Bacchi Ticinum asportatæ in æde S. Felicis, monialium S. Benedicti, multa requiescunt veneratione. Hisce autem verbis videtur et hic scriptor significatum velle, integra SS. Sergii et Bacchi corpora, non autem eorum dumtaxat partes, Ticini seu Papiæ asservari. Ast, si id bini illi scriptores, uti ex dictis contendere videntur, re etiam ipsa contendant, a veritate illos aberrare, ob rationem num. 100 adductam dubitandum non est. Nec est, cur mirum cuiquam accidat, scriptores illos erroris a nobis hic accusari. Quæ enim de Nostrorum aliorumque Sanctorum corporibus Papiæ asservatis memoriæ prodiit Jacobus Gualla, nec ex horum inspectione, nec e probatæ fidei monumentis, sed tantum, uti ex Aloysii de Tallis Novocomensi ad 11 Septembris diem Martyrologio colligo, e populi traditione, errori frequentissime obnoxia, verosimillime didicit, nec sua aliunde Romualdus a S. Maria hausisse videtur.

103 Quod cum ita sit, quis, quæso, quo minus ob rationem, quæ num. 100, ut jam dixi, data

AUCTORE C. B.

eademque etiam prærogativa Papiensis S. Felicis ecclesia,

E

\* oratorio

cui etiam integra eorumdem corpora videntur attribui,

F

ACTORE  
C. B.

est, quæque maxime solida apparet, a vero id alienum pronuntiemus, impediendos nos velit? Proximum est, ut de tempore, quo Ticinensium S. Felicis Monialium monasterium SS. Sergii ac Bacchi reliquias possidere incepit, nunc pauca edisseram. Nihil plane, quo id certo determinem, occurrit; verum etsi res ita habeat, illud tamen sacrarum Deo virginum asceterium jam inde ab eo tempore, quo ab Ottone II fuit exstructum, seu jam inde, cum ab anno 966 ad annum usque 985 imperii habenas moderatus is sit, a sæculo decimo sacro illo thesauro fuisse potitum, nequiquam vero apparet absimile, de eoque hic idecirco agendum duci, maxime cum locus, quo id facerem, opportunior haud occurreret. Ceterum an et quis Sanctis nostris in Ticinensi S. Felicis monasterio cultus ecclesiasticus deferatur, haud comperio; in ecclesiastico tamen, quod ibidem ad 7 Octobris diem recitari solet, Officio commemorationem de iis fieri, in Indice, qui Operi Romualdi a S. Maria supra laudato adjectus est, indicari videtur. Ad aliam modo, quæ sacrarum etiam Sanctorum nostrorum exuviarum partem possidet, ædem sacram progredior.

Andegavensis,  
ipsorummet  
Sanctorum  
nomini dica-  
ta.

B

104 Joannes Maan in Sancta et Metropolitana Turonensi Ecclesia, a se illustrata typisque anno 1667 excusa pag. 118 in Engelbaldo, Turonensi archiepiscopo, isthac prodit memoria: Profectus Andegavos anno MCLII Godofridi comitis rogatu sacras beatorum Sergii et Bacchi reliquias, quas ille Hierosolymis afferri jusserat, excepit solemniter ritu die xv Kal. Feb. et in templum, eorum nomini dicatum, intalit perenni cultu celebrandas; quod ne piorum memoria umquam excideret, exceptionis festum diem agi quotannis voluit cum indulgentiarum proventura. Adertantem autem ad rem peragendam opportuni præsules Anselmum, Redonum et Namnetum. Ita laudatus auctor, quidquid autem hic tradit, id ex ipsis Engelbaldi, Turonensis archiepiscopi, qui solemniter, verbis recitatis expositam, peregit, litteris didicit, quas, ut addit, doctissimi Artaltii, canonici Andegavensis et archidiaconi Transligerani, gratia obtinimus ex archivo sancti Sergii Andeg. Fuerant scilicet hæc, ut dubitandum non apparet, Andegavensi SS. Sergii et Bacchi monasterio ab Engelbaldo concessæ, tum ut, a sese in hoc SS. Sergii et Bacchi reliquias,

C

rogante, qui hæc Hierosolymis afferri jusserat, Andegavensi comite Godofredo, solemniter fuisse delatas, testatum faceret, tum ut diem, quo id accidit, xv Kal. Feb. seu 18 Januarii festum quotannis habendum, indulgentiis etiam ad pietatem excitandam imperitit, statueret.

ac singulari  
hos hodieque  
cultu cele-  
brans,

105 Verum totine Andegavensi civitati, an soli, quod prope hanc situm est, sæculoque, ut supra docui, septimo fuit exstructum, Sanctorum nostrorum monasterio diem illum festum quotannis haberi Engelbaldus voluit? Id mihi, spectatis, quæ transcripsi, Joannis Maani verbis, dubium apparet, nec, quo dubitationem hanc animo eximam, aliunde quidquam suppetit, licet interim festum illud, si olim forte in tota Andegavensi civitate celebratum fuit, hodie equidem ibidem non amplius celebrari, verosimillimum, ne dicam indubitatum, efficiat Andegavense anno 1624 excusum penesque nos exstans Breviarium, in quo, uti et in præfixo ei Calendario ad 18 Januarii diem Officium, non de SS. Sergio et Baccho, horumve, de qua hic, translatione, sed de S. Petri, qua Romæ primum sedit, Cathedra

recitandum proponitur, addita dumtaxat, quæ de S. Prisca virgine facienda est, commemoratione. Nec, an vel ipsum Andegavense Sanctorum nostrorum monasterium 18 Januarii diem, quem quin olim festum ex Engelbaldi episcopi supra laudati statuto habuerit, dubitandum non est, festum hodieque habere pergat, compertum habeo. Officio interim ritus semiduplicis SS. Sergium et Bacchum, addita dumtaxat de SS. Marcello et Apuleio martyribus commemoratione, in civitate Andegavensi ejusque diocesi ad 7 Octobris diem seu hodie coli, e supra laudato Andegavensi Breviario, uti et ex laudato pariter, quod sibi id præfixum habet, Calendario intelligo; hinc autem, quin iidem Sancti nostri ad hunc diem etiam in Andegavensi monasterio, quod nomini eorum dicatum, sacrisque præterea, ni forte hæc temporum injuria modo perierint, reliquis ditatum est, altioris adhuc ordinis Officio colantur, cultive ecclesiastico officiantur, viæ, ac ne viz quidem, dubitandum, reor.

106 Verum anne pariter, unde sacra Sanctorum nostrorum lipsana ab anno circiter 1132 in dicti Andegavensis monasterii possessionem venisse, appareat, solemniter, qua ab Engelbaldo, Turonensi archiepiscopo, tribus aliis episcopis, Andium nimirum, Redonum et Namnetum, assistentibus, SS. Sergii et Bacchi reliquias in sacrum iis prope Andegavos monasterium fuere illatæ, jam dicto, quem Joannes Maan, ecclesie Turonensis historiographus supra laudatus, assignat, anno 1132 factam esse, pro æque indubitato potest haberi? Engelbaldus, Turonensis archiepiscopus, comite Godofrido rogante, et Andegavos adiit, et sacra ibidem, quæ hujus jussu Hierosolymis erant allata, Sanctorum nostrorum lipsana, ut scriptor ille memorie prodit, dicto anno 1132 transtulit; ut sane tunc, cui Godofredi nomen fuerit, Andegavensis aliquis comes (neque enim de homonymo alterius cujuspiam ditionis comite sermonem esse Maano, verosimile apparet) Andegavensium tractui præfuerit; in suppeditato autem in Chronico Chronicorum a Joanne Gualterio comitum Andegavensium catalogo comes nullus, nomine Godofredus, qui Andegavensibus ad annum 1132 præfuerit, occurrit. Quod cum ita sit, fieri facile potest, ut non nemo, an supra memorata, quæ Sanctorum nostrorum lipsana in sacratum eis Andegavis templum ab Engelbaldo fuere illata, solemniter anno 1132 fuerit peracta, in dubium revocet, quod, ille stante epocha, dictam solemniter, comite Andegavensi, cui Godofredi nomen esset, rogante, peractam fuisse, necesse sit.

ab ipso solemniter hic memorata præstituta  
E

F

107 Quod ad me pertinet, cum præfatus, quem Gualterius suppeditat, comitum Andegavensium Catalogus contextus sit e regum principumque Gallie, uti ipsemet is scriptor in hujus Opusculi capite indicat, Genealogia, a Gulielmo Paradino anno 1561 typis Lugdunensibus vulgata, hicque auctor, quemadmodum ex Nicerono tom. XXXIII Monumentorum pag. 170 intelligo, nullis plane, quæ in hoc Opere adstruit, argumentis probationibusque confirmet, Joanne Maano, qui, quæ verbis supra recitatis scribit, e monumento maxime, uti apparet, authentico hausit, etiam quantum ad ipsum, cui solemniter, de qua hic nobis sermo, innectit, annum 1132 standum puto, utut ita, comitem quempiam Andegavensem, cui Godofredi nomen esset, in vivis etiam tunc adhuc fuisse superstitem, sit necesse. Atque ea vel

anno circiter 1132

**A** vel ideo maxime sedet sententia, quod eundem in memorato, quem Gualterius suppeditat, comitum Andegavensium catalogo Godefridus comes, nominis hujus quintus, qui anno 1150 obierit, recenseatur, facileque fieri possit, ut in anno comitis hujus emortuali assignando Gualterius, seu potius, e quo hic sua ex dictis hausit, Paradinus errarit. Jam vero cum id ita sit, nec diu ante præfatam solemnitate Sanctorum lipsana Andegavos videantur fuisse allata, consecrarium est, ut verosimillime ab anno circiter 1152 in dicti Andegavensis monasterii possessionem devenerint.

collegiataque Heiligenstadiensis, Sanctos pro patronis ferme præcipuis

108 Sed de re hac jam satis; institutum prosequamur. Pars quoque e sacris SS. Sergii et Bacchi reliquiis in Heiligenstadiensi, quæ S. Martino, Turonensi archiepiscopo, sacra est, diæcesis Moguntinæ collegiata ecclesia hodieque asservatur, aut certe olim asservata fuit. Liqueat id e Pontificia a Paulo II Papa anno 1469 concessa Bulla, in qua, SS. Sergii et Bacchi corpora in dicta Heiligenstadiensi ecclesia asservari, Pontifex is discrete affirmat, uti quisque comperiet, qui illam Operis nostri tom. III Junii pag. 86 ex parte recitatam hinc proinde non recitandam consuluerit. Ac Sergius et Bacchus, statim atque eorum sacræ eorum, quod sæculo XIII aut XIV ex dicendis factum, Heiligenstadium fuere delatæ, tam celebrem ibidem, ut Papebrochius Operis nostro loco proxime cit. docet, cultum nacti sunt, ut collegiata, quæ in ea urbe, ut jam dixi, S. Martino, Turonensi archiepiscopo, sacra est, ecclesiæ patroni ferme principales æstimarentur. Atque id quidem vero apprimè consonum ideoque videtur, quod in Pontificia, quam proxime laudavi, anni 1469 Bulla, nulla prorsus SS. Aurei et Justini, qui tamen pro patronis ab Heiligenstadiensibus habentur, mentione facta, soli Sancti nostri a Paulo II Papa commemorantur, uti quisque, illa loc. cit. consulta, deprehendet. Adhæc in litteris, eodem die Operis nostri tertio Junii tomo pag. 85 et seqq. recitatis, quas anno 1528 Sulatanensis, Tergestensis, Sagonensis, Serbiensis, Gallipolitanus, Ameliensis, Acerensis, Syriensis, Demitensis et Senongensis episcopi Avenione dederunt, Sergius et Bacchus is accensetur Sanctis, quorum festis Heiligenstadiensem S. Martini ecclesiam fideles ut frequentent, propositis, quas in præfatis Litteris exprimunt, indulgentiis excitant dicti episcopi.

**B** 409 Accedunt præterea duorum archiepiscoporum Moguntinorum bina diplomata, in quorum priori quidem, quod anno 1461 a Diethero fuit concessum, Sergius et Bacchus Sanctis Heiligenstadiensis ecclesiæ patronis annumerantur, eorundemque festa iis, quæ publica, apertis valvis æreque campana signo dato, divinatorum Officiorum recitatione, latique ab episcopo conciliove Moguntino provinciali interdicti cessatione celebrari possunt; in posteriori vero, quod anno 1499 Bertholdus, Moguntinus itidem archiepiscopus, impertit, Sergius et Bacchus iterum comparent, eodemque modo, quo in diplomate proxime memorato, eorum aliorumque, quos nominat, Sanctorum festa celebrari posse conceditur, privilegio dumtaxat ad plura festa extenso. Verum unde et quando sacra SS. Sergii et Bacchi lipsana sibi acquisivit Heiligenstadiensis ecclesia? Fuisse illa belli sacri, seu expeditionum, a Christianis in Terram Sanctam susceptarum, occasione e Syria in Europam translata, itaque tandem ad præ-

habens, a sæculo XIII aut XIV fuit gavisata.

**C** fatam S. Martini Heiligstadiensem ecclesiam sæculo XIII aut XIV pervenisse Papebrochio nostro, uti Operis nostri loco supra cit. ipsemet manifestat, est visum. Et sane, cum plurimæ aliæ aliorum Sanctorum reliquiæ eadem occasione in Europam fuerint delatæ; ita ei haud immerito visum esse, persuasum mihi habeo. Uno porro fortassis post tempus, quo primum Heiligenstadiensis S. Martini ecclesia sacri illius thesauri partem fuerat adeptæ, sæculo circiter elapso, eadem frui prærogativa metropolitana Pragensi in Bohemia ecclesiæ fuit concessum.

110 Carolus IV imperator et Bohemiæ rex sacras variorum Sanctorum magno numero reliquias, quas undequaque summo studio acquisierat, dictæ metropolitana Pragensi ecclesiæ, S. Vito sacræ, diversis regni sui annis donavit, ut Pessina in Phosphoro Pragensi e pag. 599, variis in medium adductis probatæ omnino fidei documentis, docet. Ac anno quidem 1534, quo piæ isti liberalitati datum fuit initium, plurimas fuit largitus; hæc autem inter locum obtinere et sacra SS. Sergii et Bacchi lipsana. Liqueat id ex ipsis, quas Pessina Operis citati p. 455 et quinque sequentibus recitat, litteris, a Carolo ad universos Bohemiæ regni status Moguntia dicto anno 1534, quarta Januarii die datis. In his enim laudatus imperator sacris reliquiis, quas, e variis a se aditis locis sacris acquisitas, ecclesiæ Pragensi donat, sacra Sanctorum nostrorum lipsana hunc in modum accenset: Ab inde (Ab Ersheimensi nempe diæcesis Argentinensis monasterio) in monasterium Weissenburg Spirensis diæcesis, fundationis Daguberti imp., venientes obtinimus medietatem corporum Sergii et Bacchi MM. beatorum. Atque ita modo compertum habemus, non tantum Pragensem ecclesiam tandem etiam Sanctorum nostrorum lipsana fuisse adeptam, sed etiam unde et quandom ea fuerint accepta. Verum unde sacra illa pignora ad Weissenburgense, e quo acquisita a Carolo imperatore fuerunt, monasterium devenerant? Uti quæ Heiligenstadiensis, de qua supra, ecclesia possidet, delatæ ad eam e Syria, ut docui, sacrarum expeditionum occasione videntur, ita etiam, quæ Carolus imperator e Weissenburgensi monasterio obtinuit, delatæ ad hoc eadem occasione eademque e regione fuisse existimo.

111 Porro Carolus IV imperator, qui, quemadmodum jam vidimus, sacra pignora quam plurima, undequaque acquisita, metropolitana Pragensi ecclesiæ impertit, diem quoque festum, quo quotannis celebratur, qua Pragam illa allata fuerunt, memoria recoleretur, institutum curavit, fuitque solemnitati huic secundus Januarii dies præstitutus. Ita apud Pessinam iterum Operis laudati pag. 449 docet metropolitana Pragensis ecclesiæ Breviarium simul et Martyrologium, uti etiam, quod in museo nostro asservatur, Pragense Calendarium, ad Bollandum nostrum anno 1647 a P. Theodoro Moreto submissum. Nec tantum illud ex his disco, verum etiam, reliquias, quas Carolus imperator Pragensi ecclesiæ donavit, auro argentoque et gemmis a religiosissimo hoc principe pretiosissime fuisse ornatas. Et qui quidem nominatim sacra Sanctorum nostrorum lipsana ornata ab eo fuerint, fas est colligere e duobus reliquiariis, quæ in cathedrali seu metropolitana Pragensi ecclesia asservantur, syllabis, apud Pessinam in Opere plus semel jam cit. exstantibus. In altero enim, qui anno 1568

AUCTORE C. B.

Anno porro 1534 Sergii quoque et Bacchi insignes reliquias obtinuit,

**E**

**F**

atque eas, quibus Carolus IV imperator argentea etiam ornamenta addidit,

notatur

ACTORE  
C. B.

notatur confectus, pag. 472 sequentia hæc leguntur : Sergii et Bacchi MM. argen. deaurat. cum imaginibus; in altero autem, qui, cum anno 1420 Feria 4 post festum S. Jacobi hæreticorum Wicleffistarum metu sacræ Pragenses reliquiæ e Pragensi S. Viti ecclesia partim Zitaviam, partim Carlsteinam fuere delatæ, conscriptus signatur, reliquiasque, quæ ad posteriorem hunc locum deportatæ tunc fuerunt, complectitur, pag. 479 isthæc occurrunt : Sepulchrum SS. Sergii et Bacchi circumdatum argenteis et deauratis imaginibus.

hodieque conseruat Pragensis ecclesia,

112 At vero, quæ capsæ, sacra Sanctorum nostrorum lipsana continenti, confecta ex argento deaurato, uti e duorum, quos dixi, Syllaborum verbis jam recitatis colligendum apparet, ornamenta Carolus imperator adiecit, ea postmodum eidem capsæ temporum injuria fuere detracta. Pessina Operis jam sæpius citati pag. 478 sic scribit : Ex quo (reliquiarum, ad arcem Carlsteinensem metu hæreticorum, ut jam dixi, anno 1420 Feria 4 post festum S. Jacobi translatarum, thesauro)..... quidquid in auro, argento, gemmis et lapidibus pretiosis fuit, Sigismundus imp. anno MCDXX die XXIX Julii abstulit, et in stipendia militaria præsentemque belli necessitatem convertit; in reliquiarum autem et clenodiorum (adi jam sæpius laudatum Pessinam pag. 498) ecclesiæ cathedralis Pragensis Catalogo, anno 1557 confecto, sacra SS. Sergii et Bacchi lipsana in plumbea dumtaxat cistula asservata fuisse, indicatur. Quare dubitandum non apparet, quin Sigismundus imperator Sanctorum nostrorum, non secus atque aliorum, sacris exuviis, in arce Carlsteinensi asservatis, argentea, quibus eas Carolus imperator condecorarat, ornamenta anno 1420 vigesima nona Julii die, belli necessitate urgente, detraxerit atque in militum stipendia converterit. Verum etsi id ita sit, non propterea tamen quidquam de sua in sacris istis pignoribus asservandis cura remisisse videtur Metropolitana Pragensis ecclesia, hincque verosimillime factum est, ut ea hodieque possideat, aut certe anno 1675 adhuc possederit, uti fidem facit reliquiarum in cathedrali Pragensi asservatarum catalogus, a Pessina sæpissime laudato ex oculari illarum inspectione tunc confectus, atque ab eo in Opus, pluries modo citatum, illatus, in quo pag. 319 legitur : SS. Sergii et Bacchi medietas corpor. obtenta a Car. in monast. Weissenburg. Spirens. diæc. MCCCLIV.

nec, quo minus id credatur, officit, quod de inventis apud Soriam Sanctorum ossibus narratur.

115 Verum anne etiam, uti hisce verbis declaratur, medietatem seu mediam partem corporis tam Bacchi quam Sergii ecclesia isthæc possidet, obtinuit e Weissenburgensi canobio Carolus IV imperator? Cum Catalogus mox dictus, in quo sacrorum corporum et Bacchi et Sergii notabilis adeo pars in Pragensi ecclesia asservari dicitur, a Pessina, oculari ex dictis inspectione præmissa, fuerit confectus, scriptori huic id tradenti fidem indubitanter denegare non ausim, nedum Carolo imperatori, mediam sese eorumdem corporum partem e Weissenburgensi monasterio acquisisse, in literis supra laudatis asseveranti. Scrupulum interim movent, quæ Sanctorum nostrorum reliquiis ditatæ pariter sunt, ecclesiæ aliæ jam recensitæ, ac maxime patriarchalis Venetæ, quæ potiore corporum SS. Sergii et Bacchi partem sibi diserte (adi num. 100) adscribit. Verum etsi id ita sit, non est tamen, cur quisquam hic obijciat Lupum de Morales, equitem Jacobæum, qui,

anno 1470 apud Soriam, diæcesis Ozomensis in Hispania urbem, quatuor hominum ossa in capsâ lapidea, addita, qua SS. Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleii esse, indicabatur, epigraphæ, fuisse inventa, edito hac de re Hispanico idiomate libello memoriæ prodit. Præterquam enim, quod verba Lupi Hispanica, Latine ad hunc diem a Tamaio (adi jam datam hodie de SS. Marcello et Apuleio num. 21 et seqq. Syllogen) in Martyrologio Hispanico reddita, nulla ratione, ut SS. Sergii et Bacchi duorumque aliorum, Marcelli nempe et Apuleii, corpora integra aut etiam majori ex parte apud Soriam fuerint reperta, exigere videantur, laudati Lupi de Morales Opus penes nos non exstat, hincque, an quæ in hujus commendationem Tamaius loco cit. profert, veritati undequaque consonent, definire non possumus. Adhæc, si Lupus, integra Sanctorum nostrorum corpora apud Soriam fuisse inventa, re etiam vera assereret, necesse foret, vel hinc fidem ejus quam maxime vacillare, cum sacra Sanctorum nostrorum corpora integra nusquam haberi, ex jam supra dictis satis constet.

114 Porro Lupus de Morales per verba, quæ citatò Sylloges præxime laudatæ loco recitata jam sunt, non tantum docet, Sanctorum nostrorum ossa prope Soriam fuisse inventa, verum etiam illos a sæculo XV, quo id accidit, peculiarem cultum, quem patrata ad eorumdem invocacionem miracula etiam auferunt, ibidem nactus fuisse; quod in dubium revocandum, non æstimans ad loca sacra, quæ quondam circiter Sanctos colere sacræve eorum possidere exuviis inceperint, definire haud quo, jam venio. Gelenius de Colonia Agrippinensis Magnitudine syntagmate 19, § 2 sacris reliquiis, quas ecclesiæ parochialis, S. Martini Minoris dicta, Colonia possidet, duas Sanctorum costas, alteram Sergii, alteram Bacchi accenset; licet autem, quo circiter tempore sacra hæc pignora Colonia fuerint advecta, non edicat, Sanctos tamen ibidem et frequentibus miraculis inclaruisse, et summa apud populum in veneratione ætate sua fuisse, non obscure docet. Verba, quibus id facit, et quibus præterea, Colonia quondam sacellum, S. Sergio sacrum, exstitisse tradit, hæc transcribo. Sic habent : Per has sacras costas (SS. Sergii nimirum et Bacchi) Colonia frequentata miracula, præsertim in tabe longa deficientibus, qui vires horum Sanctorum invocacione persæpe receperunt, publice habitis sermonibus persæpe disserentem audivimus illustrem theologum hujus ecclesiæ pastorem Adolphum Schulckenium, vicarium in spiritualibus generalem Coloniensem, B. M. V. in Gradibus præpositum et canonicum presb. metropolitanum; cujus assertionibus congruit antiquissimus bibliothecæ meæ MStus in conscriptione sacelli Sergiani, olim apud vetustam portam Rhenanam siti, quod destructum est anno MDLXIIII autoritate superiorum, translatis sacris et omni suppellectile in hanc capaciorem basilicam parochialem.

115 Nec Roma, quæ plurimas, imo innumeras propemodum, sacras reliquias possidet, SS. Sergii et Bacchi lipsanis penitus destituitur. Præter ædem sacram seu oratorium, quod Sanctis nostris, ut num. 95 docui, verosimillime jam inde a sæculo sexto Romæ fuit exstructum, quatuor adhuc alia, quæ ibidem hi nomini suo dedicata habent aut certe olim habuerunt, loca sacra a Florivante Martinello in Roma ex ethnica

E  
Hi interim ibidem, aliisque, quæ hic

F

recensentur, locis sacris peculiari cultu

sacra

**A** sacra recensentur, nimirum ecclesia apud arcum Septimii Severi, monasterium, post formam aquæ ductus patriarchii Lateranensis situm atque ab Anastasio bibliothecario in S. Paschalis primi Papæ Vita apud nos ad 14 Maii diem num. 11 memoratum, oratorium in Callinico, ac tandem Ruthenicum SS. Sergii et Bacchi ad Montes collegium. Atque hoc, unde præcipue hic memorandum venit, sacrarum etiam SS. Sergii et Bacchi reliquiarum partem possidet. Ita e Piazzæ, qui tamen, unde et quondam hanc illud acceperit, non edicit, Hemerologio sacro ad hunc diem intelligo, uti etiam eorum hodie festum celebrari non modo in dicti collegii ecclesia, sed et in ecclesia S. Mariæ Montis cæli, itemque in altera, S. Adriano sacra, in qua præterea altare nomini suo dedicatum habent. Ceterum Sanctorum nostrorum, de quibus Evangelium hodie recitandum in valde antiquo Evangeliorum capitulari Vaticano 45 designari, e Dominico Georgio in hodiernis suis ad Adonis Martyrologium Annotationibus disco, pretiosa pignora etiam possident, eademque ac Sanctos venerantur alia adhuc loca sacra nonnulla.

**B** aut gaudent aut olim fuerunt gavis.

116 Verum hæc, quod minus, quam jam recensita, celebra sint, una cum nonnullis aliis, quæ sacra quidem Sanctorum nostrorum lipsana possidisse feruntur, et tamen, an vere isthæc unquam possederint, in dubium revocari potest, brevitatis causa præterea, solumque supra enumeratis adhuc addo Parisiensem in via S. Jacobi Benedictinorum ecclesiam, SS. Sergii et Baccho, uti in concinnatis a se Sanctorum Vitæ Bailletus ad hunc diem docet, olim dedicatam, et Constantinopolitanam, aut, si ob mox dicenda mavis, Calchedonense, quod Ρουφιανῶν Græcis dicitur, suburbium. In duorum horum locorum priori Sancti nostri, tamquam patroni antiqui, uti idem Bailletus loco cit. etiam docet, hodieque coluntur, sacræque præterea eorum exuvia, uti e variis variorum annorum spiritualibus Parisiensis ecclesiæ Diariis disco, sub altari principe asserantur; quod autem ad duorum dictorum locorum posteriorem, qui, quemadmodum apud Cangium in Constantinopoli Christiana lib. iv, § 15 est videre, trans mare in Asia prope Calchedonem situs est, spectat, in Ms. Græco Synaxario et Menæis Mss. Mediolansibus et Taurinensibus ita ad 27 Maii diem notatur: Μνημὴ τῶν ἁγίων Σεργίου καὶ Βάχχου πέραν ἐν Ρουφιανῶν, Commemoratio sanctorum Sergii et Bacchi trans mare in Rufinianis; ut sane, quin etiam Sancti nostri cultu ecclesiastico in præfato seu Calchedonensi seu Constantinopolitano suburbio aut gaudeant, aut olim saltem fuerint gavis, dubitandum non sit. At vero sacra eorum lipsana ibidem etiam asservari, nusquam notatum invenio. Adhæc cum Cangius loco cit. duas vides sacras, alteram SS. Petro et Paulo, alteram S. Hypatio dicatam, quæ in Rufinianis exsisterint, recenseat, pluresque forte alias suburbium illud fuerit complexum, fuerint in iis omnibus, aut, si res secus habet, in quam aut in quibusnam ex iisdem Sergio et Baccho honor, Sanctis proprius, fuerit delatus, nullo modo, deficientibus ad id necessariis documentis, definire queo.

## VITA,

Auctore anonymo.

**E** codice nostro Ms. membrananeo, signato Q. Ms. 7, cum duobus aliis nostris Mss. itidem membranaceis codicibus et editione Mombritii collato.

### CAPUT I.

**Ad Maximianum imperatorem tamquam Christiani deferuntur Sergius et Bacchus, tales deprehensi ludibrio ab eo habentur, ad Antiochum ducem morte etiam, ni diis sacrificent, afficiendi mittuntur, custodiæque ab hoc includuntur.**

**I**mperante Maximiano a tiranno, multus error hominum genus possederat; lapides enim et ligna, hominum adventiones, adorabant, et de obscenis sacrificiis degustabant. Qui autem sacrificare nolebant, penis atque suppliciis vehementer afflicti deservire dæmonibus compellebantur. Erat igitur edictum per singulas civitates in foro propositum cum severissima comminatione *b*. Polluebatur itaque ætheris puritas de diabolico ararum nitore \* et tenebræ diabolici erroris opportuna conversatio hominibus putabatur. Tunc itaque veluti quædam stella terrestres erga confessionem fidei Salvatoris Domini nostri Jesu Christi Sergius et Bacchus pollebant in palatio *c* honorabilesque erant apud Maximianum imperatorem. Beatus quidem Sergius erat primicerius et princeps scholæ gentilium, amicus imperatoris et multam apud eum habens fiduciam, ut etiam velociter postulationibus ejus annueret *d*.

¶ Qua de re Antiochus quandam familiarem habens Sergium \* poposcit ab imperatore, quod dux fuerat *e* Augusto-Euphratarum provinciæ *f*; beatus vero Bacchus ejusdem et ipse scholæ gentilium erat secundicerius. Qui enim unanimes erant in Christi charitate, oportune et in seculari militia non separabantur ab alterutro \*, non quidem affectu naturæ, sed vinculo fidei connexi cantantes semper et dicentes: Ecce, quam bonum et quam jocundum habitare fratres in unum *g*. Erant igitur ingeniosi et felices Dei Milites, et Scripturas, a Deo inspiratas \*, ad perfectum instituti ad erroris diabolici destructionem, et in præliis ad plenum exercitati ad barbarorum peremptionem. Invidia ergo maligni

Sergius et Bacchus gratia et auctoritate in palatio

*a*

*b*

\* nidore

*c*

*d*

plurimum valentes, ab invidis

\* al. Sergius

*e*

*f*

\* ab alterutro

*g*

\* al. Scripturis, a Deo inspiratis

maligni

ACTORE  
ANONYMO.

maligni et iniqui dæmonis quidam de eadem, quæ appellatur Gentilium, schola stimulatî videntes eos eleganter in atriis regalibus conversari atque in militia proficere; multamque apud imperatorem fiduciam habere, aliter non valentes laboris sui insidias eis innectere, accusaverunt apud imperatorem; quod fuissent Christiani.

apud Max-  
imianum  
imperatorem  
tamquam  
Christiani  
accusantur,

5 Observantes namque, tempus, quando imperatori idem beatus Sergius et Bachus non assistebant, singulariter eum invenientes dixerunt: Immortali quidem tuo fastigio multum est studium erga venerabilium magnorumque deorum nostrorum religionem; quapropter ubique et in omnibus locis scripta vestra pervenerunt; in quibus præcepistis, qui noluerint venerari eos atque adorare, obnoxii immaculati edicti vestri innumeris suppliciis consumerentur. Quare ergo tantam fiduciam habentes erga aternitatis vestræ potentiam Sergius et Bachus, primicerii scholæ nostræ, qui Christum, quem, utpote malefactorem, qui vocantur Judæi, crucifigentes occiderunt, ipsum venerantur et adorant, multosque alios persuadentes subtrahunt a deorum cultura, atque ad suam religionem inducunt. Audiens hæc imperator et non eis credens dixit: Non arbitror, veritatem vos dicere, quia Sergius et Bachus erga Dei honorem et religionem non sunt devoti.

ab eoque, ac-  
cusationis ve-  
ritate, ex eo  
\* sinceri  
\* al. cultura

\* al. ignoran-  
tes

4 Dum ergo erga eos immaculatam caritatem habeam, quam adipisci non promererentur, nisi devoti atque sinceres \* existerent; sin autem, ut vos perhibetis, illius curæ \* sunt, comprehendentur. Convocans namque eos, ignorans \*, quid dictum sit, vadam una cum eis ad sacrarium magni Jovis, et si quidem sacrificaverint, vobis ipsis ad sustinendam pro tali calumnia periculi causam adscribitis; sin autem noluerint sacrificare, dignum impietati eorum supplicium sustinebunt. Dii enim satellites imperii mei impios et ingratos nolunt. Respondentes accusatores dixerunt imperatori: Nos amore et affectu deorum permoti, quod de eis audivimus, suggestimus tuo immortalî fastigio; tuæ autem erit intemperatæ sapientiæ, istorum comprehendere impietatem. Continuo ergo convocavit eos imperator; ingressi namque fuerant cum consuetis satellitum obsequiis, et accipiens eos, ingressus est et sacrificavit cum officiis, ac de sacrificiis degustantes \* circumspexit, et non vidit beatos Sergium et Bachum.

\* al. degustans

quod et tem-  
plum Jovis  
ingredi

\* al. foris

5 Neque enim ingressi fuerant in templum, impium et illicitum æstimantes videre sacrificantes ac de inmundis sacrificiis degustantes: stabant vero foras \*, et orabant quasi ex uno ore dicentes: Rex regum et Dominus dominantium, qui lucem inaccessibilem habitas, in lumina oculos cordis eorum, qui in tenebris ignorantia incedunt, qui immutaverunt gloriam tuam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilium hominum, et volatilium et quadrupedum et serpentium, et deserviunt creaturæ magis, quam tibi Creatori; converte eos, ut te cognoscant solum verum Deum, et Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jeshum Christum, qui propter nos nostramque salutem passus est et resurrexit, quatenus nos eriperet de maledicto legis et liberaret de vanorum idolorum errore: nos vero intemperatos atque immaculatos, Deus, custodi in via testimoniorum tuorum, ut secundum mandata tua converse-

mur. Dumque adhuc oratio in ore eorum esset, mittens imperator quosdam de adstantibus sibi satellitibus jussit eos in templum introduci.

6 Ingredientibus dixit: Sicut video, in multa mansuetudine mea atque humanitate confidentes, qua protegente vos dii providerunt, insuper et contempnere vultis edictum imperiale, transgressores facti deorumque inimici. h Sed non sustineam, si probantur, quæ de vobis dicta sunt. Accedentes ergo ad aram Jovis magni sacrificate, et de mysticis sacrificiis degustate, quemadmodum et ceteri. Respondentes autem fortissimi milites Christi et martyres Sergius et Bachus dixerunt: Nos, imperator, ferrenam quidem corporalis militiae servitium tibi debemus exsolvere; habemus autem regem verum, æternum in cælis Jeshum Christum, Filium Dei, cui animas nostras devovimus, qui est spes nostra et salutis refugium. Huic per singulos dies offerimus sanctum vivumque sacrificium, atque rationabilem culturam; lapidibus autem et lignis non sacrificamus, neque adoramus. Dii namque vestri aures quidem habent, orationem autem hominum non audiunt. Similiter nares habent; sacrificium autem, quod eis offertur, non odorantur; et hos \* habentes non locuntur, manus habentes non contractant, pedes habentes non ambulant. Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis.

et diis sacri-  
ficare nollent,  
deprehensa

h

E  
\* al. os

7 Indignatus itaque imperator mutavit vultum suum, et jussit confestim zonas eorum incidere, et exutos clamidibus et quæque erant milicie vestes, simul et torques aureas de cervicibus eorum auferri, et induit eos colubilia \* muliebria, et ita per mediam civitatem usque ad palatium pertrahi gravissimas in cervicibus catenas portantes. Cumque Sancti Dei traherentur per medium forum, cantantes simul dicebant: Si ambulaverimus in medio umbræ mortis, non timebimus mala, quoniam tu nobiscum es; et verbum illud Apostolicum: Quatenus abnegantes omnem impietatem et secularem cupiditatem et exuto veteris hominis habitu, nudi in fide exulemus in te, Domine, quia induisti nos vestimento salutis, et tunica lætitiæ circumdedisti nos. Sicut sponsam adornasti nos muliebribus stolis, conjunge nos tibi per confessionem. Tu, Domine, mandasti nobis dicens: Ante reges et præsidés ducemini propter me, et cum tradiderint vos, nolite solliciti esse, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini: non enim vos estis loquentes, sed Spiritus Patris vestri, qui in vobis loquitur k.

colubis mulie-  
bribus induti  
per civitatem  
circumdaci  
jubentur.  
\* al. colubia.

i

F

k

8 Exurge, Christe, adjuva nos, et expugna inpu gnantes, conforta nostras animas, ut non moveamur, et impii dicant: Ubi est Deus eorum? Quando autem venerunt ad palatium, vocavit Sanctos imperator et dixit: Sceleratissimi omnium hominum, putatis, quia in mea confidentes amicitia, quam circa vos habui, famulos putans esse deorum, respondetis ea, quæ non licet, imperatori? Quare et deos blasphematis, per quos magna pace perfruitur hominum genus? Non scitis, quia, quem vos colitis Christum, fabri filius fuit, et antequam nuptiæ legitimæ fierent, adulterio facto mater eum procreavit? Quem et crucifixerunt Judæi, quia discordias inter eos et seditiones immisit, magicis artibus decipiens eos, et se dicens esse Deum;

manentesque  
nihilominus,  
hoc facto,



**A** Deum; maximum autem deorum nostrorum genus ex legitimis procreatum nuptiis Jovis. Magni dii Jupiter atque Saturnus venerabiliter nominantur ex conjunctione beatae Junonis *l*. Puto autem, quia et theoricis atque maximis duodecim Athlos audistis *m*.

*l*  
*m*  
in fidei confessione constantes

**9** Respondentes autem fortissimi Christi Milites dixerunt: Erras, imperator; hæc enim fabulæ sunt decipientes simpliciorum hominum aures, et ad perditionem hortantes eos. Quem autem tu dicis adulterio facto fabri fuisse filium, ipse est filium Dei veri, qui cum eo et per eum omnia fecit, caelos extendit, terram fundavit, abissum et mare magnum harena solutum frænavit, astrorum multitudine cælum ornavit, solem ad lucendum diei creavit et lunam ad solatium noctis condidit, et separavit inter tenebras et lucem, mensuram diei posuit et finem noctis. Omnia ex eo, quod non est, ut sint, deduxit. Nam omnia in sapientia, sicut Deus, fecit. In ultimis autem diebus propter hominum salutem in terra natus est, non ex voluntate hominis, nec ex voluptate carnis, sed ex Spiritu Sancto et puella semper Virgine. Et conversatus est cum hominibus, docens nos reverti a vanis idolis istis et ipsum cognoscere atque patrem ejus Deum verum.

*ad Antiochum ducem,*

**10** Et si secundum carnem Judæi occiderunt Christum, sed et inferos expoliavit, et tertia surrexit die virtutis suæ deitate, et legem incorruptibilitatis posuit atque mortuorum resurrectionem. Hæc audiens imperator plenus furore factus est, et eorum jussit accusatores in eorum loco taxari militiæ, et ad eos dixit: Antiocho duci transmitto vos, maledicti, quia propter amicitiam atque fiduciam, quam habetis a me vobis datam, et ad hanc eum dignitatem duxistis; ut sciatis, ex quo cecidistis honore, et quo minimo judicio ultimum habetis sufferre supplicium propter blasphemiam, quam ad deos ausi fuistis facere *n*. Hæc dixit et transmisit eos ad Antiochum ducem, et jussit gravibus catenis eos, omne corpus ligatos, ad partes Orientis per singularum civitatum officia *o* duci.

*n*  
*o*  
data etiam ad hunc epistola mittuntur.

**11** Scripsit autem et epistolam talem: Imperator Maximianus pius ac triumphator Antiocho duci salutem. Deorum maxima providentia omnes quidem homines, præsertim autem custodes imperii mei non vult impios, atque alienos familiaritatis eorum esse, ideoque sua conscientia convictos Sergium atque Bacchum impia Christianorum esse religionis, ultimis judicavi obnoxios esse supplicii; quos imperialium judiciorum quæstiones non esse dignos existimantes ad tuam strenuitatem direximus, ut, si quidem penituerit, et ante diis sacrificaverint, donata eis venia, sine tormentis ad nos iterum transmittas. Mox enim militiæ recipiant dignitatem, et meliorem, quam antea nunc habuerint. Sin autem hæc facere minime voluerint, sed in sua impietate permanserint, eos non differas subjicere legum severitati, et longas vitæ spes eis incide. Bene valeas *p*. Qui vero susceperunt eos, ipsa die sera facta, ad duodecimum milliarium de civitate manserunt in stabulo cum magna tuicione atque custodia.

*p*  
In itinere ab angelo, sibi apparente, in pugnam animantur,

**12** Circa mediam noctem venit angelus Domini et dixit eis: Confidite et pugnat contra diaboli spiritum, sicut fortissimi milites atque athletæ, ut dum perluctantes eum ponatis sub pedibus vestris, et dum veneritis visuri regem

gloriæ Christum, vobis occurramus cum exercitus angelorum multitudine, laudem cantantes victoriæ, portantes vobis palmas perfectæ fidei, atque confessionis coronas. Aurora autem facta, cum omni lætitia gaudentes ambulabant in via. Erant autem cum eis ex servis eorum quidam, qui amore pietatis Christi et corporalium dominorum nec in talibus necessitatibus eos relinquere voluerunt; qui narrantes se invicem audierunt propter adventum angeli, quem in nocte viderunt. Ambulantes autem psallebant simul et orabant tamquam ab uno ore sic ambo dicentes: In via testimoniorum tuorum delectati sumus, sicut in omnibus divitiis, et mandatis tuis exercebimur et consideravimus vias tuas. In tuis justificationibus meditabitur, Christe, redde servis tuis, ut vivamus, et custodiamus verba tua.

ACTORE  
ANONYMO.

**15** Sic autem secundum imperatoris præceptum per singula officia civitatem *q* cum omni transmittentur custodia ad propositam eis martyrii viam Christi Milites usque quo adducti sunt ad Augusto-Euphatesiam provinciam ad milites, qui sunt juxta Saracenorum gentem in castro, nomine Barbalisso *r*, in quo sedem habebat Antiochus; cui tradiderunt eos circa horam nonam cum imperatoris epistola. Surrexit autem a sede sua Antiochus, et in purpura suæ chlamidis suscepit litteras imperatoris, quas intra se tacite legit; et vocavit commentariensem *s* officii sui et dixit ei: Suscipe legatos homines, et eos in militari depone custodia sine aliqua consueta molestia. Nam in pluribus cippi percussis pedes eorum mitte *t*; postera autem die adhuc eos ad judicium, ut audiam secundum leges eos. Commentariensis autem, sicut ei præceptum est, suscepit et misit eos in cippo.

adductique ad Antiochum in custodiam ab eo conjiciuntur.

*q*  
*r*  
**E**  
*s*  
*t*

**14** Sero autem facto, psallebant simul atque orabant tamquam ab uno ore dicentes ambo: Tu, Domine, confregisti capita draconis magni, tu siccasti fluvios, tu erupisti fontes, atque torrentes, tu fecisti terminos orbis terræ; respice in nos, Domine Deus noster, quoniam inimicus obpropriavit nos propter nomen tuum. Noli trahere animas hominum confidentium te his, qui plus quam feres, sunt inmansueti. Animas pauperum ne obliviscaris in finem. Respice in testamentum tuum, quia impleti sunt, qui obsecrati sunt terres domorum iniquitatum *u*. Non revertamur turpiter miseri facti, ut nos pauperes laudemus nomen tuum.

in qua, dum divinum implorant auxilium,

**18** Non oblivisceris \* voces supplicantium te, quoniam superbia eorum, qui te oderunt, semper ascendit ad te; et gratis oderunt nos homines, sed tu, Domine, adjuva nos et libera nos propter nomen tuum. Quando autem hæc Sancti dicentes tacuerunt, supervenit angelus Domini et dixit eis: Confidite et state fortiter in fide et confessione, quoniam Dominus noster Jesus Christus vobiscum est. Surrexerunt autem de somno et narraverunt suis famulis angeli revelationem et acceperunt confidentiam. Psallebant autem hæc dicentes: Ad Dominum, dum tribularemur, clamavimus, et exaudivit nos de monte Sancto suo. Nos dormivimus et somnum cepimus, et resurreximus, quoniam Dominus suscepit nos. Non timebimus milia populi circumdantis nos. Exurge, Domine, salvos nos fac, Deus noster, quoniam tu es salus, et super sperantes in te benedictio tua.

angelica iterum sibi oblata apparitione recreantur. \* al. obliviscere

**F**  
*u*

ANNOTATA

ACTORE  
ANONYMO.]

## ANNOTATA.

a Maximiniani nomen pro Maximini fortassis hic ponitur. Adi Commentarium prævium num. 22, 45 et seq.

b Generalem persecutionem, tum hæc, tum alia nonnulla sequentia denotant.

c Sergio et Baccho in Mombritiana Actorum editione hic adjunguntur Marcus et Apuleius; sed verosimillime, ne dicam indubie, perperam. Videsis Commentarium prævium num. 13.

d Per Gentilium scholam, seu per gentilis vocabulum quid hic significetur, Commentarii prævii § 5 exposui, ubi etiam edivi, quid de militari Sanctorum conditione, munisque, quibus in militia functi fuerint, potestate seu gratia, qua apud imperatorem valuerint, aliisque nonnullis sentiendum autumem.

e In codice nostro, signato Q. Ms. 6, habetur: Qua de re Antiochum quemdam familiarem habens Sergius poposcit ab imperatore, ut dux fieret; hæc autem lectio tum nostra, tum etiam B Mombritiana, quæ nostra vix non deterior adhuc est, præstat.

f Syria, amplissima in Asia sitæ regionis, provincia hæc est, de qua videsis, quæ Comment. prævii num. 27 et tribus seq. edocui. Porro non Augustæ Euphratesiæ seu Euphratarum, sed Orientis dux a Maximiano creatus fuisse Antiochus in Actis Græcis, a Metaphraste adornatis, dicitur; verum, qui Orientis, simul et Augustæ Euphratesiæ dux erat? Adi iterum Comment. præv. num. 26.

g Psalmo 152, v. 1.

h In codice nostro signato P. Ms. 20 legitur: Ut videtur mihi, nimia amicitia mea et benignitate confidentes regalia vultis decreta contemnere, ut deos deseratis immortales, qui, curam vestri gerentes, hujus vobis muneris gratiam contulerunt.

i Ad Titum cap. 2, v. 12 habetur: Erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo.

k Matthæi 10, v. 19 et 20.

l Codex noster, signatus P. Ms. 20 habet: Deorum vero nostrorum genus de legitimis nuptiis magni Jovis derivatur, qui et colendus nominatur, complexu et commixtione beatæ Junonis; quæ lectio etsi forte minus, quam hæc nostra, primariæ lectioni Græcæ consona, spectata tamen sola rei veritate, præstare videtur; neque enim Jupiter et Saturnus, uti isthac indicari videtur, e Junone prognati sunt; sed Jupiter e Junone aliisque mulieribus multos, quos Deos appellare ethnicis placuit, procreavit.

m Duodecim præcipuos, qui Græcè δώδεκα vocantur, Herculi affectos labores designari hic puto. Nec in hac opinione falsum me esse, ostendit iterum codex noster, signatus P. Ms. 20, in quo legitur: Existimo autem, quoniam et heroica et maxima illa duodecim certamina de Jovis genere dei Herculis audita accepistis. Atque ex hoc etiam dicti codicis loco existimo, labores illos duodecim, quos, qui vult, apud Lucretium lib. v, v. 22 et seqq., Ovidium Metamorphoseos lib. ix, v. 182 et seqq. aliosque enumeratas inveniet, in codice nostro Q. Ms. 7 non Theoricis, sed heroicis potius fuisse nominandos.

n Ratiocinia omnia, quæ hic Sanctis et Maximiano affinguntur, quamdamque concertationis speciem præferunt, pro arbitrio ab Actorum auctore videntur conficta, horumque proinde auctoritati ac fidei non parum detrahunt. Adi iterum Commentarium prævium num. 22.

o In Actis Martyrum aliisque antiquioribus monumentis per officium præsidis apparituram et per officiales ipsos apparitores intelligere debes. Ita ad 27 Martii in suis ad Martyrologium Romanum Annotationibus Baronius, ea etiam ibidem adjungens, e quibus intelligitur, et ad officium seu judicum seu civitatum etiam spectasse, qui a carnificibus erant diversi, lictores, sic dictos, quod officium ligandi haberent, et apparitores infimæ militiæ milites, judicibus seu magistratibus servientes, quibus nec ad altiorem militiam aspirare liceret, existisse.

p Videtur et hæc epistola ab Actorum auctore pro arbitrio conficta.

q Adi jam mox Annotata ad lit. o.

r Pro castelli hujus situ videsis Commentarium prævium num. 51, ibidemque, quo, quæ hic in Actis dicuntur, vera esse intelligas, dictis adde, Castellum illud hauri procul ab Arabia, in qua Saraceni sedem habebant, dissitum fuisse.

s Commentarienses ii erant, quibus reorum cura committebatur, sic dicti, quod reorum nomina commentariis inscriberent. Adi Baronium in suis in Martyrologium Romanum Annotationibus ad 27 Martii.

t Id, quod Græcis ἔθλον, Latinis, teste Suida, vocabatur Cippus, eratque quoddam compedis genus, de quo Valesius in suis ad lib. v Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii cap. 1 ita observat: Truncus fuit ligneus, quinque hinc et inde foraminibus, certo invicem spatio divisus, excavatus. In hæc foramina, tamquam in ocreas quasdam, pedes inserebantur noxiorem, et vinculis seu nervis astringebantur, ut ex Aratoris versibus colligitur, quos supra retulimus ad librum iv. Ex hac porro cippi, quam Valesius hic simul adducit, descriptione seu notitia dubitandum non apparet, quin hic in Actis per percussa, seu potius, quemadmodum in duobus horum alii, editionis nempe Mombritianæ et codicis nostri Q. Ms. 6, exemplaribus exaratur, pertusa idem designetur, quod per foramina in data cippi descriptione. Atque ex hisce omnibus, maxime cum ii, quorum pedes ad plura foramina extendebantur, longe durius ac gravius, utpote crura intolerabili fere modo divaricari sibi patientes, torquerentur, jam fluit, ut lectione, qua et hic, et, unius dumtaxat alteriusve vocis discrimine intercedente, in editione Mombritiana nostroque codice Q. Ms. 6 legitur: Suscipe legatos \* homines et eos in militari depone custodia sine aliqua consueta molestia. Nam in pluribus cippi percussis pedes eorum mitte, præstet sane hæc altera codicis nostri P. Ms. 20 lectio, quæ sic habet: Suscipe vinctos; fac eos sub militari servari custodia... Præter solitam cautelam nihil patiantur, neque pluribus ligni foraminibus pedes eorum astringantur.

u Codex noster, qui signatur P. Ms. 20, habet: Respice, Domine, in testamentum tuum, quoniam repleti sunt tenebrosi terræ domibus iniquitatum; Psalmo autem 75, v. 20 legitur: Respice in testamentum tuum; quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.

CAPUT II.

\* ligatos

A

## CAPUT II.

*Sanctorum apud Antiochum  
in fide constantia, mors  
hinc illis illata, miracula  
hanc secuta, sepultura,  
honorque iisdem a Christi-  
anians delatus.*

**M**ane autem facta, sedit in prætorio dux et vocavit commentariensem *a* et dixit ei : Ingre-  
diantur legati \*. Commentariensis dixit : Adsunt  
in iudicio potestatis tuæ, domine. Adstantibus  
autem Sanctis imperatoris epistolam legit. Quo  
facto, dux Antiochus, summotus a consiliario  
suo, dixit : Oportebat quidem vobis imperato-  
ris semper implere præcepta et diis sacrificare,  
ut gratiam ab his habeatis; quoniam autem,  
nescio, quomodo, hoc facere minime voluistis,  
et de tali gloria cecidistis, vel nunc sacrificare  
diis, scientes, quia, si hoc faciatis, plus quam  
antea honorem atque gloriam apud homines  
habeatis, recipientes militias vestras et res,  
quæ sunt a vobis ablatae, multiplicentur. Hoc  
enim ex præceptis imperialium litterarum co-  
gnovimus, sicut et vos audistis. Humanus enim  
constitutus imperator vester promisit vobis, ut,  
si propter priora pœnitueritis, et sacrificetis  
diis, hæc omnia reddantur vobis; quod ego sua-  
deo facere vos, memor amicitia vestrae atque  
beneficiorum, quæ de te maxime, domine meus,  
habui, Sergi. Sin autem hoc facere minime vo-  
lueritis, necesse mihi est, imperatoris præcepta  
severiter adimplere.

**17** His respondentes Sancti dixerunt : Nos ideo  
dimisimus omnia et secuti sumus Christum, ut  
terrenam militiam contemnentem angelis in  
cælo commilitemus, et illas, quæ in terra, pe-  
cunias jactantes, cælestes divitias habeamus.  
Mundum enim proficiat nobis, si totum lucremur  
mundum, animas autem nostras perdamus?  
Ergo noli suadere nos, Antioche, talia; lingua  
enim tua dolosa loquitur, et venenum de aspi-  
dibus sub labiis tuis est. Sed non tangit ani-  
mas nostras oratio tua, quæ ad perditionem nos  
provocat. Fac, quod vis; nos enim ligna atque  
lapides non adoramus; sed Christum Filium  
Dei, Regem æternum, cui flectitur omne  
genus cælestium atque terrestrium et inferno-  
rum; et omnis lingua confitetur ei. Dii enim  
vestri non sunt dii, sed idola manufacta. Nam  
si erant dii, ipsi sibi faciant homines sacrificare,  
et non ex providentia hominum vindicaban-  
tur \* ab his, qui nolunt his sacrificare atque  
adorare *b*.

**18** Respondens autem dux Antiochus dixit :  
Nos non deos vindicamus; nam eorum provi-  
dentia omnis inimicorum subjecta nobis est  
virtus; sed culpamus vos, quia incestam atque  
nefandam colitis religionem. Responderunt  
autem sancti martyres et dixerunt : Incesti,  
nefarii vos estis et qui vos sequuntur, et sacrifi-  
cant dæmoniis et adorant ligna, quæ post  
modicum in ignem mittuntur. Tunc iratus valde  
dux Antiochus beatum quidem jussit Sergium  
iterum custodiæ recipi, beatum vero Bacchum  
Octobris Tonus III.

extensum brutulis crudis cædi in tantum usque  
dum illi, qui cædebant illum, in terram lass  
cecidissent. Illis autem de labore lassis, jussit  
alios regirare sanctum martyrem Bacchum, et  
his iterum ventrem ejus cædi, et ipse dicebat :  
Sine, videamus, si potest adjuvare Christus,  
quem tu dicis esse Deum. Diu autem Sancti cor-  
pore cæso et sanguine circumfluente, dixit ad  
Antiochum martyr Bacchus : Ministri sathanæ,  
cædentes lassii sunt, audacia tua cecidit. Tyranus  
Maximianus victus est et pater vester dia-  
bolus *c*. Quantum enim, quod extra me corpus  
est, corrumpitur, tantum, qui est intus, reno-  
vatur homo ad futuram vitam *d*.

**19** Hæc dicente eo, vox de cælo facta est  
dicens : Veni jam ad paratum tibi regnum,  
Athletha Bacche; circumstantes autem audientes  
vocem obstupuerunt, et facti sunt, tamquam  
vani, et, dum cæderetur Sanctus, tradidit ani-  
mam in manibus \* angelorum *e*. Iratus autem  
Antiochus jussit, ut nec corpus ejus sepeliretur;  
sed canibus, bestiis, ac volucris projiceretur;  
cumque corpus ejus projiceretur longe de castro,  
collecta est multitudo bestiarum ac circumde-  
derunt eum; aves vero desuper volantes non  
permittebant crudeles bestias, ut tangerent  
eum *f*. Et sustinuerunt custodientes eum usque  
in noctis tempestatem; vespere autem facta, de-  
scendentes quidam de ibidem habitantibus fra-  
trum in speluncis tulerunt sanctum corpus ejus,  
permissi a bestiis, veluti a quibusdam rationa-  
bilibus hominibus, sepelieruntque eum in una  
despeluncis eorum *g*. Beatus vero Sergius, nimis  
anxius ac contristatus, derelictus est solus et  
flens dicebat : Heu me, Bache frater meus et  
contubernalis, numquam cantabimus dicentes :  
Ecce quam bonum et quam jocundum habitare  
fratres in unum. Ascendens namque in cælum  
segregatus es a me, relicto me super terram  
solitario.

**20** Hæc eo dicente, in eadem nocte astitit ei  
beatus Bachus, candidam habens faciem tam-  
quam angeli, indutus habitu militari, dixitque  
ei : Qui contristaris aut quid anxiaris, frater?  
Etsi de corpore abscessi a te, sed confessionis  
vinculo tecum sum psallens et dicens : Viam  
mandatorum tuorum cucurri, cum dilataris \*  
cor meum. Et tu ergo, Frater, festina, ut per  
bonam et integram confessionem pervenias ad  
me, cursum consummans et fidem custodiens.  
Tecum enim mihi reposita est justitia et co-  
rona *h*. Diliculo igitur consurgens narravit his,  
qui cum eo erant, in quali habitu vidisset bea-  
tum Bachum nocte. Sequenti itaque die egres-  
sus dux de castro Barbarisso in castrum  
Syrum *i* jussit et beatum Sergium sequi, de-  
precaturque eum, ut sacrificaret. Ille autem  
respuens blanditias ejus iter suum cum pace  
faciebat.

**21** Venientibus ergo eis in castrum Syrum,  
sedens Antiochus pro tribunali in prætorium  
convocavit ad se beatum Sergium dicens ei :  
Bachus quidem impiissimus nolens obtempe-  
rare ad sacrificandum diis elegit vita privari,  
dignamque sibi mortem adeptus est. Tu vero,  
domine meus Sergi, ut quid seductorem et  
impium illam religionem sequens ad tantam te  
tradidisti miseriam? Revereor enim te, memor  
beneficiorum tuorum, et confundor te \*, qui  
principatum hunc tu mihi providisti. Et tu  
quidem, ut reus in ordine examine \*, existis,  
ego

AUCTORE  
ANONYMO.

c

d

occisique cor-  
pus feris de-  
vorandum  
projici jubet.

\* al. manus

e

E

f

g

Nocte a Bac-  
cho sibi appa-  
rente ad cer-  
tamen Ser-  
gius anima-  
tur,

\* al. dilatasi

F

h

i

die sequenti  
blanditias ab  
Antiocho ten-  
tatur, dum-  
que et ad has,

\* al. in te

\* al. exami-  
natusSanctos ad se  
adductos, ut  
diis sacrifi-  
cent, hortatur  
Antiochus;a  
\* ligaticerum hi in  
Christi con-  
fessione persi-  
stunt constan-  
tes.\* al. vindi-  
centurb  
Hinc Antio-  
chus Bacchum  
taureis ad  
mortem usque  
cædi,

AUCTORE  
ANONYMO.

ego autem in sede praesidentis resideo. Respondens autem martyr Christi Sergius dixit: Afflictio ista temporalisque confusio magnam fiduciam atque aeternam gloriam pariet apud Regem caeli et terra, omnisque spiritus Christum Jesum Filium Dei. Utinam quoque et nunc audires me, et cognosceres Deum et Regem meum Christum et providentiam tui faceres, quemadmodum apud terrenum et mortalem imperatorem, ita etiam et apud Christum, caelestem atque aeternum regem, ut concederetur tibi insuccessibilis principatus et gloria immortalis.

et ad minas  
manet immo-  
tus,

22 Terreni quippe principes cadunt velociter, quod Psalmus dixit: Vos autem ut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis *k*. Et iterum: Vidi impium exaltari et elevari usque ad cedros libani. Quasivi eum et non est inventus locus ejus *l*. Dux Antiochus dixit: Fatuas has et indisciplinatas superfluitates relinque et sacrifica diis, et obediens esto venerabilium praceptorum imperatoris nostri Maximiani. Si autem sacrificare nolueris, cognosce, quod compellere me habes oblivisci omnium, quae mihi praestitisti, et legalibus te acerrimis suppliciis subjiciam. Beatus itaque Sergius dixit: Fac, quod volueris; Christum enim habeo, adjuvantiem me, qui dixit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt; animam autem non possunt occidere. Magis autem time te, qui potest animam et corpus perdere in gehennam *m*. Corpus igitur meum subjacet tibi; puni et afflige, quantum volueris, hoc sciens; quod, etsi corpus meum peremeris, in animam meam potestatem habere non poteris neque tu, neque pater vester satanas.

cothurnis clavatis indutus novem miliarium spatio currere compellitur.

25 Indignatus ergo dux dixit: Ut videtur, humanitas mea audaciorum et procaciorum te fecit. Convocavit ergo adiutorem officii sui et dixit: Cyrenos *n* longis clavibus confixos, et clavos eorum rectos relinquentes, eum velociter induite; cumque indueretur, sedens in carruca Antiochus jussit eum ante se currere, praecipiens, ut usque ad castrum Tetrapyrgium velociter agerentur jumenta. Distat vero hoc castellum a Syro milia novem *o*. Currans vero psallens dicebat: Expectans expectavi Dominum et respexit me et eduxit me de lacu miseriae paganorum et de luto faecis idolatriae, et constituit super petram confessionis pedes meos. Cumque venissent in castro Tetrapyrgia, Antiochus dux dixit: Admiror de te, Sergi, quomodo in tanto officio examinatus potuisti nunc tam gravia sustinere supplicia. Sanctus vero Christi Martyr respondens dixit: Non sunt mihi amarae poenae tuae, sed dulces super mel et favum. Descendens dux de carruca ivit in praetorium, praecipiens in militari custodia Christi Martyrem custodiri.

Ast Sergius, sanatus ab angelo, quae in pedibus acceperat, vulneribus,

24 Vespere autem facto cantabat beatus Sergius dicens: Qui edebant aliquando panes meos, magnificaverunt super me calcaneum suum, et funibus poenarum gravissimarum extenderunt laqueum pedibus meis, volentes me supplantare. Sed exsurge, Domine, praevieni eos et subverte eos, et libera ab impiis animam meam. Circa mediam autem noctem angelus Domini adstans restituit pedes ei salvos *p*. Diluculo itaque sedens dux pro tribunali jussit eum adduci, aestimans, quod ex dolore nec incedere potuisset, nisi forsitan portaretur. Cum adduceretur, videns eum a longe dux ambulantiem, et nullatenus claudi-

cantem, exterritus dixit: Hic homo magus est; idcirco tantam fiduciam habere potuit apud imperatorem, magicis artibus hanc adipiscens, et illorum, quae dicuntur, indicia sunt, quae videntur. Arbitrabar quippe, eum nullatenus potuisse pedibus ambulare, utpote qui inutiles in quid fuerant exhibiti ex hesterno supplicio. Quomodo autem nunc, tamquam si nihil sustinuerit, incedit, per deos admiror.

25 Adistente ergo ante tribunal beato Sergio, dixit Antiochus: Miser, respice tandem aliquando, et sacrifica diis et exue te de futuris suppliciis. Parco enim tibi memor beneficiorum tuorum. Sin vero non sacrificaveris, cognosce, quod nihil te juvabit magiae tuae, quibus te salvum fieri putabas. Respondens autem beatus Sergius dixit: Utinam tu respiceres de ebrietate diabolici erroris! Ego enim sobrius sum in Domino, qui contrivit arma patris tui diaboli sub pedibus humilis servi ejus; qui mihi tribuit adversum te victoriam; qui mihi misit angelum suum et salvabit me. Nam magus profecto tu es et qui daemones adorant. Daemonum quippe nec nominanda cultura omnis impietatis adinventrix est. Id namque est et principium et causa et finis totius malitiae *q*. Amplius vero exacerbatus Antiochus iterum sedit in carruca, et jussit eum indutum eosdem coturnos ante se currere usque in castrum, nomine Ruzafatam *r*, quod novem milia distat a Tetrapyrgia.

idololatrias nihilominus redarguens eidem iterum tormento subicitur.

\* al. salvavit

E

q

r

26 Dum autem venissent in Ruzaphatam castrum, dixit beato Sergio dux Antiochus: Miserrime, fugaverunt instantiam fatuitatis tuae poenae clavorum, ut adquiescas tandem sacrificare diis, aut persistis in ea, quae te praecipitavit, instantia? Respondens autem fortissimus Christi Martyr dixit: Cognitum tibi sit, Antioche, quoniam per hanc fatuitatem persistam ad dissolvendam virtutem tuam patrisque tui diaboli. Fac ergo, quod velis; ego enim daemones non adoro, neque idolis sacrifico, sed Domino Deo meo immaculatum sacrificium meipsum offerre festino. Videns ergo Antiochus, quia fixus et immobilis erga fidem Christi atque confessionem persistebat, talem adversus eum dedit sententiam. Sergium, qui indignum seipsum deorum pietate monstravit, impiissima vero haeresi eorum, qui appellantur Christiani, se inseruit, offendit autem in magnam Maximiani imperatoris fortunam, eo quod noluit obediens esse venerabilium \* ejus edictis, ut diis sacrificaret, hunc leges gladio animadverti praecipiant. Quidam igitur de assistentibus justam esse adclamabant, quae in eum erat prolata, sententiam. Venientes ergo apparitores interposuerunt funem labiis ejus et accipientes eum de medio secretarium duxerunt, ut gladio periretur.

nec hinc diis sacrificare volens tandem jussu Antiochi,

\* Mombrit. venerabilibus

27 Plurima itaque multitudo virorum ac mulierum eum subsecutae sunt, ut exitum Beati aspicerent. Videntes igitur flores vultus ejus et juvenilem aetatis magnitudinem amarissime flebant, suspirantes super eum. Bestiae vero ejusdem loci, cubilia sua relinquentes, commixti omnes convenerunt, nulli hominum insidias facientes, et tacti clamoribus, sancti Martyris interitum considerabant *s*. Dum appropinquarent ad locum, in quo consummaturus erat Christi martyr Sergius, postulabat spiculatoris modicas ei praebere inducias, ut oraret. Extendens

fusa ad Deum, quae hic recitatur.

s

A dens quoque manus suas in cælum dixit. Bestiæ agri et volatilia cæli tuam dominationem atque imperium, Domine, cognoscentes, collecti sunt in gloriam sancti nominis tui, quatinus rationalium hominum scientiam per suam confessionem ad te convertantur\*, qui tuæ bonitatis nutu ac voluntatis vis, omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Intermitte quidem mortem, expectans penitentiam, ne memineris, Domine, peccatum ignorantia eorum, quam in nos pro tuo nomine protraxerunt.

\* *al. convertant*

*oratione, capite truncatur.*

28 Illumina oculos cordis eorum et perduc eos ad tuam cognitionem. Suscipe denique et animam meam et requiescere eam fac in cælestibus tabernaculis tuis cum eis, qui tibi a sæculo placuerunt. Tibi enim animam meam commendo, quoniam eruisi me de laqueo diaboli. Hæc igitur dicens, et signans seipsum et flectens genua, capite truncatus est et tradidit angelis animam suam *l.* Vox autem de cælo facta est dicens: Sergi, miles meus et athleta, ingredere in regnum, quod tibi paratum est. Expectant enim te angelorum militia, numeri patriarcharum, Apostolorum et prophetarum cætus, spiritus iustorum, ut cum eis bona percipias, quæ tibi præparata sunt *u.* Locus autem, in quo susceptus est sanguis sancti Martyris, divisus magnam voraginem fecit, Deo ita dispensante, quatinus eos, qui veluti sues in cæno volutabantur, terrore visæ voraginis non auderent appropinquare et conculcare in ipso loco sanguinem sancti Martyris. Et ideo pro hac re magnum illud chaos factum est, et sic remansit locus ille usque in præsentem diem, continens ex divino nutu vetustatis indicia *x.* ut, qui non credunt, specialiter existente miraculo, firmum in eis ædificet fidei fundamentum.

*l.*

*u.*

*x.*

*diuque post corpus ejus auferre Surenis incassum conatis,*

29 Quidam proinde de his, qui convenerant ad videndum sancti Martyris exitum, animadvertentes intuitum communis naturæ collegerunt corpus ejus, et optime sepelientes posuerunt eum in eodem loco, in quo et passus fuerat. Post multum igitur tempus religiosi viri zelo Christi incitati cœperunt expoliare corpus de loco suo, venientes de castro Syro, veluti quemdam thesaurum pretiosissimum; sanctus vero Sergius non permisit corpus suum occulte transferri, quod publice propter Christi confessionem triumphalibus suppliciis punitum est, sed deprecatus est Deum, ignem succendi in eodem loco, non ut eos, qui furari conabantur, ulcisceretur, aut etiam exureret, sed caliginem quoque noctis illustraret tale furtum in Ruzaphatam castellum; quod et factum est. Incenso ergo igne in loco, ubi corpus jacebat, quidam de habitatoribus castri videntes, penitusque usque in cælos flammam elevari, putaverunt, a quibusdam hostibus maximum illum ignem factum fuisse, et armati egressi sunt, et persequerentur eos, qui furari temptaverunt corpus sancti Martyris; illi autem postulantes eos permiserunt ibidem diebus paucis persistere; et ædificium facientes ex lapidibus et luto in loco, ubi jacebat, et cooperientes super in honorem Martyris sic recesserunt *y.*

*y. insigni ecclesia in honorem suum extructa a Christianis honoratur.*

50 Paulatim itaque proficiente religione Salvatoris nostri Domini Jesu Christi, convenientes in unum sanctissimi episcopi, numero quindecim, ædificaverunt juxta castrum Ruzafatam Cymiterium dignum confessionis ejus, transtu-

leruntque ibidem sancti Martyris corpus et deposuerunt in eodem martyrio per eandem diem, qua passus est, die septima mensis Octobris *z.* Multæ denique salvationes et miracula peraguntur, ubicumque ejus sanctæ reliquiæ fuerint, præcipue in sepulchro, ubi prius jacuerat. Affectu namque loci, in quo passus est, deprecatur idem sanctus Martyr Dominum, ut omnes, qui illuc concurrunt, a diversis ægritudinibus curentur. Obsessos vero ab spiritibus immundis curat; nec non et bestiæ agrestes in mansuetudinem convertuntur. Diem namque, qua passus est, annualiter custodiunt veluti legitimam bestiæ, concurrentes a deserto, quod est in circuitu, et commixti cum hominibus nulli omnino insidiantur, neque ferali impetu in læsionem concurrentium utuntur *aa.* Magis autem in mansuetudine Martyrem Christi honorantes persistunt in eodem loco erga præceptum Domini, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

AUCTORE ANONYMO.

*z.*

*aa.*

## ANNOTATA.

*a Pro vocabuli hujus significatione adi, quæ in Annotatis, capiti præcedenti subnexis, ad lit. s dicta sunt.*

*b Multum roboris huic, quod, velut a Sanctis contra deos adductum, hic obruditur, argumento inesse, non perspicio, cum ipsemet verus Deus reliquerit hominem in manu consilii sui, nec quemquam, læsa arbitrii libertate, ad sui cultum compellat.*

*c Codex noster, signatus P. Ms. 20, sic habet: Videamus, si te Christus tuus de manibus meis eripiat; a prima autem hora usque ad vesperam laceratis ejus carnibus, et cruore hinc atque inde circumfluente, uteroque ejus disrupto ac jecore, dixit beatus Bacchus ad Antiochum: Minister diaboli, tortores tui defecerunt, fiducia tua destructa est, tyrannus Maximianus devictus est, pater vester diabolus confusus est.*

*d Videntur et hæc, quæ hic tum Antiocho, tum Sanctis attribuuntur, quamdamque concertationis speciem præferunt, sermocinationes pro arbitrio sane a biographo confictæ. Verum adi Commentarium prævium num. 20.*

*e Martyrii, quod hic narratur, genere vere occubuisse S. Bacchum, ex iis, quæ Commentarii prævii num. 53 disserui, credendum apparet. Verum quid de voce, divinitus facta, omnibusque adstantibus audita, qua ad cælum Bacchus evocatus fuerit, statuendum? Enimvero est, cur, an ea facta reipsa fuerit, non immerito dubites, ut ex iis, quæ dicti Commentarii prævii num. 56 disserui, facile intelliges.*

*f Duplex, quod hic adstruitur, miraculum parum admodum credibile apparet, nec scio, an in ultiis fidei undequaque probatæ actis simile inveniat. Vides Commentarium prævium num. 20 et 21.*

*g Lectioni huic, utut mendosæ, consonat altera, quæ ei in codice nostro Q. Ms. 6 respondens occurrit; verum præstant, quas editio Mombritiana et codex noster P. Ms. 20 suppeditant; ac editionis quidem Mombritianæ hæc est: Et sustinuerunt custodientes eum usque in tempore noctis. Vespere autem facto, descendentes quidam... tulerunt sanctum corpus ejus... sepelieruntque eum in una e speluncis eorum; codicis vero ista: Cum igitur eum usque ad vesperam profundam*

*E*

*F*

A profundam volatilia custodissent, sero jam facto, descenderunt quidam.... et in spelunca corpus Sancti Viri tulerunt atque sepelierunt.

h *En jam tertiam, quæ in Sanctorum nostro- rum Actis occurrit, caelestem apparitionem. Verum quid de frequentibus apparitionibus ac miraculis, quæ in Actis, per auctores haud synchronos scri- ptis, occurrant, sentiendum sit, Commentarii prævii num. 22 edia.*

i *Pro horum seu castrorum, seu, uti alias etiam vocantur, oppidorum situ notitiaque videsis Commentarium prævium num. 27 et aliquot seqq.*

k *Ita fere Psalmo 18, v 7.*

l *Psalmo 56, v 53 et 56, uti et in codice nostro, signato P. Ms. 20 legitur: Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani, et transivi, et, ecce, non erat, et quæsi eum et non est inventus locus ejus.*

m *Ita fere Matthæi 10, v 28.*

n *In codice nostro Q. Ms. 6 etiam legitur Cyrenos; verum et hic et ibi mendum cubare puto. Præterquam enim quod nulla insit vocabulo huic significatio, in editione Mombritiana legitur Cothurnos, uti etiam infra, dum ejusdem signifi- cationis vocabulum recurrit, in ipso codice nostro Q. Ms. 7 et altero jam dicto, qui signa- tur Q. Ms. 6.*

o *Distantia, quæ hic Suram inter et Tetrypy- gium, infraque castellum hoc inter et Resapham, seu, corrupta hic vocabuli hujus efformatione, Ruzaphatam ponitur, minime pugnat cum distan- tia, quam inter postremum hoc, seu castellum seu oppidum, et Suram statuit Procopius. Adi Com- mentarium prævium num. 54, ibidemque dictis adde, vocem Tetrypygium compositam indubie esse e duabus vocibus Græcis τετραπύξη seu τετραπύξη et πυργός, quarum prior quatuor, posterior tur- rim significat; ut castellum illud, indita ei, quæ ab ipsa re deducta esset, nomenclatione, quatuor turribus verosimillime constiterit.*

p *Nec, quæ hic narratur, cum altero præterea miraculo conjuncta apparitio credibilior ceteris, supra relatis, potest videri. Adi Commentarium prævium num. 22 et 56.*

q *Videntur et hæc iterum, aliaque infra adhuc occurrentia, quæ S. Sergio Antiochoque adscri- buntur, ratiocinia a biographo pro arbitrio con- ficta.*

C *r de Castello hoc, quod communius Resapha seu Rosapha a scriptoribus antiquis vocatur, quodque S. Sergius pro palæstra, in qua marty-*

*rium consummarit, obtinuit, videsis, quæ dicta D sunt tum in proxime Annotatis ad lit. o, tum in Commentario prævii num. 27 et aliquot seqq.*

s *Nec pro miraculi hujus veritate eadem ego me ponere velim. Adi iterum Commentarium prævium num. 22 et 56.*

t *Quin re etiam vera, uti hic traditur, S. Ser- gius gladio martyrium consummarit, ex iis, quæ hac de re Commentarii prævii num. 53 et seq. disserui, vix ullus superest dubitandi locus.*

u *Quod mox de voce, quæ, cum Bacchus mar- tyrio coronaretur, calitus delapsa fuerit, in Anno- tatis, capiti præcedenti subnexis, ad lit. e, edixi, idem hic de voce, quæ, cum Sergius gladio fuisset percussus, celo delapsa asseritur, dictum exi- stima.*

x *Fidesne certa miraculo huic adhibenda sit, ex iis, quæ Commentarii prævii num. 22 et 56 dicta sunt, statue. Sanctorum interim Acta ab au- ctore synchrono scripta non esse, ex hoc illorum loco intelligitur, uti Commentarii prævii num. 16 jam monui.*

y *Quidquid sit de prodigio hic relato, cum longo equidem post S. Sergii martyrium tempore patratum fuisse, a biographo tradatur, liquet et ex hoc Actorum loco, uti etiam ex altero, qui proxime sequitur, ab auctore, qui Sanctis syn- chronus viverit, scripta illa non esse, quemad- modum in Commentario prævii num. 16 et seq. jam docui.*

z *Cum martyrium, apud antiquos idem, quod ædes quæcumque sacra, seu parva seu magna, in honorem martyris exstructa, significat, per vo- cabulum illud hic intelligi puto insignem eccle- sias, ab Alexandro, Hierapolitano episcopo, S. Sergio, seu potius huic simul et S. Baccho Resaphæ anno circiter, uti in Commentario præ- vio § 4 docui, 450 exstructam. Et vero ædes isthæc sacra in codice nostra P. Ms. 20, non martyrium, sed basilica vocatur.*

aa *Resapha seu Sergiopolis, qua in civitate martyrio coronatus tumulumque nactus fuit S. Ser- gius, in solitudine feris plurimis redundante sita erat; ut hinc forte (neque enim feræ hominibus, dum plures uno eodemque loco congregati sunt, nocere solent) a credulo prodigiorumque amanti vulgo id, quod hic narratur, quodque, nullo inter- veniente miraculo, fiebat, miraculo tamen fieri creditum fuerit, resque præterea, non ut erat, sed adjunctis falsis aucta ad biographi cognitionem pervenerit.*



## ACTA ALTERA,

Auctore Symeone Metaphraste,

*Ex Ms. Medicæo bibliothecæ regiæ Parisiensis, Latine  
versa a Lipomano tom. VI a pag. 317.*

## CAPUT I.

*Sancti tamquam Christiani apud Maximianum accusantur, tales ab eo deprehenduntur, ludibrioque habentur,*

**Μ**αξιμιανὸς βασιλεύσας τοῦ τυράννου, καὶ τῆς οἰκουμένης σχεδὸν ἀπάσης ὑπὸ βλάβῃ σκότος τῆς ἀσεβείας κειμένης, λίσσεται καὶ ἕλτα τῶν ἀνθρώπων τιμῶν οἷα θεοὺς ἀνακαλομένους, καὶ μισροτάτων ἀπογεσθεῖν θυσιῶν, Σέργιος καὶ Βάκχος, Ῥωμαῖοι τὸ γένος ἀμφω, τῆ περι τῶν Χριστῶν ὁμολογία καὶ πίσει, κατὰ τοὺς διαφανεῖς ἀστέρας ἐν τοῖς βασιλείαις τῶν θνηταῦτα διέλαμπον, οὐ τῶν πολλῶν ὄντες καὶ ἀσήμεν, ἀλλ' ὁ μὲν πριμικηρίος τῆς τῶν κεντιλιῶν σχολῆς ὁ Σέργιος, σεκουδουκήριος δὲ ταύτης ὁ Βάκχος ἦν, μεγάλα μὲν παρὰ βασιλεῖ Μαξιμιανῷ δυνάμενοι, μέζονα δὲ τὴν παρὰ τῷ ἀθανάτῳ βασιλεῖ καὶ θεῷ παρρησίαν κησάμενοι, ἀτε σκνήν μὲν τῶν δὲ βίου καὶ παροικίαν καὶ εἰ τι ἄλλο τῶν οὐκ ἐσώτων ἠγούμενοι, ἔμποροι δὲ ἀγαθοὶ τῆς ἑαυτῶν γινόμενοι σωτηρίας, καὶ τὴν ἐν τῷ μέλλοντι ζωὴν διὰ τῶν παρόντων πραγματευόμενοι, καὶ ὡσπερ τινα πρὸς τὴν ἐκείνης κτήσιν διδασκαλίαν καὶ τέγγην, τὰς θείας μετιόντες Γραφὰς καὶ ταύτας ἀεὶ διὰ χειρὸς ἔχοντες.

**Ἔ**σεν οὖδὲ ἀνεκτὰ τῷ φθόνῳ κατέση, ἀλλὰ τινες τοῖς γενναίοις τῆς ἄλλης ἀρετῆς, καὶ δὴ καὶ τῆς εἰς αὐτὸν βασιλεία παρρησίας βασικήνυτες πρὸς αὐτὸν ἐκείνον τὸν τῆς παρρησίας αἰτίων βασιλεῖα τοὺς ἀνδράς ἐνδιαβάλλουσιν, ὡς ὀλιγορήκασιν μὲν τῆς ἐκείνου φιλίας, ἠλόγησαν δὲ καὶ τῆς πρὸς θεοὺς θεραπειίας, καὶ πρὸς ἑτέραν ἤδη θερησιῶν ἀπέκλιναν, Χριστιανούς ἑαυτούς καὶ Χριστοῦ δούλους ἐπιφροῦζοντες· Μαξιμιανὸς μὲντοι καὶ αὐτὸς εἰδὼς ὅτι πολλοὺς πολλάνικαι αἱ διαβολαὶ φθόνου αἰτίας ἔχουσι, οὐκ ἀλήθειαν, ἀλλως δὲ καὶ τὴν τῶν ἀνθρώπων εὐνοίαν ὑπόση μὴ ἀνοῶν, ἀλλὰ καὶ τὴν οἰκείαν ἀπηνειάντε καὶ αἰσθηρίαν ἐπὶ νοῦν ἔχων, ταύτη γὰρ καὶ μάλιτα διαφρίει τῶν ἄλλων αὐτὸς ἐφιλοτιμείτο· καὶ ὡς εἰ τάχα καὶ τῆς εὐνοίας ἐκεῖνοι ταύτης καὶ τῆς φιλίας ὑπεριδεῖν ἔκρωαν, ἀλλὰ τὸν κίνδυνον ἂν ἐροβήθησαν, ἀπίσανάτε ἠγείτο καὶ ψευδῆ τὰ λεγόμενα, καὶ ὅτι μὴ ἀβασανίσως ταῦτα προσδέχεσθαι δεῖ. Τί οὖν ἐποίησε; θυσιῶν φιλότιμον καὶ πολυτελῆ παρασκευασάμενος, καὶ συνελθεῖν εἰς τὸ ἱερόν ὅσον περὶ αὐτὸν ἐπιφανὲς ἦν, κοινωῆσαι αὐτῷ τῆς θυσίας πρότερον παραγγείλας, ἐνευδεῖν δοκιμάσαι τὸ πρᾶγμα καὶ τὴν διαβολὴν διεσκέφατο.

**Ἔ**σσει μὲν οὖν αὐτὸς πρῶτος· συνεσφεί δὲ

**C**um Maximianus tyrannus imperaret, et universus fere orbis terræ jaceret in profundis tenebris ignorantia; lapidesque et ligna cogentur homines adorare tanquam deos, et maxime execranda (proh dolor!) gustare sacrificia a, Sergius et Bacchus, ambo Romani genere, in Christum confessione et fide, non secus ac lucidæ stellæ, tunc refulgebant in regia. Non erant autem plebei, nec obscuri: sed Sergius quidem erat primicerius scholæ Centiliorum b, secundicerius autem hujus Bacchus: qui multum quidem poterant apud Imperatorem Maximianum c, majorem autem sibi paraverant fiduciam apud Regem et Deum immortalem, ut qui tabernaculum quidem et incolatum et exilium, et si quid aliud est his vilium, hanc vitam existimarent. Cum essent autem boni mercatores suæ salutis, et, quæ est in futuro, vitam compararent per præsentia, veluti quandam artem ad illam acquirendam, divinas exercebant scripturas, et eas semper habebant præ manibus.

**Ἔ** Quocirca hæc non potuit tolerare invidia: et cum quidam alii, tum alias quoque virtutes, tum apud ipsum Imperatorem fiduciam viris præclaris inviderent, apud illum ipsum eorum fiduciae authorem, nempe imperatorem, eos accusant: quod illius quidem contempserunt amicitiam, deorumque cultum quoque neglexerunt: jam autem ad aliam declinarunt religionem, se Christianos et Dei servos vocantes. Maximianus autem, etiamsi sciret, quod sæpe multi calumniæ invidiam causam habent, non veritatem, maxime autem cum non ignoraret, quanta esset eorum in ipsum benevolentia: quin etiam animo versaret suam sævitiam et acerbitatem, (ea enim vel maxime aliis contendeat antecellere), et quod si forte deorum benevolentiam, et illius amicitiam statuissent despiciere, periculum quidem certe timuissent: existimaretque, esse non probabilia, sed falsa, quæ dicebantur: ea tamen admittenda non esse citra examinationem, ut consentaneum erat, considerabat. Quid ergo facit? Cum splendidum et magnificum parasset sacrificium: et quicumque erant clari et illustres, in templum convenire, et sacrificii cum eo esse participes prius jussisset, rem deinceps examinare constituit.

**Ἔ** Atque ipse quidem primus ingreditur: simul

Sancti, plurimum auctoritate ac gratia valentes,

a

b

c

aliorum incurunt invidiam, ab hisque fidei in Christum insimulantur; quod an verum sit,

F

AUCTORE  
SYMBONE  
METAPHRASTE  
imperator  
Maximianus  
exploraturus  
templum adit,

\* seculorum

accessit ad  
se Sergium et  
Bacchum diis  
sacrificare,

idque facere  
venientes ac  
Christum  
confitentes

mul autem cum eo ingreditur etiam magna multitudo, et erat universa in templo congregata. Et alii quidem diligenter peragebant sacrificium, et praesentem observabat Maximianum; Sergius vero et Bacchus, viri generosissimi, ne templi quidem portam ingressi, foris stabant alicubi, ipsi Deo potius purum et verum peragentes sacrificium, et pro aliis rogantes: Domine, Domine, dicebant, Deus Rex singulorum\*, exaudi vocem nostrae orationis, et propitius esto hereditati tuae. Parce Domine, et ne eos dederis ad gloriandum adversario. Sed illumina Domine, illumina oculos cordium eorum, et eos deduc ad tui agnitionem, qui nunc in tenebris ambulat ignorantiae, et mutaverunt gloriam tuam, qui es solus Deus, et alienus ab interitu, in similitudinem bestiarum, quadrupedum et serpentium, et a te defecerunt, et sacrificaverunt eorum sculptilibus, et nomen sanctum tuum contemptui habuerunt. Convertite eos, Domine, et cognoscant mirabilia tua, et unigenitum tuum Filium, et Salvatorem nostrum, qui voluntaria Cruce et morte nostram procuravit salutem. Porro autem nos quoque

4 Maximianus interea templum ingressus, cum huc et illuc circumspexisset, solos vero illos, Sergium et Bacchum, non vidisset in templo adesse cum aliis, tunc id, quod fiebat, statuit aperte probare eam, quae in ipsos intendebatur, accusationem: prolinusque exarsit consueta illius saevitia, feritas et ira: et, Quid cunctamini? dixit iis, qui adstabant: et frequenter repetit illud, Ducantur execrandi, cum jussu terribili. Ducuntur ergo Martyres cum iisdem vestibus, tunicis, et zonis, una lingua versantes illam dulcem precationem. Deinde imperator principis extollens supercilium, superque et torve eos intuens: Videmini, inquit, non in tempore mea esse abusi fiducia, et propter hanc, qua in vos usi sumus, benevolentiam nos magnae damnatae stultitiae, et contra nostram insurrexisset potentiam, et impii quidem esse in deos ipsos, ingrati autem in nos et injusti. Sed, nisi sacrificaveritis, et deos, et nos simul placaveritis, ego meae satis medebor querelae: et vos statim aperte sciatis, summa benignitate et mansuetudine frui nolentes, qualem meam in vos iram nuper movistis.

5 Haec cum Viri illi praecleari audiissent, et cognovissent, se jam omnino manifestos evasisse imperatori, et non oportere amplius celare pietatem, et occasionem praeterire, sed potius quam possunt maxime publicare et pro ipsa magnam afferre fiduciam et dicendi libertatem, libera anima et lingua Christum Deum verum sunt confessi: simulacra autem eorum deos, et humanarum manuum opera, spiritu carentia et surda, manifeste ostenderunt: Dii vestri, dicentes, argentum et aurum, opera manuum hominum: et subjungentes ea, quae deinceps sequuntur: et, nos, o Imperator, hoc solum tibi debemus, ut in hac terrena militia tibi grato animo inserviamus, et quod utriusque mandatum fuit munus, impleamus. Neque vero his surdis et inanimis diis sacrificabimus, neque a nostro et vero Deo solo deficiemus, etiamsi supra modum effereris,

αὐτῷ καὶ πολὺ τί πληθός, καὶ ὅσον κατὰ τὸ ἱερὸν ἤθροιστο καὶ οἱ μὲν τὴν θυσιᾶν ἐπιμελῶς διετίλουν, καὶ παρόντα τὸν Μαξιμιανὸν ἐσετάσσον, Σέργιος δὲ καὶ Βάκχος οἱ γενναῖοι καὶ μὴδὲ τῆ ὕψους τοῦ ἱεροῦ προσβαλόντες, ἔξω πρὸ παρεσχίμασαν, αὐτοὶ μᾶλλον Θεῷ τὴν καθαρὰν καὶ ἀληθῆ τελοῦντες θυσιᾶν, καὶ ὑπερ ἐπεικῶν δεόμενοι, κύριε, λέγοντες, ὁ Θεός, ὁ βασιλεὺς τῶν αἰώνων ἐνώτισαι τὴν φωνὴν τῆς δεήσεως ἡμῶν, ἰλάσθητι τῇ κληρονομίᾳ σου, φεῖσαι, κύριε, καὶ μὴ δῶς αὐτοὺς εἰς καύχημα τῶ ἀντικειμένῳ, ἀλλὰ φώτισον, κύριε, φώτισον τοὺς ὀφθαλμοὺς τῶν καρδιῶν αὐτῶν, καὶ εἰς τὴν σὴν ἐπιθύσιον αὐτοὺς καθοδήγησον, οἱ ἐν σκότει ὡν τῆς αἰδοίας περιέονται, καὶ ἠλλάξαντο τὴν δόξαν σου τοῦ μόνου ἀφθάρτου Θεοῦ, ἐν ὀρωμάτῃ θηρίων καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν, ἀπέστησαν ἀπὸ σοῦ, καὶ ἔθυσαν τοῖς γλυπτοῖς αὐτῶν, καὶ τὸ ὄνομα τὸ ἅγιον σου ἠθέτησαν ἐπίστρεψον αὐτοὺς, κύριε, καὶ ἐνώτισαι τὰ θαυμάσια σου, καὶ τὸν μονογενῆ σου υἱὸν καὶ σωτῆρα ἡμετέρον, ὃς ἐκουσίῳ σαυρῇ καὶ θανάτῳ τὴν ἡμῶν ἐπαλιματεύσατο σωτηρίαν, καὶ ἡμᾶς δὲ ἀνάμους ἐν τῇ ὁδῷ τῶν μαρτυρίων σου, καὶ τῇ τῶν ἐντολῶν σου φυλακῇ διατήρησον. Οἱ μὲν οὖν ἔξω πρὸ τῶν πυλῶν τοῦ ἱεροῦ ἐξώτες τοιαῦτα προσήχοντο, καὶ οὕτω τὸν Θεὸν ἐξήλασκοντο.

4 Μαξιμιανὸς δὲ εἰσελθὼν, καὶ τῇ δὲ κἀκείσε περιβλεψάμενος, ὡς μόνους ἐκείνους Σέργιον οὐκ ἴδιοι καὶ Βάκχον εἶσα τοῦ ἱεροῦ μετὰ τῶν ἄλλῶν παρόντας, τότε δὴ πρὶν ἀκριβῆ τὸ γενόμενον τῆς κατ' αὐτὸν διαβολῆς ἐποιεῖτο καὶ εὐθὺς ἠ συνήδης ἀπήνευτε καὶ ἀριότης καὶ ἡ ὄργη καὶ τί μέλετε, πρὸς τοὺς παρεστώτας, καὶ πολὺ τὸ, ἀχθῆτοσαν οἱ κατάρται, μετὰ φοβερῶ τοῦ κελεύματος. Ἄγονται τοίνυν οἱ Μακάριοι τοιαῖς αὐταῖς, καὶ χλαμύσαι καὶ ζώναις, ὑπὸ μιᾷ γλώττῃ τὴν γλυκίαν ἐκείνην εὐχὴν ἐτι σφραφύσας. Εἶτα τὴν ἀρχικὴν ἀρας ὄφρην ὁ βασιλεὺς, καὶ σοβαρὸν αὐτοῖς καὶ ἄριστον ἐνιδῶν, εἰκάτε, ἔφη, παρήσσιας οὐ κατὰ καιρὸν ἀπολαύσαντες τῆς ἐμῆς, ἀλλῶσε δὲ καὶ τῇ πολλῇ ταύτῃ ἢ περὶ ἡμᾶς ἐκσυρῆμεθα εὐμενεία, πολλὴν εὐχέσσαν καταλόντες ὑμῶν, καὶ διὰ τοῦτο κατεπαρῆγαί τε τοῦ ἡμετέρου κράτους, καὶ ἀνόσοιοι μὲν τὰ περὶ τοὺς θεοὺς αὐτοὺς, ἀχάριστοι δὲ τὰ περὶ ἡμᾶς ὀφθῆναι καὶ ἄδικοι ἄλλ' εἰ μὴ εὐσέστε, καὶ θεοὺς ἅμα καὶ ἡμᾶς ἐξήλασεσθε, ἐγὼ τὴν ἐμὴν ἱκανῶς ἴσασμαι μέμψιν, ὑμεῖς ἀντίκα φάνερως εἰσεσθε, ὡς ἡμερότητος καὶ προσρησίας οὐκ ἐθέλοντες ἀπολαύειν, οἷόν μου τὸν θυμὸν ἄρτι καδ' ὑμῶν κενήκατε.

5 Τοῦτων ἀκούσαντες οἱ γενναῖοι, καὶ γρόντες, ὅτι δήλοι πάντως ἦδη τῷ βασιλεὶ γέγονασιν, καὶ ὅτι κρύπτειν ἐτι τὴν εὐσέσσαν ἡμῶν χρεῖ, καὶ τὸν καιρὸν παριέναι, ἀλλὰ δημοστεύειν μᾶλλον ὡς οἶόντε, καὶ πολλὴν ὑπερ αὐτῆς εἰσφέρειν τὴν παρήσσιαν, ἐλευθέρᾳ καὶ ψυχῇ, καὶ γλώττῃ Θεὸν μὲν ἀληθῆ τὸν Χριστὸν ὁμολόγησαν εἰδοῖα δὲ τοὺς αὐτῶν θεοὺς καὶ χειρῶν ἀνθρώπων ἔργα πνοῆς ἔργα καὶ κωφὰ καὶ καθάρως ἀνεῖπον, οἱ θεοὶ ὑμῶν, λέγοντες, ἀργύριον καὶ χρυσίον, ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων, καὶ ὅσα ἐξῆς ἐπιλέγοντες καὶ ἐτι περὶ ἡμῶν, ὁ βασιλεῦ, τοῦτο σοὶ μόνον ὀφείλομεν, τὸς εἰς τὴν ἐπίσειον ταύτην σφρατεῖαν εὐνομιάνος ὑπηρετεῖν, καὶ τὴν ἀνήκουσαν ἐκατέρω τᾶξιν ἀποπληροῦν καὶ οὕτε δὲ τοῖς κωφοῖς τοῦτοις ἀλήγοις θεοῖς εὐσόμεν, οὕτε τοῦ ἡμετέρου καὶ ἀληθοῦς θεοῦ μόνου ἀποσχημέσθα, κἂν εἰ καὶ χλαπώτερον ἀδριάνης, κἂν εἰ μὴδὲν εἰς ἡμᾶς φιλόνηρον ἐπιθεῖξ, ἀλλὰ καὶ σιδηροῦ



A ὄρη καὶ πυρὶ καὶ ταῖς ἄλλαις παραδόξαις κολάσεσι. Τὶ γὰρ ἰσχυρότερον εὐσεβείας, ἢ τοῦ ὑπὲρ αὐτῆς πάσχειν μακαριώτερον;

6 Πρὸς ταῦτα οὐδέτερον καὶ Μαξιμιανὸς κινήσεις ἀφαιρέσθηναι μὲν αὐτοῦ τὰ παράσημα τῆς ἀρχῆς αὐτῆκα κελεύει, ἐσθῆματα δὲ ἱσθακεία μεταμφιστάμενους καὶ σιδηροῖς κλοιοῖς ἄρα περιακωνισθέντας διὰ μέσης τῆς ἀγορᾶς μέγρι τῶν βασιλείου αὐτῶν ἀγεσθαι. Ἦγοντο μὲν οὖν εὐθὺς οἱ Μακάριοι τὴν μακαρίαν ὄντως ἐκείνην ὁδοῦ καὶ εἰς Χριστὸν αὐτῶν φέρουσαν, οὐκ αἰσγύνην εἶναι τὸ πρᾶγμα νομίζοντες, ἀλλ', ὡς τὴν ἀσέβειαν μᾶλλον ἐν εαυτοῖς κατασγύνοντες, περιφανῶς ἀβουνοῦμενοι· καὶ τοὺς μὲν πόδας ἢ πορεία, τὰ χεῖλη δὲ ἢ εὐχαριστία εἶχε, καὶ ἢ πρὸς Θεὸν ὀμιλία καὶ δέησις· ἔλεγον γὰρ, Ἐὰν καὶ πορευθῶμεν ἐν μέσῳ σιᾶς θανάτου, οὐ φρονησόμεθα κακῶς, ὅτι σὺ μετ' ἡμῶν εἰ, Κύριε· διὰ τοῦτο ἀγαλλιάσεται ἡ ψυχὴ ἡμῶν ἐπὶ σοί, ὅτι ἐνέδυσας ἡμᾶς ἱμάτιον σωτηρίου, καὶ χιτῶνα εὐφροσύνης περιέβαλες ἡμᾶς, ἀλλ' ἀνάστηθι, Κύριε, εἰς τὴν βοήθειαν ἡμῶν, καὶ λύτρωσαι ἡμᾶς ἐκ ἐνεκεν τοῦ ὀνόματός σου· οὐπω πέρας εἶχεν αὐτοῖς ἡ εὐχὴ, καὶ τῷ βασιλεὶ παρέστησαν, αὐτῶς ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ ἀνασωθέντι πρὸς τὰ βασιλεία.

B

7 Θεοπέιαν οὖν ἐκείνος τῇ συνήθει ἀπνηεῖα συκαρασάμενος, καὶ οἷα καὶ φοβεῖν ἄμα καὶ λεπίνευον τὴν ἐπινεχθεῖσαν αὐτοῖς τῷ δοκεῖν αἰσγύνην ἐκ τῆς ἀτιμίας ταύτης βουλόμενος· Δεινόν, ἔλεγον, ὃ παρόντες, καὶ σφόδρα δευιόν τὸ τὰς μεγίστας τιμὰς ἄλλως αὐτῶ καὶ ἀλαγίως προῖσθαι· εἰδῶσθαι γὰρ αἱ παρ' ἄξιαν εὐπραγία τοὺς ἀνοήτους οὐ πρὸς εὐνοίαν ἐρεθίζει μᾶλλον, ἀλλ' εἰς ἄραστον κατὰ τὸν εὐεργετοῦντων ἐπαίρειν. Οὗτοι γὰρ, ὡς ὄρατε, μεγάλῃ παρ' ἡμῖν δόξῃ ἐπιτυχόντες, φίλιας τε ἡμετέρας καὶ παρόησιας οὐδὲν ὅση εἶπεν ἀπολαύσαντες, ὡς μὴ μόνον αὐτοὶ τὰ πρῶτα φέρειν εἰς οικουμένην, ἀλλὰ καὶ ἕτερον ἐξοικουῖν ἡμῖν δύνασθαι, καὶ κληροῦς ἐν βραχεί καὶ περιβλέπτους ἐργάζεσθαι, τοῦτοις ἄπασι μακρὰν ἐπιστέντες λήθην, τέλος δὲ καὶ τῶν μεγίστων θεῶν καὶ αὐτοῦ Διὸς κατολιγορήσαντες, ὅς πάντων μὲν δημιουργός, πάντων δὲ θεῶν καὶ ἀνθρώπων πατὴρ εἶναι πιστεύεται, τὸν λεγόμενον προτετιμῆσιν Ἰησοῦν, γυναικὸς υἱὸν ὄντα καὶ τέκνον, καὶ σαυρὸν σὺν ἄμα ὄντι κακοῦργοις ὑπὸ Ἰουδαίων κατακρίθῆντα, καὶ πικρότατον ὄντως ὑπομεμνηνῶτα θάνατον· ἀλλ' ἐγὼ πάντως τούτων αἰτίας, ὅς γε καὶ περὶ τοῦ μετρίου φιλόδηρος εἶναι βουλόμενος, φίλους αὐτοῦ καὶ καινοῦς τῆς εὐδαιμονίας ἐποιήσαμην.

C

8 Οὕτω σφοδρὸν κατατείνας τὸν λόγον, ἔπειτα πάλιν ὑποκλέπτειν αὐτοῦς τῷ μελιχίῳ πειρώμενος, ἡμερὸν τι βλέψας καὶ φιλικόν, ἀλλ' εἶπερ οἱ αὐτοὶ καὶ νῦν ἐγὼ, ἔφη, Σέργιος καὶ Βάκχος, καὶ μὴ τις ὑμῶν τὴν διάνοιαν φθονερός ἐπήρῃσε δαίμων, αἰδέσθητε μὲν τὸ μέγα τοῦ ἀξιώματος, αἰδέσθητε δὲ τὸ κατάρῳ καὶ ἀβυσσον τῆς φιλίας, καὶ μὴ τὰ εἰς τοὺς θεοὺς οὕτως ἀσεβούντες ὀφείλητε, ἀσυνήθῃ καὶ ξένῃν Ἑρσηκεῖαν εἰσάγοντες, καὶ ἡμῖν περὶ τὸ σέβας διαφερόμενοι· οὐς ἐγρήν ἄχρι καὶ αὐτοῦ θανάτου τὸν τῆς φιλίας ἡμῖν συμπνεῖν ἔρωτα, ὡς ἐγὼ καὶ βαρυτάτας κολάσεσι χρῆσθαι δυνάμενος, καὶ τυραννικῶς ὑμᾶς, ὃ φίλοι, βιάσασθαι, χρῆσθαι γὰρ ἐτι τῷ συνήθει προσήματι· ἀλλὰ τὴν φιλίαν, ὃ θεοί, δυσωπούμαι, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὰς τιμωρίας ὀνόθ καὶ τὴν βίαν ἐκὼν ἀναβάλλομαι. Τούτων ἀκούσαντες οἱ Γενναῖοι, χροῖντες, ἡρέμα καὶ ὀμαλῶς, ὅτι μὲν οὐκ ἐπιδεδόμεθ' ἄσσυ τῆς φιλίας, εἶπον, οὐδὲ ἀχάριστοι περὶ τὰς εὐεργε-

etiamsi in nos nullam ostendas humanitatem : sed et ferro, et igni, et aliis tradideris suppliciiis. Quid est enim pietate fortius, aut, quam pro ipsa pati, beatius?

AUCTORE SYMBONE METABIRASTE

6 His vehementius motus Maximianus, jubet eis quidem statim auferri insignia magistratus : muliebribus autem vestibus indutos, et collarius ferreis simul in collo circumdatos, per mediam duci civitatem usque ad ipsam regiam. Atque statim quidem ducebantur Sancti ad beatam illam, quae vere est, viam, et quae ducit ad ipsum Christum, non eam rem existimantes esse dedecus : sed tamquam impietatem dedecore magis afficerent, aperte gloriantes, et sibi placentes. Et ingrediebantur quidem pedes, labra autem versabantur in gratiarum actione, et cum Deo consuetudine et precatione. Dicebant enim : Etiamsi ambulaverimus in medio umbræ mortis, non timebimus mala : quoniam tu nobiscum es, Domine. Propterea exultabit anima nostra in te : quoniam induisti nos vestimento salutaris, et tunica lætitiæ circumdediti nos. Sed exurge, Domine, in adiutorium nostrum : et redime nos propter nomen tuum. Nondum finitæ erant preces, et producti fuerunt coram imperatore, qui e templo redierat in regiam.

per mediam civitatem ignominiose circumduci jubet;

7 Ille ergo cum assentationem cum consueta contemperasset sævitia, et vellet simul lenire pudorem, quo affecti erant, ut videbatur, ex hac eis illata ignominia : Grave est, et valde grave, o vos, qui adestis, dicebat, maximos honores tam leviter et inconsiderate prodere. Solent enim ea, quæ immeritis feliciter succedunt, stultos non tam incitare ad benevolentiam, quam erigere ad temeritatem adversus benefactores. Isti enim, ut videtis, magnam apud nos gloriam consecuti, nostramque adepti amicitiam, et maximam fiduciam, et nobiscum loquendi potestatem, adeo ut non solum ipsi primas partes ferrent in familiaritate, sed alios quoque nobis possent facere familiares, beatosque brevi reddere, et suscipiendos, horum omnium oblitii, postremo maximis quoque diis, et ipso Jove contempto, qui omnium quidem opifex, omnium autem deorum et hominum pater esse dicitur, Jesum prætulērunt, qui dicitur fuisse filius mulieris, et fabri, et ad crucem cum duobus maleficis fuit damnatus a Judæis, et subiit mortem revera acerbissimam. Sed ego sum omnino causa omnium, qui cum vellem esse supra modum benignus, eos feci amicos et socios felicitatis.

dum autem deinde blandis verbis Sanctos,

8 Cum hanc tam vehementem intendisset orationem, eos rursus blandis verbis conans illicere, eosque benigne ac amice intuens. Sed si iidem, inquit, nunc quoque estis Sergius et Bacchus, neque vestram mentem invidus occæcavit dæmon, revereamini magnam auctoritatem, revereamini puram et non falsam amicitiam, neque conspiciamini vos in deos tam impie gerere, novam et insolitam inducentes religionem, et in eorum cultu a nobis dissidentes, quos oportet etiam usque ad ipsam mortem in amicitia nobiscum conspirare. Nam ego quidem cum gravioribus uti possem suppliciis, et tyrannice vobis, o amici, vim inferre : (adhuc enim consueta utar appellatione) attamen, o dii, revereor amicitiam, et propterea retardo cruciatus, et vim lubens differo. Hæc cum audissent Viri egregii, scite, placite et plane dixerunt : Quod tuæ quidem non simus oblitii amicitiae,

quo deorum cultui se dedant, aggradiuntur.

AUCTORE  
SYMBONE  
METAPHRASE

prolixa ab iis  
oratione

ob ingrati in  
veram Deum  
qui plurima  
humano ge-  
neri

beneficia con-  
tulit, animi  
vitiū redar-  
guitur.

citiae, nec fuerimus ingrati in tua beneficia et honores : sed te et amemus, si ullum alium, et dominum existimemus, et tu sis nobis omnia, signum est manifestum, quod et fideliter hucusque servivimus, et tecum diligenter rem publicam sustinuvimus, neque ulla in re, nec parva, nec magna, conspecti sumus ingrati, neque aliquid prodidimus, aut negleximus eorum, quae oportet.

9 Nos ergo nec ingrati animi criminis, aut contemptiois amicitiae iure possumus accusari : neque quod a te propter odium dissideamus, o benignissime imperator. Sed nos disjunctus ipse vanus error cultus simulacrorum, et quod tu in certum ac manifestum incidas interitum, et nos quoque cogas in idem deturbari periculum. Nam quamdiu quidem agebatur de sola mundana militia, nos nihil praetermisimus eorum, quae oportet. Tu ipse nobis ferens testimonium, nos in nulla re, quae esset expedienda, ullius scordiae aut negligentiae umquam fuisse damnatos, sed in iis rebus nobis fuisse acrem zelum. Et rursus quaecumque de more Christianorum peregrimus, iis Deum quoque pro viribus vobis reddidimus propitium. Quoniam autem ipsum quoque honorum caput, nempe pietatem, nobis contendis adimere, et Deo nos privare, quod est damnum extremum, et quod pia non possit ferre anima, et propterea honores et laudes nobis revocas in memoriam, quomodo te boni et honesti ignarum non iure dixerimus, quod et ea, ut quodammodo praestantioris nobis facias optionem, inter se invicem omnino confers, pietatem, inquam, in Deum, et humanam amicitiam et gloriam, quae aequae ac aqua perfluit?

40 Quomodo autem hac in re tecum conveniemus, et non contra, amicitiam et honorem, et si quid sit aliud majus, negabimus? Quomodo autem non tu magis ingrati in Deum animi criminis convinceris, qui ipsum tibi, quod et sis, et respire, praebuit? Qui cum careat principio, verbo effecit, ut caelum et terra consisterent : et hominem propriis manibus est fabricatus, et honoravit eum immortalitate, et eorum, quae sunt in terra, veluti quandam regem constituit, id quod est omnium pulcherrimum, nempe Paradisum ei attribuens. Caeterum ne nobis succenseas, o imperator, si oratio longiorem factura sit narrationem. Et Deus quidem fuit, ut dixi, tam munificus in beneficiis in hominem confereendis. Ille autem invidia seductus, et voluptate (hei mihi) inescatus, misere omnino ab iis excidit : et qui prius censebatur beatus, conspectus est miserabilis, et lachrymis dignus propter calamitatem.

41 Qui itaque nos finxit et fabricatus est Deus, cum benignis rursus oculis vidisset opus suarum manuum, Deum esse non mutans, quod quidem erat, factus est propter nos citra peccatum id, quod nos. Cumque crucem et mortem sua sponte subiisset, et superiorem inimicum nostro genere prostravit, et nobis ab illa acerba servatis calamitate, benigne priorem reddidit libertatem : et unde excidimus propter inobedientiam, illuc nos reduxit propter suam clementiam. Eum autem, qui propter te talia passus fuerat, idque cum esset Deus, et te tantis rebus dignum censuerat, [communis est enim hominibus, sicut prius interitis, ita nunc libertas] tu ipsum contemnens, et crucem illius ridens, quomodo non es longe ingrattissimus?

σίας και τὰς τιμὰς γεγενημέσα, ἀλλὰ και φιλού-  
μεν εἰ και τινα ἕτερον, και δεσπότην ἡγούμεσα,  
και πάντα ἡμῖν εἰ σὺ, τεκμήριον ὑπάρχει σαφές,  
τὸ και πίσως εἰς θεῶν ὑπηρετεῖσθαι, και συνδια-  
φέρειν σοι τὰ κοινὰ σπουδαίως, και μηδὲν μίτη μι-  
κρὸν μήτε μεῖζον ἀνωμοσύνας φανῆναι, μηδὲ τι  
προδιδόντας ἢ ἀμελούντας τῶν καθήκοντων.

9 Ὅσκειν ἡμεῖς οὐδεμιαν ἀνωμοσύνην ἢ φιλίας  
ὀλιγορίας ἐγκαλεῖσθαι ἀξιοί, οὐδ' ἐτι σοι κατὰ μί-  
σος διαφερόμεσα, φιλανθρωπότητε βασιλεῦ, ἀλλὰ  
διέστηεν ἡμᾶς ἡ κενὴ αὐτῆ περι τὰ εἰδωλα πλάνη,  
και τὸ εἰς σαφὴ και ὁμολογημένην σέτε καταπι-  
πτειν ἀπόλειαν, και πρὸς τὸν ἰσον κατανεχθῆναι  
και ἡμᾶς κίνδυνον ἀναγκάζειν. Ἔως μὲν γὰρ περὶ  
μόνην τὴν κοσμικὴν στρατείαν ἐξηταζόμεσα, οὐδὲν  
τῶν δεόντων ἡμεῖς ἐνελίπομεν μαρτυρήσεις ἡμῖν  
και αὐτὸς ὅτιπερ οὐδὲ βραδυμίαν τινα οὐδὲ ἀμέ-  
λειαν τῶν ἐν χειρὶ καταγνώσθημεν, ἀλλὰ θερμὸν  
περὶ ταῦτα τὸν ζῆλον εἶχμεν, και ὅσα πάλιν ἐν  
νόμῳ Χριστιανότητος ἐτελούμεν ἐκείσθε, και τὸν θεὸν  
τὰ δυνατὰ και ὑπὲρ ὕμων ἰλεούμεσα. Ἐπεὶ δὲ και  
αὐτὸ τῶν καλῶν τὸ κεφάλαιον ἀφελέσθαι φιλονοι-  
κίς ἡμᾶς τὴν εὐσεβίαν, και θεὸν ζῆμιώσαι τὴν  
ἐσχάτην ταύτην ζῆμίαν, και τὴν οὐδὲ ὑπερβίβειν αὐ-  
τῆ εὐσεβίης ψυχῆ δύναται, τιμῶντε διὰ τούτου και  
φιλοτιμίας ἀναμνηστικίς, πῶς οὐκ ἀμαθῶς ἔχειν  
σε τοῦ καλοῦ δικαίως ἀν εἶποιμεν, ἐτι και παρα-  
βάλλεις ὄσως αὐτὰ πρὸς ἀλλήλα, και οἶσει τοῦ  
κρείττους ἡμῖν τὴν ἀρεσιν ἐπιτρέπει, εὐσεβείας  
φαμὲν τῆς πρὸς τὸν θεὸν και φιλίας ἀνθρωπίνης  
και ὁδῆς τῆς ἰσα παρῦρέουσῆς και ὕδατι;

40 Πῶς δὲ σοι και κοινωήσομεν ἐπὶ τούτῳ, και  
οὐχὶ τοῦναντίον, και τὴν φιλίαν, και τὴν τιμὴν,  
και εἰ τι ἄλλο μεῖζον ἢν, ἀρνησόμεσα; Πῶς δὲ οὐ  
σὺ μᾶλλον ἀγρωμοῦδων τάγε πρὸς θεὸν ἄλιστα, τὸν  
και αὐτὸ σοι τὸ εἶναι και τὸ ἀναπνεῖν παρασχόμε-  
νον; Ὅς ἀναρχος ὢν και συναΐδιος τῷ ἱεραρχῶντι,  
και τὸς οὐρανῶς τῷ λόγῳ και τὴν γῆν ὑποστήσας  
τὸν ἀνθρώπουτε χερσὶν οἰκίαις ἐδημιούργησε, και  
ἀδυνασάτῳ τούτου ἐτίμησε, και βασιλεῖα τῶν ἐπι γῆς  
χατεστήσατο, καθάπερ τινὰ βασιλεία τὸ κάλλιστον  
ἀπάντων ἀποτάξας αὐτῷ τὸν παράδεισον; Πλὴν  
ἀλλὰ μηδὲν ἡμῖν ἀχθεσθῆς, ὃ ἐσπίλει, εἰ ἡμᾶς  
μακροτέραν ὁ λόγος ποιήσεται τὴν διήγησιν. Καὶ ὁ  
θεὸς μὲν οὕτω φιλότιμος τὰς ἐνεργείας, σῆμι,  
πρὸς τὸν ἀνθρώπον. Ὁ δὲ φθόνῳ κλαπέις, και ἠρόνη  
φεῦ μοι δελεασθείς, ἀδύλως τούτων ἐξέπεσε πάν-  
των, και ὁ πρὶν ζῆλωτὸς ἐλευθῶς ὄρατο, και θα-  
κρῶν διὰ τὴν συμφορὰν ἀξίος.

41 Ὁ πλάσας τοῖνον ἡμᾶς και δημιουργήσας  
θεός, φιλανθρώποις πάλιν ἰδὼν ὀφθαλμοῖς τὸ τῶν  
οἰκίαν χειρῶν ἔργον, τὸ θεός εἶναι μὴ μεταβαλλῶν,  
ὅπερ ἦν, ἐγένετο δι' ἡμᾶς ἀναμαρτήτως, ὅπερ ἡμεῖς,  
και τσαρὸν ἐκουσίως και θάνατον ὑπέλαβον, τὸν  
ἀνοιδῶντε τῷ ἡμετέρῳ γίνεαι καταβεβλήκει πόλεμον,  
και ἡμᾶς τῆς πικρᾶς ἐκείνης αἰχμαλωσίας ἀνασω-  
σάμενος, τὴν προτέραν ἀπέδοκε φιλαγάθως ἔλευ-  
θερίαν και ἔθεν διὰ τὴν παρακοὴν ἐκπεπτοκόμειν,  
ἐκεῖ πάλιν διὰ φιλανθρωπίαν ἡμᾶς ἐπανήγει' τὸν  
δὴ τοιαῦτα διὰ σὲ παθόντα, και ταῦτα θεὸν ὄντα,  
και τοιούτων σὲ πάλιν καταξίωσαντα, κοινὴ γὰρ  
ἀνθρώποις ὅσπερ ἡ ἀπόλεια πρότερον, οὕτω και ἡ  
ἐλευθερία, τούτον αὐτὸς ἀδεται, και εἰς τὸν ἐκείνου  
σαυρον ἀποσκόπτων, ποῖον ἀνωμοσύνης ὑπερβο-  
λὴν καταλείπει; Ἰσθὶ τοῖνον, ὡς οὐ κοινωήσομεν

A σοι τῆς τοιαύτης ἀχαριστίας, οὐδὲ τὸν ἡμέτερον εὐεργέτην καὶ ἀληθῆ Θεὸν ἀρνησόμεθα. Τὰ δὲ παρὰ σοῦ προτεινόμενα, βασιλεῦ, εἴτε ἀγαθὰ εἶεν, εἴτε καὶ δυσχερῆ, αὐτὸν ἐπάγοντα θάνατον, ἐπίσης ἡμῶν ἅπαντα παροπτία διὰ Χριστῶν, καὶ φροντίδος οὐδεμίας ἔξια.

Scias ergo, nos non futuros sibi socios ingrati animi crimine, neque nostrum Benefactorem et verum Deum esse negaturos. Quæ autem a te proferuntur, o imperator, sive sint bona, sive difficilia, et vel ipsam mortem inferentia, sunt æque a nobis propter Christum despicienda, et a nobis non curanda d.

AUCTORE  
SYMBONE  
METAPHRASTE

d

## ANNOTATA.

a Persecutionem generalem hæc omnia, uti et multa sequentia, indicant, hincque consequitur, ut SS. Sergius et Bacchus, utpote in Syria, in qua tum, quod mandaret, seu imperator seu cæsar, nomine Maximianus, non habuit, passi, Maximiani imperatoris jussu martyrium haud subierint. Adi Commentarium prævium num. 22, 45 et 44.

b Ita vocabulum Græcum Κεντιλίου Latine reddit Lipomanus; verum in Actis Metaphrasticis Græcis Κεντιλίου pro Τετιλίου perperam scribitur, uti Comment. præv. num. 24 et seq. edocui.

c De militari conditione ac dignitate, quæ hic Sanctis attribuitur, uti etiam de potestate, quæ apud Maximianum imperatorem valuisse asseruntur, quid sentiam, Commentarii prævii § 5 exposui.

d Ratiocinia omnia, quæ hic a biographo Sanctis et Maximiano imperatori pro arbitrio, ut apparet, affinguntur, quamdamque hunc inter et illos concertationis speciem præferunt, cum ratiociniis itidem, quæ Sanctis pariter et Maximiano imperatore in Actis Latinis pro arbitrio attribuantur, satis quidem quantum ad substantiam conveniunt; verum quantum ad verba, quibus concipiuntur, invicem non parum dissonant, suntque Metaphrastica Latinis paulo contractiora, uti ex eorundem collatione patescet.

B

E

## CAPUT II.

*Sancti ad Antiochum ducem mittuntur, ab eo, ut a fide desciscant, varie monentur, flagrisque ad mortem usque Bacchus cæditur.*

C Τούτων εὐκαιρίας οὗτος καὶ ἡδῶς τοῖς μάρτυσιν ὑπαγορευθέντων, ὁ Μαξιμιανὸς ἐκείνους μὲν ὑπὸ τοῦ θυμοῦ, καὶ πικρῶς αἰχλῶν τοὺς ἄγιους ἠβρόλετο ὄνειρε δὲ πάλιν καὶ ἀνεβλόλετο τὴν ἐγγενησιν, τὸ περιφανὲς αὐτῶν εὐλαβοῦμενος, καὶ οὐκ ἐθέλων Ἄνδρῶν τοιαύτων ὑποστῆναι ζῆμιαν ἔδειξε γὰρ, μὴ καὶ τιμωρηθέντες τὴν ἀρχὴν, καὶ παρόρησιασάμενοι τὴν εὐσεβείαν ἐν μέσῳ πολλῶν, εἴτα τοπαράπαν ἀμετάθετοι διαμείνωσιν. Ἀμείλει καὶ Ἀντίοχῳ τῶν τῆς ἀνατολῆς δομῆ παραπέμπει αὐτοὺς ἔγνω, ὡς ἂν ὁμοιάτῃ παντῶν τῶν ὑπ' αὐτῶν ὄντι, καὶ ἀπὸ φιλοῦ τάχα καὶ τοῦ ὀνόματος καταπλήξῃ αὐτοὺς δυναμένῳ, καὶ ὅτι διὰ μελλοῦς τιμῆς ἔφεισιν τὴν Μαξιμιανοῦ θεραπείαν ἐκείνος σπουδάζων οὐδεμίας ἀρεῖεται μηχανῆς, ὅπως αὐτοὺς ἔλη καὶ μεταπεισῆι πρὸς τοῦτοις ἴνα καὶ ἡ μακρὰ ὁδοπορία καὶ ἄτιμος τῆς ἐνστάσεώς τε αὐτοῖς ὑπογάλαξῃ τὴν εὐτολίαν, καὶ ἡρέμα μετασῆσῃ τῆς εὐσεβείας, καὶ μάλιχα ὅτι καὶ ὑπὸ χειρῶν πρότερον αὐτοῖς ἦν ὁ Ἀντίοχος, ὃ παραστῆναιτε καὶ ὑψ' οὐ κριθῆσεσθαι ἐμελλον ὃ δὴ καὶ πλέον τῆς τῶν ἐνγενομένων ψυχῆς ἄπτεται, τὸ τοῖς πρότερον ἀρχομένους, ἀρχαυτε αὐτῶν ὕπερον καὶ ὑπεκρίως χρῆσθαι τοῖς οὐ πρὸ πολλοῦ δεσπότηται αὐτῶν καὶ ἐνεργῆται γεγενημένοις ἐτύχχανε γὰρ τὴν τοιαύτην τοῦ δομῆς ἀρχὴν ὁ Ἀντίοχος μεσιτεία πρότερον τοῦ Σαυμασσοῦ Σεργίου παρεληφώς ἀλλ' εἶπεν ἀληθῶς οὐδὲν οὕτως εὐμάραντον εἶναι, ὡς ἀνδρωπῆτη χάρις ἐν ἀχαριστῶ χυγῆ φτευσθεῖσα.

15 Οὗτος γὰρ οὐ μόνον οὐδὲν ἀπομνημονεύσας αὐτοῖς τῆς εὐεργεσίας ἐφάνη, ὡς τὰ τοῦ λόγου προῖοντα δηλώσει, ἀλλὰ καὶ καθάπερ τὰ ἔσχατα ὑπ' ἐκείνων ἀδυναθεῖς, οὕτως αὐτοῖς ἐχρήσατο, καὶ οὕτω χαλεπὰς ἐπήγαγε τιμωρίας. Ἐπέμποντο μὲν οὖν οἱ ἄγιοι πρὸς αὐτὸν ἀλίσσει βαρῆα δεδεσμένοι, ἐγγραπτο δὲ αὐτῶ καὶ ἐπιστολὴ παρὰ βασιλέως ἔχουσα οὕτως. Ἡ τῶν θεῶν μεγίστη πρόνοια καὶ πάντας μὲν

Octobris Tomus III.

F His adeo opportune et jucunde dictis a Martyribus, Maximianus quidem fuit ira motus et volebat acerbè punire Sanctos. Rursus autem cunctabatur, et differebat aggredi, respiciens eorum splendorem, et non volens talium Virorum facere jacturam. Verebatur enim, ne cruciati, cum veritatem in medio multorum libere essent elocuti, deinde permanerent omnino immobiles. Eos itaque statuit transmittere ad Antiochum ducem Orientis a, ut qui omnium, qui erant in ejus potestate, esset crudelissimus, et vel solo nomine posset eos perterrere: et quod propter majoris honoris desiderium, ille Maximianum observandi curam gerens, a nullis abstinereb machinis, quo eos oppugnet, et ad suam traducat sententiam. Præterea ut et longum iter et ignominiosum tam intensam relaxaret constantiam, et eos sensim a pietate dimoveret, et maxime quod ipse quoque Antiochus erat eis prius subjectus, apud quem erant sistendi, et a quo judicandi. Id enim maxime tangit animum eorum, qui sunt honesto loco nati, quod, qui prius parebant, eis postea imperent, et eis utantur, tanquam subjectis, qui non multo ante fuerant eorum domini et benefactores. Consecutus namque fuerat hunc ducatus magistratum Antiochus ipsius admirabilis Sergii intercessione b. Sed revera nihil videtur tam facile marcescere, atque beneficium in animo ingrato plantatum.

Sancti a fide  
averlendi ad  
Antiochum  
ducem.

a

F

b

data etiam ad  
hunc epistola,  
a Maximiano  
mittuntur,

15 Is enim non solum apparuit minime esse recordatus beneficii, ut procedens ostendit oratio: sed perinde ac ab illis summa affectus injuria, eos tractavit, et eis gravia intulit supplicia. Atque mittebantur quidem ad eum Sancti, vincti gravi catena. Ad eum autem scripta erat etiam epistola ab imperatore, quæ sic habebat: Deorum maxima providentia, omnes quidem

110 homines

AUCTORE  
SYMEONE  
METAPHRASTE

homines, maxime autem mei imperii satellites et stipatores, in illos esse pios, et iis rursus, quos illi dignos censuerunt imperio, vult obedire, et in eos esse grato animo. Propterea hunc Sergium et Bacchum, qui in deos quidem apparuerunt impii, et se Christianorum adjunxisset religioni, convicti sunt autem criminis ingrati in me animi, et jam nostro tribunali, et nostra examinatione iudicati sunt indigni, sub tutissima custodia et vinculis ad tuam transmissimus constantiam. Si ergo poenitentia ducti, diis sacrificaverint, solvantur ab eis impositis vinculis, et digni censeantur honore et benevolentia. Revocabuntur enim rursus a nostra potentia, recipientque priores honores, aut etiam majores, eruntque deinceps in loco et ordine eis convenienti. Sin autem immobiliter priori hereant sententia, legum subjecti sint austeritati, ipsaque essentia et vita ense priventur cum aliis. Vale c.

Barbalissum-  
que ad illum  
adducti

**14** Cum has literas et sanctos Viros accepissent milites, viam sunt ingressi. Quidam autem ex famulis, et simili zelo in pietatem, et in dominos victi benevolentia, eos quoque sunt secuti, quasi non corpora solum legi, sed etiam animas volentes Deo servire. Qui etiam audierunt Sanctos inter se colloquentes, et dicentes, quod nocte, qua egressi sunt e civitate Romanorum *d*, divina quaedam apprensio visio iussit eos confidere, et bono esse animo ad certamen et alacriter ingredi bonum iter propter Christum. Quamobrem etsi essent ferrea illa vincula, citra molestiam et cum voluptate psallebant : In via testimoniorum tuorum delectati sumus, Domine, tanquam in omnibus divitiis. In justificationibus tuis meditati sumus, et legis tuae non sumus oblitii. In mandatis tuis meditabimur, et exquiremus vias tuas. Vivemus et custodiemus sermones tuos. Cum ergo totum illud iter citra laborem confecissent, diversantur in quadam civitate nomine Barbaleso *e*, prope regionem limitaneorum *f*. Quo in loco cum dux versaretur Antiochus, ante eum sunt producti, laeti quidem et vultu alacri, animi autem nobilitatem liberalibus ostendentes moribus.

in carcerem  
eorum conji-  
ciuntur,

**15** Eorum itaque, qui ipsos circumstabant, oculi erant omnes in eos coniecti; et nec facile desistebant, sed firmo et intento obtutu eos adspiciebant, erantque ipsi theatro jucundum quoddam spectaculum. Cum eos ergo vidisset dux quomodo se haberent, et deinde etiam legisset literas imperatoris, tacitus apud se admirabatur, et eos rursus contemplabatur, magnum quid esse et novum existimans, quod ad tantam processissent animi magnitudinem, ut et supplicia, et minas, et gloriam, et ipsum etiam despicerent imperatorem, immo mortem quoque minimi facerent. Accersito autem commentariensi *g*, Accipe, inquit, hos vinctos, et in custodia quidem serva tutissima, nihil autem grave aut molestum sustinentes : eos enim reservo examinationi. Atque ii quidem jussu ducis in tuta inclusi custodia, cum venisset vespera, seipsos dederunt orationi : Adspice ad nos, dicentes, Domine, e sancto tuo habitaculo, quoniam inimicus nos probris affecit, et populus insipiens irritavit nomen sanctum tuum; et ne tradas hominibus feris immanioribus animas tibi confitentes; sed adspice ad testamentum tuum,

ανθρώπους, μάστιγα δὲ τοὺς τῆς ἐμῆς βασιλείας **D**  
ὑπασπιστάς τε καὶ δορυφόρους, εἰσεβείτε τε τὰ εἰς  
ἐκείνους, καὶ τοὺς ὑπ' ἐκείνων πάλιν ἀρχεῖν ἠξιο-  
μένους πειθιρῶν εἶναι βούλεται καὶ εὐργυμονίας  
διὰ ταῦτα τοὶ καὶ Σέργιον τοῦτον καὶ τὸν σὺν αὐτῷ  
Βαχχον, ἀσεβεῖς μὲν τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ἀναφανέν-  
τας, καὶ τῆ τῶν Χριστιανῶν προσδεμένους ἠρησκεία,  
περὶ ἡμᾶς δὲ ἀγνώμονάσ τε καὶ ἀχαρίστους ἐπληγε-  
μένους, καὶ παρὰ τοῦτο πολλαῖς τιμωρίαις ὑποβλη-  
θέντας, ἀναξίους ἤδη τοῦ ἡμετέρου βήματος, καὶ  
τῆς παρ' ἡμῶν αὐτῶν ἐξετάσεως νομισθέντας, ὑπὸ  
ἀσφαλεστάτη φρουρᾷ καὶ δεσμοῖς τῆ σὴ σφρόντητι  
παρεπέμψαμεν. Εἰ μὲν οὖν μεταμελήσεντες θύσειαν  
τοῖς θεοῖς, τῶν δεσμών τε, τῶν ἐπιεικόμενων αὐτοῖς,  
λυθήτωσαν, καὶ τιμῆς ἀξιωθήτωσαν μᾶλλον καὶ  
εὐμενείας ἀνακληθήσονται γὰρ αὐτοὶ καὶ παρὰ  
τοῦ ἡμετέρου κράτους, καὶ τάσ τε προτέρας ἀπολή-  
φονται τιμὰς, ἢ καὶ μείζους, καὶ ἐν τάξει τῆ προσ-  
κρούσῃ τῷ λοιπῷ ἔσονται. Εἰ δὲ τῆς προλαβούσης  
ἀμεταβίτως ἔχονται γυνώμης, τῆ αὐσφρόντητι τῶν  
νόμων ὑποβληθέντες, καὶ αὐτὸ μετὰ τῶν ἄλλων τὸ  
εἶναι καὶ τὸ ζῆν διὰ ξίφους ἀφαιρεθήτωσαν. Ἐβόησο.

**14** Τα τοιαῦτα γράμματα λαβόντες οἱ στρατιώ-  
ται, εἶτα καὶ τοὺς ἁγίους παραλαβόντες, ὁδοῦ εἴ-  
χοντο τῶν οικητῶν δὲ τίνες τῆ τε ὁμοῖα περὶ τὴν **E**  
εἰσεβίαν ζῆλον, καὶ δὴ καὶ τῆ πρὸς τοὺς δεσπότης  
εὐνοία νενικημένοι, συνείποντο καὶ αὐτοὶ, καθάπερ  
οὐ νόμος τὰ σώματα δεδουλώσασαι μόνον, ἀλλὰ καὶ  
πύθη τὰς ψυχὰς βουλόμενοι. Οἱ καὶ τῶν ἁγίων  
ἤκουον πρὸς ἀλλήλους μεταξὺ κοινολογουμένων, ὡς  
ἄρα τῆς νυκτὸς, καθ' ἣν τῆς πόλεως Ρωμαίων ἐξή-  
σαν, δευτέρα τις ὕψι ἐπιφανείσα θαρβύνει αὐτοῖς  
ἐκέλευε τὸν ἀγῶνα, καὶ προθυμότερον τῆς καλῆς  
ἐκείνης διὰ Χριστῶν ἔχασθαι πορείας διὸ καὶ ὑπὸ τῆ  
ἀλύσει τῆ σιδηρᾷ βαιίνοντες ἐκείνοι, καὶ τοῖς δε-  
σμοῖς, ἀλύτως καὶ μετ' ἡδονῆς ἐψάλλον. Ἐν τῇ ὁδῷ  
τῶν μαρτυρίων σου ἐπέστηθην, Κύριε, ὡς ἐπὶ παντὶ  
πλούτῳ ἐν τοῖς δικαιομασί σου μελετήσομεν, καὶ  
τοῦ νόμου σου οὐκ ἐπιλήσόμεθα ἐν ταῖς ἐντολαῖς  
σου ἀδολογησομεν, καὶ ἐκζητήσομεν τὰς ὁδοὺς  
σου, ἐρησόμεθα καὶ φυλάξομεν τοὺς λόγους σου.  
Πᾶσαν οὖν τὴν ὁδὸν ἐκείνην ἀπόνως ἀνύσαντες, ἐν  
τῇ Βαρβαρλισῷ πόλει τῆς λιμιτανέων ἐγγὺς κα-  
τάγονται ἔνθα διατριβούντι τῷ θουκί παρέστησαν  
Ἄντιόχῳ, χαρίεντες μὲν καὶ φιλοῦροι τῷ ὄντι, τὴν  
δὲ τῆς ψυχῆς εὐγένειαν τῷ τοῦ ἥζους εὐ μάλα δευ-  
κνύοντες ἐλευθερίῳ.

**15** Ἄμειλι καὶ οἱ τῶν περιεστώτων ὀφθαλμοὶ τῆς **F**  
ἐκείνων θείας βλασ ἐξήρτητο, καὶ οὐδὲ βράδιος ἀπ'  
αὐτῶν ἀφίστασθαι ἤθελον, ἀλλ' ἀτενὲς εἰς αὐτοὺς  
ἐνέωρον, καὶ γλυκεῖά τις ἦσαν τῷ θεάτρῳ πανήγυ-  
ρις. Θεασάμενος τοίνυν αὐτοὺς ὅπως εἶχον ὁ δοῦξ,  
εἶτα καὶ τὰ βασιλείας ἀναγνούς γράμματα σιγῇ  
καθ' ἑαυτὸν ἀπεσαύμαξ, καὶ πάλιν αὐτοὺς ἐπαι-  
νῶν ἔδεατο, μέγα τι καὶ καινὸν εἶναι οἰόμενος, ὅπως  
εἰς τοῦτο γενναϊότητος τε καὶ τόλμης ἦλθον, ὡς καὶ  
κολάσεων καὶ ἀπειλῶν, καὶ δόξης, καὶ αὐτοῦ δὴ  
καταφρονήσαι τοῦ βασιλέως καὶ περὶ ἐλαχίστου θέ-  
σθαι τὸν θάνατον, τὸν τῆς τάξεως δὲ θουας κο-  
μμενταρήσιον καλέσας, τοὺς δεσμοῖς τούτους, ἐφ'  
παραλαβόν, ὑπὸ φρουρᾷ μὲν τίθει μοι τῆ ἀσφα-  
λεστάτη, πλὴν μηδ' ὀτιοῦν λυπηρὸν, ἢ ἀβούλητον  
ὑπομένοντας ἔσομαι γὰρ καὶ εἰς δευτέρα αὐτοὺς  
ἔξετασιν. Οὗτοι μὲν οὖν κατὰ τὸ τοῦ θουκί πρὸς-  
ταγμα ἐν τῷ ἀσφαλεῖ κλεισθέντες τῆς φυλακῆς,  
ἐσπέρας καταλαβούσης, εἰς προσεχῆν ἑαυτοῦς ἀνῆ-  
καν, Ἐπίβλεψον ἐφ' ἡμᾶς, λέγοντες, ἐξ ἁγίου σου,  
Δέσποτα, κατοικητήριον, ὅτι ἐχθρὸς ἀνετίθειν ἡμᾶς  
διὰ τὸ σὸν ὄνομα, καὶ λαὸς ἄφρων παρόξυνε τὸ  
ὄνομα σου τὸ ἅγιον, καὶ μὴ παροῦσ ἀνθρώποις  
Σηρίων ἀγνωτότερος ψυχὰς ἐξομολογουμένας σοι,  
ἀλλ'

A ἄλλ' ἐπίβλεπον εἰς τὴν διαδίκην σου, καὶ ἀντιλαβῶν ἡμῶν, Κύριε, καὶ λύτρωσαι ἡμᾶς ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου, ὅτι ἡ ὑπερηφανία τῶν μισούντων σέ γέγονεν ἐφ' ἡμᾶς ἰσχυρά.

16 Καὶ τῆς εὐχῆς ἣδὲ τελεσθεύσεως, βραχὺ πρὸς ὕπνον διατραπέσιν ἄγγελος αὐτοῖς ἐπίσας, ἥλιον μὲν τὴν μορφήν ἰσοῦς, φαίδρον δὲ καὶ τῆς ἐσθῆτος αὐτῆς ἀπολάμπων, θαρσαλέῃ, φησὶ, πρὸς αὐτοὺς, οἱ τοῦ Χριστοῦ δοῦλοι, καὶ μὴ φοβησάσθε, ἰδραῖοι δὲ μᾶλλον ἐν τῇ πρὸς τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ὁμολογία ἤτε. Αὐτὸς γὰρ ἐστὶ μεθ' ὑμῶν, ἀντιλήπτωρ ὑμῶν ὁ μὲν δὴ ταῦτα εἶπε· τοῦ ὕπνου δὲ διανασάντες ἐκείνοι, ἀλλήλοιστε καὶ τοῖς συνοῦσιν οἰκταίαι τὴν ἀγγελικὴν ἐκείνην διηγήσαντο ὅπτασιαν, καὶ τὰς ψυχὰς ἐάρασαν ὑποκλησθέντες μεθ' ἡδονῆς πάλιν ἕκαστος ἐβλάλλετο. Πρὸς Κύριον ἐν τῷ ὀλίβησθαι με ἐκέκραξα, καὶ ἐπήκουσέ μου ἐξ ὄρου ἁγίου αὐτοῦ. Ἐγὼ ἐκαίμην καὶ ὕπνωσα, ἐξηγέρθη δὲ Κύριος ἀντιλήψεται μου· οὐ φοβηθήσομαι ἀπὸ μυριάδων τῶν κύκλων συνεπιτιμωμένων μοι, ἀνάσα, Κύριε, σῶσόν με, ὅτι σοὺ ἐστὶν ἡ σωτηρία, καὶ ἐπὶ τὸν λαόν σου ἡ εὐλογία σου· εὐδύς δὲ ἄμα πρῶτ' ὁδοῦ μὲν ἐπὶ μετεώρου καλῆσο τοῦ βήματος· παραισθήκει δὲ αὐτῶ καὶ ἅπαν τὸ στρατιωτικὸν σύνταγμα. Μεταπεμψόμενος οὖν ἀπὸ τῆς φυλακῆς τοῦ Ἁγίου, εἰς ἐπίκουρον αὐτῶν ἀναγνωσθήσονται κελύει τὰ γραμματα.

B 17 Οὗ γενομένου, ὑπολαβὼν αὐτὸς, Ἔδει μὲν ἀπ' ἀρχῆς, ἔφη, τῷ τοῦ καλλίνικου βασιλέως προστάγματι πεισθέντας ὑμᾶς θύσαι τοῖς θεοῖς, καὶ τὴν ἐκείνου μὴ παροργίσαι φιλανθρωπίαν· ἐπεὶ δὲ τί παθόντες οὐκ οἶδα ἐκείνους παροξύνετε, καὶ τοσαύτης ἐκπεπνῶναι δόξης, καὶ τὸν βαθὺν ἐκείνου πλοῦτον ἀποβεβλήκατε· ἀλλὰ νῦν γούνο ὑπακούσατε ἡμῶν προδυμήθητε τὰ λυσιτελεῖ συμβουλεύουσι, καὶ τοῖς θεοῖς θύσαι δεήσατε· ὅτω γὰρ ἂν δόξαστε μείζονος παρὰ πολὺ τῆς προτέρας, καὶ πλούτου, καὶ τῶν ἄλλων τῶν παρὰ βασιλεὶ καλῶν ἀπολαύσετε. Καὶ τί γὰρ τοῦτο θεῶν τὸ μὴ δυνηθέντας τὸ θεῶν συνιδεῖν πρότερον, εἶθ' ὑπὸ τύχης εἶτε καὶ τινας ἄλλης περιπέτειας, νῦν γούνο ἐμμελέστερον σκεψάμενοι τὸ προσήκον εἰλέσθαι σὺν ἀκριβείᾳ· πολλὰ γὰρ κούφωτερον δι' ἀγνοίαν τοῦ καλοῦ καὶ συμφέροντος ἁμαρτεῖν, ἢ ἐπιγνόντα τοῖς χείροισιν ἐπιμειναι, καὶ μὴ μεταστῆναι πρὸς τὸ βέλτιον· τὸ μὲν γὰρ ἀγνοίας ἐστὶν ἀμάρτημα, τὸ δὲ γνώμης ἐθελόκακος, καὶ μοχθηρῶς προαιρέσεως. Ὡς ἐγὼ γε πάντ' ἀπόδομαι ὑμῶν περικαιμαί, τήντε ἄλλαν ἀναλογίζόμενος φιλίαν, καὶ δὴ καὶ διαμνημονεύων ὑμῶν τοῦ καλοῦ καὶ τῆς εὐεργεσίας· καὶ μάλιστά σοι τῆς κυρίας μου Σεργίᾳ, δι' οὗ καὶ τὴν ἀρχὴν ταύτην ἐκτνήσθην.

18 Ἄλλ' οὐκ οἶδα, ὅτι καὶ ὄρασω, τῆς τύχης ὅτω τὰ πράγματα διαθείσῃ, ὥστε κριτὴν μὲν ἐμὲ καθῆσθαι τῆμερον, ὑμᾶς δὲ ἴσα καὶ καταδικαίους τῷ ἐμῷ παριστάσαι βήματι, λόγῳ ὑφέκοντας ἂν εἴσθε τοῖς ἀπτήτους θεοῖς αὐτοῦ καὶ τὸν εὐσεβῆ βασιλέα παρηνουήσατε. Οὕτω μὲν οὖν καὶ τοιοῦτοις ἐπαγούροις ῥήμασιν ὁ Ἀντίοχος τοῖς Ἁγίοις ὤμιλει, καὶ ὥσπερ φίλους αὐτοῖς διελέγετο, οὐ συμβουλεύων, οὐδὲ τὰ χρηστὰ ἐκείνοις ὑποτιθεῖς, ἀλλ' ἑαυτῷ μᾶλλον τὴν βασιλικὴν μνηστεύμενος θεραπείαν· ἦδει γὰρ οἷος ἔρωσ ἐκείνοι τῷ βασιλεὶ, καὶ ὅπως αὐτῷ περὶ πλείστων, τὸ μὴ τοιοῦτους ἀνδράς ἀποβαλεῖν· ἐκ πολλῶν καὶ ἄλλων τοῦτο δὴ τεκμαιρόμενος, καὶ τῷ μηδεμιᾷ τούτους ἐδελθῆσαι βασάνῃ περιβαλεῖν, ἀλλὰ διὰ μόνης τῆς ἀτίμου ταύτης πρὸς ἐκείνους ἀποστολῆς μεταπέσειν αὐτοὺς βουλησθῆναι· ὑποῖος δὲ Μαξιμιανὸς τεχνάσθαι ταῦτα βαδύτατότε καὶ ποικιλώτατος. Ἄλλα τοιοῦτοι μὲν ὁ Ἀντίοχος, ὥσπερ ἔφημεν, θελακτοῖς ὑπο-

et suscipe nos, Domine, et redime nos propter nomen tuum. Quoniam superbia eorum, qui te oderunt, in nos evasit vehemens ac potens.

16 Peractis autem precibus, cum ad somnum essent conversi, eis apparens Angelus, soli quidem forma similis, et ex ipsa quoque veste latum splendorem emittens: Confidite, eis dixit, Servi Christi, et nolite timere; sed state firmi et stabiles in Domini nostri Jesu Christi confessione. Ipse namque est vobiscum, defensor vester h. Ille quidem haec dixit. Illi autem cum e somno fuissent excitati, et inter se, et famulis, qui cum eis versabantur, angelicam illam narrarunt visionem. Et cum essent illorum animi rursus repleti fiducia, lati psallebant singuli: Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo. Ego dormivi, et soporatus sum. Exurrexi, quoniam Dominus me suscipiet: non timebo a millibus populi, qui me in orbem invadunt. Surge Domine, serva me. Quoniam tua est salus, et super populum tuum benedictio tua. Statim ergo summo mane dux quidem sedebat in excelso tribunali: ei autem assistebat universa quoque caetera militaris. Cum ergo accersivisset Sanctos e custodia, jubet legi literas eis audientibus.

17 Quod cum factum esset: Oportebat quidem, inquit, vos, parentes jussui gloriosi imperatoris, diis sacrificare, et non illius humanitatem ad iram provocare. Quoniam autem nescio qui factum sit, ut et illum ad iram provocaveritis, et a tanta gloria excideritis, et illas profundas amiseritis divitias; ad nunc saltem nobis velitis obedire, vobis consulentibus ea, quae sunt conducibilia. Sic enim priore longe majorem gloriam, et majores opes, et alia bona apud imperatorem consequemini. Quid enim est grave, si, quod non potuistis prius intelligere, sive forte fortuna, seu aliquo alio casu, nunc cum diligentius consideraveritis, id, quod oportet, accurate eligatis? Est enim multo levius, peccare propter ignorantiam ejus, quod est bonum et conducibile, quam, ubi agnoveris, perseverare in deterioribus, et non transire ad id, quod est melius. Nam illud quidem est peccatum ignorantiae, hoc autem malae mentis, et quae sunt mala, sua sponte eligentis. Nam ego quidem valde accenditor, et aliam vestram reputans amicitiam, et recordans ejus, quod a vobis accepi, beneficii, et maxime a te, domine mi Sergi, per quem hunc mihi paravi magistratum.

18 Sed nescio, quid agam, cum fortuna res sic administraverit, ut ego quidem hodie sedeam iudex: vos autem, tanquam rei, stetis ante meum tribunal, reddituri rationem vestre in deos ipsos invictos impietatis, et pium imperatorem inobedientiae. Sic ergo et his allicentibus verbis Antiochus conveniebat Sanctos, et amice quodammodo eos alloquebatur consulens, et bona, ut videbatur, eis suggerens, quo sibi imperatoris benevolentiam compararet. Sciebat enim, quantus esset illius amor in eos, et quod plurimi faceret tales Viros non amittere: hoc cum ex multis aliis conjectans, tum ex hoc, quod eos nullo voluerit tormento subijcere, sed per hanc solam ignominiosam ad illum missionem studeret eos in contrariam traducere sententiam, utpote quod ad haec excogitanda Maximianus esset vaferrimus et ingeniosissimus. Sed his quidem blandis et pel-

AUCTORE  
SYMBONK  
METAPHRASEK

apparitione  
autem ange-  
lica in hoc ad  
certamen ro-  
borantur,

h

E

dumque po-  
stridie inde  
educti nec  
blanditiis,

F

nec nimis  
Antiochi,

AUCTORE  
SYMEONE  
METAPHRASTE

licentibus verbis prius conabatur eos illicere Antiochus. Deinde conatus est etiam terrore eos a scopo traducere et constantia : Si enim meis, dicens non parueritis adhortationibus, erit mihi omnino necesse facere quae sunt imperata, et me, tanquam inimicum, gerere in vestram magnificentiam. Et post haec multus fuit in enumerandis nominibus tormentorum, et minis intentandis.

ut diis sacrificent, flectuntur,

19 Sed sancti Martyres, neque blanditiis emolliti, neque minis dejecti iis, dixerunt : Qui Christum solum, o iudex, et quae apud ipsum absconsa est, vitam lucrari statuerint, nihil est curae ex iis, quae fluit et intereunt, non honor, non gloria, non potentia, non aliquid aliud aut molestia afficere. Nos enim et tuas minas, et blanditias ex aequo contemnimus. Cessa ergo tu quoque, sicut serpens, nobis mala consulere. Videmus enim virus sub tuis labris, et ideo consilium tuum tanquam graves aversamur insidias. Ne ergo fallaris, tempus frustra consumens, et a vana spe pendens : neque enim puaniens expugnabis, neque minans persuadebis, ut viventem quidem Deum relinquamus, demonibus autem surdis et nullo sensu praeditis offeramus sacrificium. Nobis enim et propter Christum vivere est bonum, et propter ipsum rursus mori, lucrum. Tu autem nihil tale poteris dicere de tuis simulacris. Vere enim sunt argentum et aurum, opera manuum hominum, quae nihil possunt prodesse iis, qui ipsis suam collocarunt fiduciam. Similes ergo eis fiant ii, qui ipsa colunt, et omnes qui confidunt in eis.

i  
jubente eo, Sergius in carcerem re-  
truditur, Bac-  
chus vero

20 Cum ergo dux vidisset eos tam aperte locutos, tantaque esse praeditos libertate et animi magnitudine, et intellexisset fieri non posse, ut verbis eis persuaderet, processit ad periculum per tormenta faciendum : et beatum quidem Sergium in tutissimam tradidit custodiam, pro accepto beneficio eum sic remunerans : Bacchum autem a quatuor fortiter extensum, boum nervis jussit caedi crudeliter. Sed licebat videre mentem longo natura fortiorem, et animi institutum vi quavis corporis excelsum. Nam sanctissimi quidem illius corporis partes avulsae flagellis, disjiciebantur in ipsum aera, per terram autem ferebantur rivi sanguinis : et viscera quidem nudabantur carnibus, ipsius naturae formationem aperientia iis, qui aderant : anima autem, quae ipsa quoque Athletam festinabat relinquere, sustinebat tamen, etiam plura requirens supplicia, ut omnino munificentiora assequeretur bravia.

ad mortem usque certatur.

21 Laetabantur angeli, videntes admirabilem Martyris constantiam. Cruciabantur daemones, quod parva de eis victoria, in conspectu omnium quodammodo duceretur in triumphum. Lictores fessi, humi accubebant. Martyrem autem videns, dixisses, eum ita esse affectum, ut non tam flagris caesus, quam vernis floribus conspersus videretur. Tandem per voces caelestes vocatus est ad beatum locum quietis, anima deposita in manus Opificis. Martyricum autem illius corpus a bestiis quidem devorandum exposuit ille iudex iniquus. Ignorabat autem, qualem curam gerat eorum, qui ipsum diligunt, illius Deus, qui etiam ferarum naturam scit traducere ad mansuetudinem, et per alias adhuc majora facere miracula. Ferae enim reveritae certamina, quae pro pietate ab eo erant suscepta, non solum nullum ex ejus membris omnino tangere sustinerunt : sed etiam, dum

k

κλέπτειν τὰ πρώτα λόγους αὐτοὺς ἐπιράτο' εἶτα προστίθει, τὸ καὶ τοῖς φοβερωτέροις τοῦ σκοποῦ μετακινήσαι, καὶ τῆς ἐνστάσεως' εἰ γὰρ μὴ πιθαικτέ μοι, λέγων, ταῖς παραινέσεσιν ἀνάγκη μοι πάντως ἔσαι κατὰ τὰ προτεταγμένα ποιῆν, καὶ ὡς ἐχθρὸν μᾶλλον τῇ ὑμετέρᾳ προσφέρεσθαι μεγαλοπρεπέα, καὶ πολλὴν ἢ ἐφεξῆς τοῖς τῶν κολαστηρίων ὀνόμασι, καὶ ταῖς ἀπειλαῖς.

D

19 Ἄλλ' οἱ ἅγιοι Μάρτυρες οὕτε θωπείαις μαλακτόμενοι, οὕτε ἀπειλαῖς ταπεινούμενοι, τοῖς τῶν Χριστὸν μόνον εἶπον, ὃ δικαστὴ, καὶ τὴν παρ' αὐτῷ κρυπτομένην ζωὴν κερδάναι προελθόντες, οὐδενὸς μείλει τῶν βρότων τούτων καὶ φθειρομένων, οὐ δόξης, οὐ δυνατείαις, οὐκ ἄλλου τινοῦ τὸν ἦ δέξαι, ἢ ὑπεῖν δυναμένον. Οὐκ δὲ γὰρ ἡμεῖς καὶ ἀπειλῶν τῶν παρὰ σοῦ καὶ κολακτικῶν ἐπίσης καταφρονοῦμεν, καὶ οὐδενὸς ὅλος τῶν ὑμετέρων φροντισόμεν' παύσαι τοιγαρὸν ποιηρὰ κατὰ τὸν ὅρον ἡμῶν καὶ αὐτὸς συμβουλεύειον' ὄρωμεν γὰρ ὑπὲρ τῆς χεῖλης σου τὸν ἰδὸν, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὴν συμβουλήν ὡς γαλεπὴν οὖσαν ἐπιβουλήν ἐκτρέπομεθα. Μὴ τοῖνον ἐξαπατῶ, τὸν καιρὸν εἰς μάτην ἀναλίσκων καὶ κενῶν ἐλπίδων ἐχόμενος' οὕτε γὰρ κολάζων αἰρήσεις, οὕτε ἀπειλῶν πείσεις καταλείπει μὲν τὸν χρόνον Θεόν, δαίμοσι δὲ κοφῶσι καὶ ἀνασθητοῖς θυσιῶν προσεγγεῖν' ἡμῶν γὰρ καὶ τὸ διὰ Χριστὸν ζῆν ἀγαθόν, καὶ δι' αὐτὸν πάλιν ἀποθάνειν, κέρδος. Σὺ δὲ ἄλλ' οὐκ ἂν ἔχαις τί καὶ αὐτὸς τοιοῦτον περὶ τῶν οἰκίων εἰδώλων εἰπεῖν' ἀληθῶς γὰρ ἀγγέλων εἰσι καὶ χριστῶν, ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων, οὐδὲν τοῦ εἰς αὐτὰ πεποιθότατος ὄντος δυναμένα. Ὅμοιοι αὐτοῖς ἴσονται οἱ τιμῶντες αὐτὰ, καὶ πάντες οἱ πεποιθότες ἐπ' αὐτοῖς.

E

20 Ὁ δούξ τοῖνον τοιαῦτα φανερῶς φεβηχόμενος, καὶ οὕτως ἐλευθερίως ἔχοντας τοὺς Γενναίους ἰδὸν, καὶ γνῶς ὡς οὐκ ἂν ποτε λόγους αὐτοῦς μεταπίσει δύνησει, πρὸς τὴν διὰ βασάνων πείραν ἐχώρει, καὶ τὸν μὲν μακάριον Σέργιον ἀσφαλεστάτη φρουρὰ παρῆιδου, τοῦτο δὲ δῆθεν ἀμειβόμενος αὐτὸν τῆς ἐνεργείας' τὸν Βάκχον δὲ διὰ τεσσάρων ἰσχυρῶς ἐκταθέντα βουνοῖσι ὡμαῖς ἐκείναις καταβαλεῖν ἐκέλευε' ἀλλ' ἢ ἰδεῖν γνῶμεν πολλῶ φύσεως ἰσχυροτέρου καὶ προαίρεσις σωματικῆς πάσης βίας ἀψηλοτέρου. Μερὴ μὲν γὰρ τοῦ παναγίου σώματος ἐκείνου ταῖς μέσῃν ἀποσπώμενα, πρὸς αὐτὸν ἀέρα διεθρίπτουτο, αἱμάτων δὲ κατὰ γῆς ἐφέροντο βύακες, καὶ σπλέγγυα μὲν τῶν σαρκῶν ἐγμυνοῦτο, τὴν τῆς φύσεως αὐτῆς διάπλασιν τοῖς παρούσιν ἀνακαλύπτουτα. Ψυχὴ δὲ καὶ αὐτὴ ἀπολείπει ἐπιγεγομένη τὸν Ἀσκλητῆν, ὅμως ἐπέμεινε καὶ πλείους ἐπιζητούσα κολάσεις, ἵνα φιλοτιμιωτέρων πάντως ἐπιτύχη καὶ τῶν βραβείων.

F

21 Ἐχαίρων ἀγγελοὶ τὴν ὑπερφυᾶ τοῦ Μάρτυρος καρτερίαν ὀρώντες, ἠνδῶντο δαίμονες, τὴν ἑαυτῶν ἦταν ὑπὸ ταῖς πάντων ὄψεσι θριαμβεύοντες, ἀπαλορεύοντες οἱ δῆμοι τῇ γῇ κατεκλίνοντο. Καὶ ὁ Μάρτυς, ἔπερ ἂν αὐτὸν οὕτως ἰδὸν διακείμενον, οὐ μάλιστα μάλλον, ἢ μέσῃν εἰρηνιστῆ καταχέσθαι, ἕως ἐπὶ τὸν μακαρίων τῆς ἀναπαύσεως δι' ἐπουρανίου φωνῆς ἐκλήθη τόπον, ταῖς τοῦ δημιουργοῦ χειρὶ τὴν ψυχὴν παραδέμενος. Τὸ μὲν τοι μαρτυρικὸν ἐκείνου σῶμα βρώμα μὲν θηρῶν ὁ παράνομος δικαστὴς προστίθει' ἡρώσει δὲ πάντως ὅποιος ἦν κλέσθαι τῶν φιλοῦντων ὁ ἐκείνου Θεὸς ὃς καὶ θηρίων αἰδὲ φύσιν μεταβάλλειν εἰς ἡμερότητα, καὶ μείζονα ἔτι δι' ἐκείνου θαυματουργεῖν. Τοῦ γὰρ ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας αἰδούμενου τοῦ ἀνδρὸς ἄλλου οἱ θῆρες, οὐ μόνον οὐδὲ φαῦσαι τινος τῶν αὐτοῦ μελῶν ὅλος ἠέσχοτο, ἀλλὰ καὶ πρὸς ταφήν ὑπὸ Χριστιανῶν φερομένην παρεῖποντο, δορυφόρων τάξιν ἀποπληρούντες, καὶ τὴν τῶν θεομάχων

μάχων

A μάχων ανοίαν φανερώς διελέγχοντες· οὗτω μὲν οὖν ὁ αἰθιμὸς Βάκχος ὡν ἐπεδύμει τυγῶν, πρὸς τὰς ἐν οὐρανοῖς σικνῆς διαβρίνει.

ad sepulchrum ferretur a Christianis, eum sequebantur fungentes munere satellitum, et Dei hostes aperte arguentes amentiae l. Sic ergo inclytus Bacchus ea, quae cupiebat, assecutus, ad caelestia transit habitacula.

AUCTORE  
SYMONNE  
METAPHRASTE  
l

## ANNOTATA.

a In Actis Latinis, non Orientis, sed Augustae Euphratis duae exstisae traditur Antiochus: verum adi Comment. praevium num. 26.

b Anne tanta Sergius apud Maximianum imperatorem potestate, quanta hic asseritur, valuerit, est dubium, uti Commentarii praevii § 5 jam dixi.

c Licet haec epistola ab epistola, cui in Actis Latinis respondet, in verbis plurimum discrepet, in substantia tamen cum eadem apprime consonat; uti autem, quemadmodum in Annotatis, Actorum Latinorum cap. 1 subnezis, ad lit. p dixi, Maximiano ista, ita etiam haec a Metaphraste, biographi primarii verbis non nihil dumtaxat mutatis, pro arbitrio videtur afficta.

d Videtur, hic tradi Sanctos Roma aut certe (Graeci enim post Constantini Magni aetatem, qua serius Sanctorum nostrorum Acta scripta sunt, Constantinopolim novam Romam appellavere) Constantinopoli in Orientem a Maximiano missos fuisse; quod, quemadmodum in Commentario praevio num. 20 docui, a veri specie procul abest.

e In Actis Latinis locus hic, nec ita, uti hic seu Graeco, seu in versione Latina, quae Graeco non satis consonat, scribitur, nec civitas, sed castrum seu castellum appellatur.

f Id est, eorum, qui Romani imperii limitibus erant contermini; Barbalissum nempe, seu, uti hic scribitur, Barbalesum in extremo ejusdem Romani imperii limite Saracenos Persasque versus situm erat.

B g Pro vocabuli hujus significatione videsis, quae in Annotatis, Actorum Latinorum cap. 1 subnezis, ad lit. s in medium adduri.

h De hac aliisque caelestibus visionibus, quibus Sancti ad fortiter certandum roborati fuerint, sentiendum quid sit, e dictis Commentarii praevii num. 56 statues.

i Videntur et ratiocinia omnia, quae hic Sanctis Antiochoque attribuuntur, a biographo primario, cujus stylium Metaphrastes immutavit, pro arbitrio esse conficta.

k Et si, an Bacchus per caelestes voces ad caelum, uti hic traditur, fuerit vocatus, vehementer dubitem, flagris tamen eum, uti hic pariter asseritur, consummasse martyrrium, pro indubitato, aut saltem pro verosimillimo habeo. Adi Commentarium praevium num. 54 et seq.

l Credibilior hic videtur Metaphrastis, quam Actorum Latinorum, narratio. Adi iterum Commentarium praevium num. 21.

## CAPUT III.

## Sergius crudeliter torquetur, gladio martyrrium consummat, temploque ejus sepulchrum honoratur.

C Ο σύναδλος δὲ Σέργιος ἀπολειφθεῖς, λίπηε διὰ τὸν χωρισμὸν, καὶ ἤδονη πάλιν διὰ τὰ προσδοκώμενα ἐμερίζετο, ἀλλ' οὐ περιείδεν αὐτὸν τῷ χωρισμῷ κἀμνοντα ὁ γλυκὺς ἐταῖρος καὶ ἐραστής· ἀλλὰ φαδρᾷ τῇ ἦθει ὁ θεῖος Βάκχος, καὶ συνήθει τῇ τῆς φρασεῖας σχήματι νυκτὸς ἐπιφανείας, καὶ διαλεχθείς τῷ φίλῳ, καὶ θάρσους ἐμπλήσας τὸ σκυθρωπὸν τῆς ἀσυχμίας διέλυσε, καὶ ἀσφαλέςτερον ἅμα καὶ γενναϊότερον πρὸς τὰς μελλούσας τιμορίας διέδραμεν. Εἰς δὲ τὴν ἐξῆς καθίσας πάλιν ὁ δούξ ἐπὶ βήματος, καὶ τὸν μακάριον παραγωγὸν Σέργιον, τὴν λεοντὴν ἀποβαλὼν ὁ ποικίλος τὴν ἀλοπευκὴν ἐνδύεται καὶ τινα πλάσάμενος εἰς αὐτὸν εὐνοίαν, καὶ πιστὸν τι δῆθεν ἐπιδεικνύς ὅτι τὴν ἀρχὴν ἐκείνην ὑπ' αὐτοῦ κτήσαιοτο, κολακείας αὐτὸν εἰς τὸ εὖεν ἐξεκαλεῖτο, τὴν παντελῆ Χριστοῦ ἀλλοτριώσειν ἐν τάξει χριστιανῶν ἀποδοῦναι βουλόμενος ὁ θεομισῆς καὶ ἀνόητος· ἡρέμα δὲ καὶ ταῦτα ὑποφρονῶν, Αἰσχύνομαι τὴν παλαιὰν ἐκείνην εὐδαιμονίαν καὶ τὰς εἰς ἐμὲ χάριτας, φίλτατε Σέργιε, αἰσχύνομαι νῆ τοὺς θεοὺς, καὶ οὐδὲ ὄραμ' ἐτι σὲ φέρο κατὰδικον οὗτω τῷ ἡμετέρῳ βήματι παριστάμενον, ὁ πολλοσὺς ἐγὼ πρὸς τὴν σὴν ἐπιφάνειαν, καὶ τῆς σῆς φιλίας καὶ δυναστείας ἔργον τὴν παροῦσαν ἀρχὴν περιεκέμενος.

25 Ο μὲν οὖν πανούργως ἔλεγε τὰ τοιαῦτα, τοῦτο μόνον τεχνώμενος, ὅπως αὐτὸν ἐξ ἄπαντος

Sergius autem socius ejus relictus et molestia distrahebatur propter separationem et rursus laetitia propter expectationem. Sed non despexit eum aegre ferentem separationem dulcis ejus amicus et familiaris; sed lato vultu divinus Bacchus, et consueto habitu militari noctu ei apprensus, cum Amicum convenisset, et eum implevisset audacia, et ejus discussit tristitiam, animique aegritudinem, et firmiorem fortioemque reddidit ad supplicia a. Die autem sequenti dux rursus sedens in tribunali cum beatum curasset produci Sergium, leoninam pellem exuens, versipellis induit pellem vulpis. Et cum in eum quandam finxisset benevolentiam ad fidem faciendam aliquid accommodatum ostendens, quod scilicet illum magistratum ex eo nactus esset, eum blanditiis evocabat ad sacrificandum, perfectam et absolutam a Christo separationem ei volens reddere pro beneficio, stultus, sic quoque sensim eum alloquens: Pudet me veteris illius felicitatis, et beneficiorum, quae in me contulisti, amicissime Sergi, nec te quidem amplius fero intueri sic reum stantem pro nostro tribunali, qui sum minimus, si cum tuo conferar splendore, tuoque amicitiae et potentiae opera sum presentem assecutus magistratum b.

25 Ille quidem haec callide dicebat, hoc solum machinans, ut eum omnino blandis illiceret,

Sergium ite-  
rum Antio-  
chus blandi-  
tiis  
F

a

b

AUCTORE  
SYMBONE  
METAPHRASTE  
ac misis ag-  
greditur vo-  
luntati autem  
suae nondum  
obsequentem

illiceret, et fraudulenter ad eandem deduceret religionem. Ille autem : Sed si me, inquit, velis nunc quoque in maximis bonis accipere benefactorem, prompto et alacri animo tibi hac in re inserviam. Nam cum et liberavero ab hac profunda deceptione, adducam ad lucem veritatis et Regi immortalis reddam familiarem. Non lubenter auditi ea, quae dicebantur, homo, qui assuefactus erat interitui : sed statim Sergium gravius et severius adspiciens, Ne deos, inquit, blasphemem immortales. Martyr autem acrius utens dicendi libertate, totum faciebat contrarium, et illius deos afflicebat probris ac contumeliis, et eos solum nomina vocabat re carentia : eos vero, qui illos adorabant et colebant, ostendebat multo minore sensu esse praeditos, quam surdos illos deos. Dux autem postquam vidit Sergium et blanditiis, et misis esse superiorem, et nihil remittentem de loquendi libertate, illam statim ementiam exuens amicitiam et personam, aperte ostendit id, quod erat; et magna mea, inquit, mansuetudo, et haec in te importuna benignitas, ad arrogantiam te extulerunt, et sic in nos ipsos, et deos magnos vocarunt.

clavatis co-  
thurnis indui,  
atque ita ante  
vehiculum  
suum currere,

e

d

24 Sed dediscis (sat scio) superbiam, et oblivisceris tuae arrogantiae, et cognosces te ipsum non esse rerum communium amplius intercessorem, neque posse plurimum apud imperatorem, sed esse damnatum et vinctum, et si quod aliud malum sequitur eos, qui ita sentiunt. Et statim a praesidio Surorum Dux proficiscens in civitatem Rosaphorum c, efficit ut calcetur Athleta crepidis, ferreis clavis confixis : et conscendens vehiculum, coegit Sanctum ita pedibus affectum ante ipsum currere ad septuaginta stadia usque ad Tetrapyrgium d. Atque quicumque quidem videbant sanguinem e pedibus defluentem, eis plane admirari veniebat in mentem, et Athleta stupere tolerantiam. Martyri autem spes eorum, quae expectabantur, erant gutta consolationis, quae cadebant e caelo, et levabant dolorem gravitatem. Et citra molestiam pergebat iter ingredi, et haec psallebat cum letitia : Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi. Et exaudivit deprecationem meam : et eduxit me de lacu afflictionis, et luto facis. Et statuit in latitudine pedes meos, et direxit gressus meos.

C cumque, quae  
hinc in pedi-  
bus acceperat,  
vulnera  
ab angelo

e

25 Postquam autem jam pervenissent Tetrapyrgiam, ipsum quidem excepit custodia, duce ita iubente : illum autem urgentes curae Reipublicae tenuerunt occupatum. Cum autem jam esset vespere, Martyr relictus solus in custodia, psallebat : Qui comedebant panes meos, magnificarunt super me supplantationem. Et funibus extenderunt laqueum pedibus meis, et cogitaverunt supplantare gressus meos. Sed tu, Domine, praeveni, et supplantas eos, et libera ab impiis animam meam, et de manu canis unicum meam. Quare nec consolationis expertem ejus animam rursus despexit is, qui e superis ei nectebat coronas, sed et multam se ejus curam gerere ostendit, et angelum ei misit media nocte, qui, cum prius illius animam jucunde recreasset, et deinde etiam corpus curasset, et pedes, qui male se habebant, sanasset, et tanquam cum quodam amico et concive suo amicissime esset locutus, et eum amplexus, longe alacriorem reddidit ad certamen e. Mane ergo sedens dux in tribunali, jubet quibusdam ex iis, qui adstant, ut Sanctum tollentes e custodia,

υποκλήψη, και προς την Ύσιν αυτην Σρησιαειαν δολε-  
ρωσ υπαγαγεται. Ο δε, αλλ' ει βουλει, φησι, και  
νυν εν τοις μεγαλοις των αγαθων ευεργετη λαβειν  
με, προθυμος εσομαι σοι' ελευθερωσασ γαρ σε της  
βαθειας ταυτης απ' αθης, τη της αληθειας προσεξω  
φωτι, και Βασιλει τη αδανατω προσοικειωσομαι.  
Οχι ηκουσεν ηδεις των λεγομενων ο τη απολεια  
συνεσιδεις ανθρωπος, αλλ' ευβριστερον αυτικα  
Σεργιο το βλεμμα επιβαλον, Μη βλασφημει τοις  
αδανατους, εφη, θεους. Και ο Μαρτυρ δε Σερμυτε-  
ρον παλιν τη παρηγοια χρησαμενος, τουναντιον  
απαν εποιει, και εις τοις εκεινου θεου εμβριζετε,  
και ονοματα μινου αυτοις εκληει πραγματων ερη-  
μα, και τοις προσκυνουντας δε, και σεβρομενους  
αυτους αναισθητεροιου πολλη των κοφων εκεινου  
απεδεικνυ θεων. Ο δουξ τουνυν ος εδωρα κολακισιντε  
κρειττω και απειλων τον Σεργιον, και ουδ' οπισουν  
υποδιδοντα της παρηγοιας, αυτικα την κατελευ-  
σμενην εκεινην φιλιαν και το προσωπιου αποδυσά-  
μενος, επερω ην εναρθωσ ειδεικνυτο. Και ος εουκεν η  
πολλη μου, φησι, ημεροτνη, και το ακαιριος τουτο  
προς σε φιλιανθρωπον, ταυτα σε προς αλαζουνοιαν  
επηρω, και ουτω και ημωντε αυτων και θεων ηρι-  
θιστε των μεγαλων.

D

E

24 Άλλα και τον τυφου απομαθηση, ει οίδα,  
και επιληση της αυθαδειας, και γνωση σεαυτον ου  
μειστην αρι των κοινων οντα, ουδε παρα βασιλει  
τα μεγαλα δυναμενον, αλλα κατακριτον και δεσμο-  
την, και ει τε αλλο τοις ουτω φρονουσι επεται  
κακον. Και αυτικα την απο του φρουριου Σουρων  
επι την πολιν Ρωσαφων τελλμενος πορειαν ο δουξ,  
σιδηραις κρηπισιν ηλους οεισε εμπαραρμεναις τον  
Αθλητην υποδεθηναι παρασκευασει. Και οχηματος  
αυτου επιβασις, εμπροσθεν ος ειχε ποδων, τρεχου  
τον Αγιον επι εβρομικοντα που εσθιουσι αρι  
Τετραπυργιας ηγαλασεν. Οσοι μιν ουν απαρβου  
το εν ποδων αιμα εωρων, θαυμαζειντε αυτοις ατε-  
χως επηει, και τον Αθλητην της καρτεριας εκπλη-  
τεσσαι. Εκεινω δε αρχ αι τον προσκομωμενον  
ελπιδες βανιδεσ παρακλησασ ησαν εξ ουρανοσ ε-  
λθουσαι, και το βαρυ των οδωνυν υποκουριζουσ  
αλυπωσασ ειχετο της οδοσ, και συν ηδονη ταυτα υπ-  
εβαλλεν. Υπομινουσ υπεμινενα τον Κουριον, και προσ-  
εσχε μοι. Και εισηκουσε της δεησεωσ μου, και  
ανηγαγε με εκ λακκου ταλαιπωριασ, και απο πληου  
ιλουσ. Και εσπεν εν ευρηχορφη τοις ποδασ μου,  
και κατεβησε τα διαβηματα μου.

F

25 Ως δε και την Τετραπυργιαν ηδη κατελαβον,  
αυτον μιν η φυλακη δεσμοτην ελαμβανεν, ουτω  
προσαχθεν υπο του δουκου εκεινον δε φροντιδεσ εν  
χερασι δημοσιων πραγματων ειχον. Εσπερας δε  
ηδη γενομενησ, μινος παρα τη φυλακη ο Μαρτυρ  
απολειφθεισ, Οι εσθιουτεσ, εβαλλεν, αρτουσ μου,  
εμαγαλυαν επ' εμε περιρισμον, και σχονιοισ διε-  
τειναν παγίδα τοις ποσι μου, και διελογισαντο του  
υποσκελισαι τα διαβηματα μου' αλλ' αυτουσ, Κυριε,  
προσβασον αυτοις, και υποσκελισον αυτοις, και  
ρυσαι απο ασεβων την ψυχη μου, και εκ χειρωσ  
κυνωσ την μονογενη μου. Οσεν ουδεσ απαροκλιθηον  
αυτου την ψυχη παλιν ο τοις σεφανουσ αυτην  
πλεκων ανωθεν περισιδεν, αλλα κηδεμονικατε περι  
ταυτον πολλην επιδεικνυται, και αγγελου αυτην κατα  
μειστην εκπεμπει την νυκτα, δεσ προτερον την εκεινου  
ψυχη ηδεωσ ανακτησάμενοσ, ειτα και του σωμα-  
τουσ επιμεληθεισ, και τοις ποδασ αυτην υπο των  
πληγων εχοντασ υγιασασ, και καθ'απειρο εταιρω τινι  
και συμπολιτη φιλικωτατα διαλεχθεισ και κατα-  
σπασάμενοσ, προθυμωτερον πολλω προς τον αγωνα  
διεσπεν. Εωσεν τουνυν καθισασ επι του βηματασ  
παλιν ο δουξ, κλεκειν τιτι των περιεστωτων, ανηλο-  
μενουσ



A μένους τὸν Μακάριον ἀπὸ τῆς φυλακῆς, ποῦ γὰρ αὐτὸν δυνατὸν εἶναι χρῆσασθαι τοῖς ποσίν ὑπὸ τῶν πληγῶν ἦτο, πρὸς ἑαυτὸν καὶ τὸ βῆμα κομίσαι.

26 Τῶν δὲ πρὸς τὴν φυλακὴν παραγενομένων, εὐθύς αὐτοῖς ἦν ἐκ καινῆς ὁ Μάρτυς, οὐ τὸ γῆρας, ἀλλὰ τῆς πληγῆς πάσης ἀποκυσσόμενος· οὐδὲ γὰρ εἰδείη χειρὸς ἀνεγνώσθη, ἢ τοπαράπαν αὐτῷ συλλαμβανούσης πρὸς τὴν πορείαν, ἀλλὰ κούφως ἐβρανε, καὶ σοβαρὸν ἐκνεύετο, καὶ Μάρτυς ἦν ἀληθῶς ἀξιώσιμος τῆς ἀμάχου καὶ πανθενούς τοῦ Χριστοῦ δυνάμεως. Οὕτω δὲ αὐτὸν ὁ δοῦξ ἔχοντα πόρρωθεν κατυδῶν, ἡσυχῇ καὶ κατ' ἑαυτὸν ἀπεδαύμαζεν. Ὡς δὲ καὶ πλησίον γένοιτο ἤδη, μαγαίαντε τὸ πρᾶγμα ἐκάλει, καὶ θεοῦ ἐπόμυ, καὶ μάρτυρας αὐτοῦ ἐποίησεν τῶν λεγομένων. Τί γὰρ ἔστιν ἕτερον, ἔλεγεν, ὃ καὶ παρὰ βασιλεῖ πρότερον αὐτῷ τοσαύτην παρέιχε τὴν παρόρησιαν, καὶ νῦν πάλιν τῆς ἰσχυρίας τῶν πληγῶν ἰδύνας ἐκοιμίστετε καὶ ἡμίβλητον, οὐ μὴ μαγεία σαφῆς, καὶ λόγοι περιεργῶς ὡς τὰ πολλὰ καὶ σοφιστικῶς ἐπαθόμενοι. Ἐντεῦθεν καὶ ἀπεργίωσεν ἤδη Σεργίου, καὶ τὸν ἀνδρᾶ ἐπὶ ἐγγυράτω παρασιστάμενος, εἰ πᾶς κἄν οὕτως ὑποκλήσῃ ταῖς οἰκειώσεσιν, ἡμέρωσθε διατεθείς ὡς μάστιγα, καὶ τῆς προτέρας πάλιν πρὸς αὐτὸν θωπέας γενόμενος, θεῶν τι, ἔλεγεν, ἠγούμαι, καὶ ἄπιστον, πῶς ἐν πολλῇ θεραπείᾳ καὶ πλούτῳ καὶ ἡδύσιν ἄλλοις τραφέῃ, τὴν βαρυστάτην βίασανον ταύτην οὕτω γενναίως ὑπένεγκας· ἀλλὰ τὴν ὁμιλίαν εὐθύς ὁ Μάρτυς αὐτῷ ἐκινῶνας, οὐ βράσανός μοι τὰ παρόντα, εἶπεν, ὃ δικαστὰ, ἀλλ' ἱερὰ διὰ Χριστοῦ πομπῇ καὶ πανήγυρι, πρὸς αὐτὸν με τὸν οὐρανὸν ἤδητα παραπέμπουσα.

27 Ὁ δοῦξ τοίνυν ἐπιπλέων καὶ αὖτις ἀπογορευσας, τῇ φυλακῇ παραπέμπει τὸν Ἅγιον· αὐτὸς δὲ περὶ τραπέζας εἶχε, καὶ τὸν μεταξὺ πάντα καθήδονα βίβει καρῶν, ὡς περὶ οὐ θυμὸν μόνον καὶ ὀμνῆτας, ἀλλὰ καὶ ἡδονῆς δούλος εἶναι βουλόμενος· ἐπεὶ δὲ ἀπεσθαι καὶ πάλιν ὁδοῦ ἐβέλλε, καὶ πρὸς τὸ Ῥωσαφῶν ἠπέλγετο φρεῦριον, ἐφ' ὃ καὶ τὴν ἀρχὴν ἀπὸ Σουρῶν ὄρητο, ταῖς προτέρας αὖτις τὸν Ἀθλητὴν ὑποδίστας κρηπίσι, τὴν ἀπὸ Τετραπυργίας μέχρι Ῥωσαφῶν αὐτῶν ἤλαυνεν· ὡς δὲ τῇ αὐτῇ πάλιν ἀνάγκῃ παλαιούτα, τὴν αὐτὴν ἢ καὶ μείζονα καρτερίαν ἐπιδεικνύμενον εἶδε τὸν Μάρτυρα, καὶ τὴν ἀπὸ Σουρῶν ἄχρι Ῥωσαφῶν ὁδὸν μετὰ τῶν σιδηρῶν κρηπίδων ἐκείνων ἀπονητὴ διανύσαντα, τὴν μεταβολὴν παντάπασιν ἀπογορεύσας, ἔειπε τὴν μακαρίαν αὐτοῦ κεφαλὴν ἀποτιμήθηναι κελύσει. Ἄγεται μὲν αὖν ὑπὸ τῶν τῆς τάξεως λοιπῶν ἐπὶ τὸν τῆς τελειώσεως τόπον ὁ Μάρτυς· ἀνδρῶν δὲ πολὺ τι πληθῶς, καὶ γυναικῶν, καὶ ἡλικίας ἀπάσης, ὡς περὶ ἐν σκότῳ φωτὸς εἰς τὴν πόλιν προηγουμένου, πάντες ἐπικολούθουν, ὡς τε ἀγωνιζόμενον αὐτὸν ἰδεῖν, καὶ νικῶντα, καὶ στεφανούμενον.

28 Ἀλλὰ καὶ θῆρες ἀγρίαι καθάπερ τι ἔρωτικὸν καὶ οὕτω πρὸς τὸν Ἀθλητὴν παθόντες, τῶν οἰκείων ἀπάραντες φυλακῶν, ἡμέρας αὐτὸν καὶ προσηνῶς παρέπεμπον, ἐκείνου μὲν τῆς μακαρίας ὡς περὶ πορείας ἀποδεχόμενοι, τοὺς ἀσεβεῖς δὲ πράγματι διελέγοντες, οὐκ ἔστιν ὅτι καὶ θῆρες ἠδεδόθησαν, αὐτοὶ λίαν τυφλωτότερες ἀναίρουσιν. Ὁ δὲ τοὺς ἄγοντας στρατιώτας βραχύν τινα καιρὸν εἰς προσευχὴν αἰτήσας, καὶ παρ' ἐκείνων λαθῶν, ὅλην εὐθύς πρὸς τὸν ἑαυτοῦ δεσπότην μετὰ τῶν ὀφθαλμῶν αἶρει καὶ τὴν ψυχὴν. Εἶτα τῆς οἰκείας συμπαθείας αὐτὸν ἀναμνήσας, ἤδη καὶ εἰς ἔλεον τῶν φουετῶν ἐκείνων ἐξεκαλεῖτο. Ὁ μόνον, λέγων, ἀγαθότητι τὰ πάντα δημιουργήσας, ὃ κατ' εἰκόνα σὴν τὸν ἀνδραποῦν διαπλάσας, καὶ ἄρχην τῶν ἀποδούλων προχειρισάμενος, ὃ καὶ τὴν ἐντολὴν παραβάνας, καὶ ἠθετηκῶτας σε τὸν δεσπότην, καὶ ἀγνώμονας περὶ τὸν εὐεργέτην

(neque enim putabat fieri posse præ plagis, ut uteretur pedibus) ad suum deferant tribunal.

26 Cum illi autem accessissent in custodiam, statim fuit Martyr, ut aquila, renovatus, non ablata senectute, sed omnibus vulneribus. Neque enim opus habuit manu, quæ eum sustineret; aut ei omnino opem ferret ad ingrediendum: sed et leviter ingrediebatur, et pulchre movebatur, et erat revera testis fide dignus invictæ et omnipotentis Christi virtutis. Cum enim sic affectum dux adspexisset eminens, apud se mirabatur tacitus. Cum autem jam prope esset, eam rem vocabat magiam, et deos jurabat, et eos vocabat in testimonium eorum, quæ dicebat. Quid est enim aliud, aiebat, quod et apud imperatorem ei prius tantam præbuit fiduciam, et nunc statim sopiit et obtudit acres dolores vulnerum, nisi aperta magia, et verba, quæ ut plurimum curiose et sophistice incantantur? Ex hinc jam de Sergio spem abiciebat, et cum eum curasset quam proxime sistendum, si forte familiaritate eum sic alliceret, placide eum alloquens, et ad priorem revertens assentationem: Rem quandam, aiebat, arbitror, divinam et incredibilem, quod in multis deliciis et divitiis, et honestis moribus educatus, tam fortiter tuleris hoc tam grave tormentum. Sed ejus sermonem statim interrumpens Martyr: Non sunt mihi, inquit, o iudex, tormentum presentia, sed sacra propter Christum pompa, et festum celebre, me ad ipsum cælum jucundissime transmittens.

27 Dux itaque adhuc magis desperans, Sanctum transmittit in custodiam. Ipse autem interrim operam dabat mensurarum lautitiæ, et lætitiæ, ut qui non solum iræ et crudelitatis, sed etiam voluptatis vellet esse servus. Cum autem viam rursus esset ingressurus, et ad Rosaphorum contenderet presidium, ad quod tendens a Suris profectus fuerat, Athletam, rursus prioribus calcatum crepidis, a Tetrapyrgia duxit usque ad Rosapha f. Cum autem cum eadem rursus luctantem necessitate vidisset Martyrem eandem, aut etiam majorem ostendere fortitudinem, et viam, quæ est a Suris usque ad Rosapha, cum ferreis illis crepidis citra laborem confecisse, omnino desperans fore, ut mutaretur, jubet beati Martyris caput amputari gladio. Ducitur itaque Martyr a militibus ad locum consummationis. Magna autem multitudo virorum et mulierum et omnis ætatis consequebatur, ut eum viderent et decertantem, et vincentem, et coronatum.

28 Quin etiam ipsæ quoque feræ, veluti captæ quodam amore Athletæ, relictis propriis cavernis, eum placide et mansuete deducebant, illius quidem beatum iter quodammodo probantes et commendantes, impios autem reipsa arguentes, quod, quem feræ sunt reveritæ, ipsi plane cæci interficiunt. Ille autem cum ab iis, qui eum ducebant, militibus breve aliquod tempus petiisset ad orationem, et ab illis impetrasset, ad suum statim Dominum totam animam extollit cum oculis. Deinde, cum ei revocasset in memoriam suam commiserationem, ad eorum quoque, qui illum occidebant, vocabat misericordiam, dicens: Qui sola bonitate omnia es fabricatus, qui genus humanum ad tuam imaginem effinxisti, et præfecisti omnibus: qui etiam, cum tuum transgressi essent præceptum, et te propter

AUCTORE  
SYMBORE  
METAPHRASTE  
fuisse sanata,  
æque ac  
ante in fide

E

constantem  
eodem iterum  
tormento affi-  
ci ac tandem  
capite trun-  
cari jubet.

f

F

Ad locum sup-  
plicii Martyr  
ducitur, fusa-  
que ad Deum  
oratione,

g

AUCTORE  
SYMBONE  
METAPHRASTE

Dominum contempserunt, et in Benefactorem ingrati apparuissent, eos non repulisti, immo propter nos homo factus es, et servi formam accepisti, et omnia voluntarie sustinisti, et nec mortem quidem postremo recusasti, ipse quoque nunc ignosce iis, qui in nos peccaverunt : et hac crassa nube impietatis discussa, et a tyrannide inimici liberatis miseris, illucesce eis divina luce tuae gratiae, et revoca eos errantes magno tuo et admirabili nomine et veritate. Porro autem nos quoque, qui pro te, o Domine, mactamur, ipsasque animas et corpora nostra sponte sacrificamus, et suscipe tanquam acceptas hostias et gratum sacrificium, et ad aram tuam, quae est supra caelos, introduce latantes.

gladio vitam  
fuit, loco eo-  
dem terra  
mandatur,  
h

29 Haec oravit, et eum statim vox illinc vocavit. Quam cum ille lubenter et cum voluptate audiisset, collum protinus alariter porrigens truncatur martyrico capite h septimo mensis Octobris : et currit ad vocantem Dominum, a quo coronas, easque magnificas et praecelas suscipit. Ex iis autem nonnulli, qui ad spectandam venerant consumptionem, cum preciosum illud corpus piis et optantibus sustulissent manibus, et peregrissent ea, quae de more fiunt in sepultura, praclare et magnifice deposuerunt apud ipsum locum martyrii. Cum autem multum interessisset temporis, quidam ex iis, qui erant pietate ferventiores, venientes a praesidio Sororum, aggressi sunt surripere reliquias Martyris i.

postque ibi-  
dem exstructa  
sibi ecclesia  
honoratur.

50 Ille autem, seu non volens damno afficere civitatem, seu non sustinens, communem thesaurum esse alicujus proprium, magnam flammam effecit furti indicem : et ignis illic accensus, dolum manifeste publicans, damnum repente ostendit. Qui igitur erant in civitate Rosaphorum, opinati, adventum hostium eo significari, armati omnes statim adveniunt ad sepulchrum Martyris. Qui cum rescivissent id, quod erat, et ne auferrent prohibuerunt, et non passi sunt Surenos amplius manere in eo loco. Illi autem cum nolent frustra et inutiliter advenisse, parvum quoddam templum in sepulchro exstruxerunt : et sic cum gaudio redierunt, dando magis quam accipiendo, suo in Sanctum desiderio satisfaciens. Paulatim autem crescente pietate in Salvatore et Dominum nostrum Jesum Christum, episcopi numero quindecim, ingressi civitatem Rosaphorum, insigne templum Sanctis extruunt, et cum id consecrassent, in eo deposuerunt divinas Martyrum reliquias k ad gloriam Dei, et Domini nostri Jesu Christi, quem decet honor, potentia, majestas et magnificentia, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

C

k

ἀναφανέντας μὴ ἀποσάμενος, ἀλλὰ καὶ δι' ἡμᾶς γενόμενος ἀνθρώπος, καὶ δούλου μορφήν ἀλαβάν, καὶ πάντα ἑκὼν ὑπομένειν, καὶ μὴδὲ θάνατον τὸ τελευταῖον παραιτούμενος, αὐτὸς σύγγραψι καὶ νῦν τοῖς εἰς ἡμᾶς πλημμελήσασι, καὶ τὸ παχὺ τοῦτο τῆς ἀσεβείας νέφος διακευθόν, καὶ τῆς τοῦ ἰχθύου τυραννίδος τοὺς ἀβλήτους ἐλευθερώσας, φάσθε θεῖον αὐτοῖς τῆς σῆς ἐπιλαμπρῶν χάριτος, καὶ ἀνακάλεσαι πεπλανημένους αὐτοὺς τῷ μεγάλῳ καὶ θαυμαστῷ ὀνόματι καὶ τῇ ἀληθείᾳ σου, καὶ ἡμᾶς δὲ τοὺς ὑπὲρ σου, θεοποτα, σφραγισσομένους, καὶ τὰς ψυχὰς αὐτῶν τῇ προαιρέσει καὶ τὰ σώματα καταθύοντας, ὡς ἱερεῖα δεκτὰ, ὡς θυσίαν εὐάρεστον πρόσδεξαι, καὶ εἰς τὸ σὺν θυσιαστήριον τὸ ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν εὐφρανομένους ἐπάγγελ.

29 Ταῦτα προσήνετο, καὶ φωνὴ τοῦτον ἐκείθεν αὐτίκα ἐλάλει καὶ ταύτης ἐκείνος ἀρμένιος καὶ μεθ' ἡδονῆς ἀνοήσας, τὸν τράχηλον εἰθύς ὡς ἦδη ὑποσχόν, τὴν μαρτυρικὴν ἐκτίμηται κεφαλήν, ἐβρόμην τότε τοῦ Ὀκτωβρίου μηνὸς ἄροντος, καὶ πρὸς τὸν καλοῦντα τρέχει Δεσπότην, καὶ πρὸς τοὺς σφραγισσομένους ὄρη, καὶ φιλοτίμως ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ καὶ πολυτελεῖς ὑποδέχεται. Τῶνγε μὴν κατὰ θεῶν τιμῆς τῆς τελειώσεως συνεληλυθότων, τὸ τίμιον ἐκείνο σῶμα εὐλαβῶν ἅμα καὶ ποδοῦσαι τὰς χερσὶν ἀνελέμενοι, καὶ ἅα νόμος εἰς ταρῆν τελέσαντες, λαμπρῶς καὶ φιλοτίμως παρ' αὐτῆ τῆς μαρτυρίας τόπον κατέθεσαν. Χρόνου δὲ συγκυροῦ διαγενομένου, τῶν θερμότερων τιμῆς περὶ τὴν εὐσεβείαν ἀπὸ τοῦ φρουρίου Σουρῶν ἀφικόμενοι, ὑφελέσθαι τὸ τοῦ Μάρτυρος λείψανον ἐπεχείρουν.

50 Ὁ δὲ εἶτε μὴ θέλων ἑαυτὸν ζημιῶσαι τὴν πόλιν, εἶτε μὴ ἀνασχομένους τὸν κοινὸν θησαυρὸν ἰδιογενέσθαι τινας, φλόγα μεγάλην ποιεῖται τῆς κλοπῆς μηχανῆν, καὶ πῦρ ἀνασθῆν ἐκείθεν ἀθρόον δημοσιεῖ τὸν δόλον, καὶ τὴν ζημίαν σαρῶς παραδείκνυσιν. Οἱ ἐν τῇ Ῥωσαφῶν τοίνυν πολιτείᾳ ἐπιδημίαν τὸ πρᾶγμα εἶναι ὑπολαβόντες, ἐνοπλοὶ πάντες ἐκ τοῦ Μάρτυρος ἐφίστανται τάφῳ καὶ μαθόντες ὅπου ἦν, τὴν ὑφαιρέσειντε διεκάλωσαν, καὶ οὐκέτι οὐδὲ ἐπιμεῖναι τῷ τόπῳ τοὺς ἀπὸ Σουρῶν ἠνεύχοντο. Εἶτα μὲν τοὶ πολλοὶ δευθέντας ὄψε καὶ μόλις παραμειναι βραχὺ συνεχώρησαν. Οἱ δὲ, τὴν προσηδρεῖαν μὴ ἀργὴν ἔχειν μὴδὲ ἀπρακτοὺς βουληθέντες, καὶν τινα μικρὸν ἐπὶ τῷ τάφῳ εὐδείμαντο, καὶ οὗτω μεθ' ἡδονῆς ἐπαθήκον, τῷ δούμῳ μάλ्लον ἢ λαβεῖν τὸν πρὸς τὸν Ἀδελφὴν πῶθον ἀρσιώσαντες. Κατὰ μικρὸν δὲ τῆς περὶ τὸν Σοτήρα καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν εὐσεβείας ἐπιδοδούσης, ἐπισκοποὶ τὸν ἀρθρὸν πέντε καὶ δεκά τῆς πόλεως Ῥωσαφῶν εἰσω γενόμενοι, ναύντε τοῖς Ἁγίοις περιφανῆ ἀνισώσι, καὶ τοῦτον καθιερώσαντες ἐν αὐτῷ τὰ θεῖα καὶ μαρτυρικὰ κατέθεντο λείψανα εἰς δόξαν Θεοῦ Πατρὸς, καὶ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃ πρέπει τιμῇ, κράτος, μεγαλοσύνητι καὶ μεγαλοπρέπειᾳ, νῦν καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

E

F

ANNOTATA.

a In Actis Latinis ipsa, quae Bacchus, apprensus S. Sergio, protulerit, seu potius, quae eum protulisse, auctor finit, verba adducuntur, fuisseque, quae hisce responderent, in Actis primaevis Graecis verba, e dictis Commentarii praevii § 2 mihi persuadeo, licet interim Metaphrastes, qui ex iisdem Actis Graecis Graeca altera suo stylo concinnavit, qua ad Sergium oratione Bacchus usus sit, non dicat, fuisse abs hoc illum ad certamen, omni animi aegritudine depulsa, roboratum, dixisse contentus.

b Fueritne vere Antiochus, uti hic in Actis Metaphrasticis, alibi que tum in his praeterea, tum in Actis Latinis innuitur, seu Augusta Euphratesiae seu Orienti dux a Maximiano ad S. Sergii postulationem praefectus, mihi admodum dubium apparet. Adi Commentarium praevium § 5.

c De ambobus hisce seu castris seu oppidis, Romano praesidio munitis, distantiaque, qua invicem erant sejuncta, videsis Commentarium praevium num. 27, aliquot seqq. et num. 54.

d Pro castelli hujus quicumque notitia adi iterum Commentarum praevium num. 54, uti etiam, quae in Annotatis, Actorum Latinorum cap. 2 subnexis, ad lit. o dicta sunt.

e Possitne pro certa admitti, quae hic una cum altero miraculo adstruitur, angelica apparitio, statues ex iis, quae in Commentario praevio num. 56 disserui.

f Surā

A f Sura a Tetryppria, uti Acta Latina notant, stadiis septuaginta totidemque item stadiis postremum hoc castellum a Rosapha seu Resapha aberat; ut S. Sergius, cothurnis clavatis indutus, stadiis centum et quadraginta currere fuerit compulsus; quod tormenti genus, horrendum sane, etsi subisse illum, pro indubitato non habeam, certo tamen falsum pronuntiare non ausim. Consule Commentarium prævium num. 55 et seq.

AUCTORE  
SYMBONE  
METAPHRASTE

g Quod de apparitionibus miraculisque aliis, quæ in Sanctorum nostrorum Actis occurrunt, jam dixi, idem etiam de miraculo, quo, ut seræ S. Sergium, jamjam gladio necandum, ad locum martyrii deduxerint, factum sit, dictum existima.

h Sergium vere hoc necis genere consummasse martyrium, dubitandum non reor. Quid autem de voce superna, omnibus adstantibus audita, qua vocatus is ad cælum fuerit, existinem, ex Annotatis, Actorum Latinorum cap. 2 ad lit. e subnexis, collige. Tam in hisce interim, quam hic in Metaphrasticis non post, sed antequam Sergius, gladio percussus, consummasset martyrium, vocem illam cælestem auditam fuisse, adstruitur.

i Tentatum a Surenis, quod hic narratur, corporis S. Sergii furtum fortassis jam inde a sæculo quarto evenit, non tamen tam brevi post Sanctorum martyrium tempore, ut, qui hoc literis primum mandavit, synchronus illis viris sit existimandus. Videtis Comment. prævium num. 16, binis seqq. et § 4.

k Non de alia, quantum apparet, ecclesia sermo hic est, quam de ecclesia, ab Alexandro, Hieropolitano episcopo, anno circiter 450 exstructa, uti in Commentario prævio § 4 docui, simul etiam ostendens, ecclesiam illam, non tantum S. Sergio, sed et huic et Baccho fuisse consecratam sacrasque in eandem tam hujus, quam illius reliquias fuisse tunc translatas, uti hic in Actis Metaphrasticis traditur.

## B DE S. JULIA VIRGINE MARTYRE E

### IN SYRIA.

#### SYLLOGE.

C B.

FORTE SÆCULI  
IV INITIO.  
Sancta, quæ  
in Hieronymianis diffu-  
sioribus aliis-  
que Fastis  
sacris,

**L**icet ex omnibus contractoribus Martyrologii Hieronymiani apographis, ante tomum VII Junii apud nos editis, aliisque, quæ vel a Florentinio vel ab aliis faere typonum beneficio vulgata, unum dumtaxat, alterumve, quod S. Juliam hodie celebret, reperitur, Gellonense tamen pervertustum apud Dacherium tom. XIII Spicilegii Martyrologium, diffusioraque tria, quæ apud laudatum Florentinum exstant, ejusdem dicti Martyrologii Hieronymiani apographa, Epternacense nimirum seu Antverpiense, Lucense et Corbeinense, sanctam illam Virginem ac Martyrem, Antverpiensi tamen Tulliam pro Julia perperam exhibente, ad hunc diem signant, idque una eademque, qua, de quibus jam actum, SS. Sergium et Bacchum recolunt, annuntiatione faciunt. Idem porro in Romano parvo seu veteri, in Adone et Nothero etiam fit; verum cum Julia ex dicendis nec eodem die, quo vel Sergius vel Bacchus, nec sub eodem, quo hi ambo, judice martyrium subierit, ut quid cum iisdem illa in omnibus laudatis Fastis sacris sub una eademque annuntiatione conjungitur? Ado in SS. Sergii et Bacchi elogio, Commentarii ad horum Acta prævii num. 6 et 7 recitato, ita memorat: Parvo autem (post S. Sergii martyrium nempe) tempore interposito, beatum quoque Bacchum a loco, quo tumulatus fuerat, elevantes, honorabili martyribus loco juxta sanctum Sergium (Resaphæ seu Rosaphæ) composuerunt. Ubi et virgo Julia, quæ sub Martiano præside martyrium consummavit, sociata Martyribus sepulta quiescit.

2 Ut ergo sancta virgo Julia sub una eademque annuntiatione cum SS. Sergio et Baccho hodie conjungatur, factum videtur ex eo, quod æquum esse visum fuerit, ut Sancta isthæc, quæ eodem Octobris Tomus III.

sepulcro cum sanctis martyribus Sergio et Baccho tumulata jaceret, eodem etiam die, quo hi, venerationem acciperet. Ita fere quantum ad substantiam in hodiernis suis in Martyrologium Hieronymianum Annotationibus Florentinus, et recte sane, quantum opinor. Neque enim, cur hodie cum Sergio et Baccho Sancta conjungatur, ratio aptior reddi posse videtur. Dicitur quidem potest, id fieri, quod Julia in provincia, quæ Augusta Euphratesia vocatur, non secus atque Sergius et Bacchus, martyrio fuerit coronata, verum præterquam quod, ibi Sanctam passam fuisse, certum ex dicendis non sit, martyres omnes, qui unam eandemque provinciam, consecuti fuere martyrii palastram, sub una eademque annuntiatione in Fastis sacris conjungi propterea non solent. Quod cum ita sit, unice allegata de causa Sanctam nostram sub una eademque annuntiatione cum Sergio et Baccho in Fastis sacris supra laudatis hodie conjungi, verosimilius apparet. Verum, etsi id ita sit, nec sane in iis perperam isthæc fiat conjunctio, neutiquam tamen idcirco Usuardus corripiendus venit, qui Juliam a Sergio et Baccho sejunctam et ex uno geminos fecit articulos, quorum altero binos hosce Sanctos (adi horum Actis prævium, atque ad hunc diem jam datum Commentarium num. 3) solos celebrat, altero S. Juliam virginem et martyrem solam pariter, seu a Sergio et Baccho sejunctam, hunc in modum annuntiat: Item apud eandem (Augustæ Euphratesiæ nimirum) provinciam sanctæ Julię virginis, quæ sub Marciano præside martyrium consummavit.

5 Neque vero posteriores martyrologi, qui, cum Fastos sacros Sanctis omnibus aut saltem præcipuis recensendis condidit, concinnatum ab Usuardo Martyrologium habuerunt præ oculis, carpendum hunc illa de causa existimarunt; qui-  
capiusque ta-  
men ab iisdem  
separata  
apud Usuar-  
dum aliosque  
exhibetur,

et quidem, nec  
inepte, cum  
SS. Sergio et  
Baccho con-  
juncta, hodie  
annuntiat,

ACTORE  
C. B.

cumque enim (sunt autem, quos tamen omnes enumerare, operæ pretium non reor, numero non pauci) tam S. Juliam, quam SS. Sergium et Bacchum in Fastos sacros, a se concinnatos, intulerunt, id duobus distinctis articulis, quorum altero solam Juliam, altero solos Sergium et Bacchum sunt complexi, Usuardi exemplo fecerunt, illosque deinde, qui Mrl. Romanum hodiernum reformatunt, secuti etiam sunt eruditissimi viri, Juliam, a Sergio et Baccho se junctam, hodie in hoc iisdem fere, quibus id apud Usuardum fit, verbis annuntiantes: Item apud Augustam Euphratesiam sanctæ Julię virginis, quæ sub Marciano præside martyrium consummavit. Et sane non immerito id illi fecere; etsi enim S. Julia, quod eodem, quo Sergius et Bacchus, loco jacuerit sepulta, non inepte cum hisce, ut supra docui, sub una eademque annuntiatione in Fastis sacris ante laudatis potuerit celebrari, ut illa tamen aptius etiam a Sergio et Baccho se juncta articulo distincto sibi quoque proprio annuntiarı possit, efficiunt, quæ ipse Ado, Notkerusque hunc secutus suppeditant. Secundum hos enim Julia neque sub eodem iudice, neque eodem adeo, ut verosimillimum apparet, die, quo Sergius et Bacchus, martyrium subit. Hi enim, uti eorum Acta proxime jam data perhibent, sub Antiocho, Augustæ Euphratesiæ seu Orientis duce, passi sunt; Julia vero, uti dicti martyrologi tradunt, sub Marciano præside martyrium consummavit; hinc autem etiam consequitur, ut sane, quemadmodum jam dixi, verosimillimum sit, sanctam nostram Virginem ac Martyrem neque eodem die, quo Sergius et Bacchus, fuso pro Christo sanguine, martyrii palmam esse adeptam.

seculi iv forte  
initio passa  
est,

4 Verum, ut tempus modo, seu sæculum, quo id accidit, utrumque determinemus, quis ille, sub quo Sancta coronata fuit, præses Marcianus? In Actis SS. Juliani, Basilissæ, Celsi et Sociorum, ad 9 Januarii diem apud nos jam editis, Marcianus præses occurrit, sub quo hi martyrii palmam, et quidem, uti ex iis, quæ in prævio hisce Commentario § 2 dicta sunt, verosimilius apparet, in Ægypto, consecuti sunt. Quid si ergo S. Julia sub hoc ipso præside pariter martyrio coronata fuerit? Cum nihil plane uspiam occurrat, quo vel tempus, quo Sancta passa fuerit, vel quis sit Marcianus præses, sub quo id factum in Martyrologiis traditur, sat tuto determinem, Sanctam nostram, donec quid certius asseratur, sub eodem Marciano præside, sub quo Julianus, Basilissa, Celsus eorumque socii, martyrio coronatam fuisse, fas est credere, licet interim nec ipsa horum Acta pro undequaque probatis, uti inter eruditos omnes modo convenit, possint haberi. Porro cum Julianus, Basilissa, Celsus eorumque socii, dira in Ægypto sub Diocletiano et Maximiano persecutione, uti apud nos in Commentario illorum Actis prævio § 2 statuitur, adversus Christianos mola, seu sæculi quarti initio martyrium subierunt, sanguinem quoque tunc pro Christo fudisse Juliam, credibile apparet, hincque est, cur supra in margine Forte seculi iv initio adscripserim.

idque, non  
certo in Ægypto,  
sed in  
provincia,

5 Ceterum ex eo, quod Sanctam sub eodem Marciano præside, sub quo Julianus, Basilissa, Celsus eorumque socii, in Ægypto, ut dictum, verosimilius passi, martyrium subierunt, sanguinem pro Christo fudisse statuiamus, necesse præterea potest videri, ut et illam in Ægypto passam esse admittamus; at tamen cum fieri possit, ut Mar-

cianus, qui in Ægypto, cum Julianus una cum D Basilissa sociisque martyrio ibidem coronatus fuit, præsidem egerit, eodem etiam aut certe iudicis inferioris munere in Augusta Euphratesia aliquando functus sit, ex eo etiam, quod Julia sub Marciano passa statuatur, in Ægypto hoc accidisse, consecrarium non est. Et vero Petrus de Natalibus in contextu a se Sanctorum Catalogo ad præsentem Octobris diem S. Juliam brevi exornat elogio, in quo, fuisse illam, non in Ægypto, sed in Syriæ provincia, quæ Augusta Euphratesia dicitur, martyrio coronatam, haud obscure tradit. Libet illud in maxima, qua laboramus, antiquorum de S. Julia monumentorum penuria integrum huc transcribere. Sic habet: Julia virgo et martyr passa est apud provinciam Augustanam, quæ dicitur Euphrateia. Quæ a præside impiissimo Martiano comprehensa iubetur idolis immolare, cumque sacrificare contempisset, post diversa tormentorum genera, ipsi illata, novissime gladio jussa ejusdem præsidis jugatur, sicque cursum gloriosi martyrii consummavit Nonas Octobris, ut ait Ado in Martyrologio suo. Tale est breve elogium, quo Sanctam hodie, ut jam monui, Petrus de Natalibus celebrat, luculenter sane docens, non tantum in provincia, quæ Augusta Euphratesia vocatur, passam illam esse, ast etiam quo necis genere martyrium consummarit.

6 At vero cum, qua martyrii specie Sancta occubuerit, apud nullum prorsus scriptorem alium, fidem certam atque indubitam creare natum, memoriæ proditum inveniat, nec Petrus de Natalibus, ut ea, quæ de Sancta narrat, certa efficiat, satis antiquus sit, Juliam vere gladio, ut ait, martyrium consummasse, indubitanter asseverare non ausim, licet interim, illam, non in Ægypto, sed, ut adstruit, in Syriæ provincia, quæ Augusta Euphratesia appellatur, martyrio coronatam fuisse, verosimilius rear, quod Resapha, Augustæ Euphratesiæ civitate, fuerit sepulta, aut certe sæculo octavo seu Adonis ætate, uti ipsemet hic martyrologus verbis supra datis testatur, recondita jacuerit. Verum utrumque isthæc habeant, locum equidem, quo Juliam passam notat, non civitatem, sed provinciam Petrus de Natalibus recte facit. Dubitat quidem in hodiernis suis ad Martyrologium Hieronymianum Annotationibus Florentinus, num cum Augustopoli, qua in civitate SS. Sergium et Bacchum martyrio coronatos, Basilianum Græcorum Menologium, uti ad hunc diem in Commentario, horum Actis prævio, jam docui, perperam statuit, una sit atque eadem Augusta Euphratesia, sicque hujus nominis civitatem, qualem frustra quæras apud antiquos geographos, agnoscere videtur; quod et Baudrandus in Lexico Geographico und cum Nigro facit. Et pro his quidem citari possunt concilia duo, Seleuciense nimirum et Chalcedonense, in quorum priori, anno 539 celebrato, apud Harduinum tom. I Conciliorum col. 726, Augustus episcopus Euphratesiæ, in posteriori vero, anno 451 celebrato, apud Labbeum tom. IV Conciliorum col. 788 Augustus Eufraasiensis comparat.

Augusta Euphratesia dicta, verosimilius evenit; cui civitatem homonymiam

7 Verum apud Harduinum loco cit. in eodem Seleuciensi Concilio etiam occurrit Leontius episcopus Lydiæ, nec tamen ulla, cui Lydiæ nomen sit, apud antiquos Geographos civitas invenitur; quod cum ita sit, Leontiusque idcirco chorepiscopus dumtaxat provincię Lydię castitissæ, videtur, Augustum pariter, concilio Seleuciensi apud Harduinum

castitissæ, e Seleuciensi et Chalcedonensi concilio non evincitur

A *Harduinum subscriptum, chorepiscopus dumtaxat provincie Euphratesiensis fuisse existimo, idque etiam Harduinus, uti ex adjecto ab eo ad Concilia episcopatum Indice apparet, opinatus est. Quod autem ad Augustum Euphratesensem, qui concilio Chalcedonensi apud Labbeum loco citato subscripserit, spectat, præterquam quod is, non Euphratesiensis, sed Eufraasiensis dumtaxat nominetur, perperam ibidem librariorum oscitantia Augustus Eufraasiensis pro Augustæ Eufraasiensis scriptum existimo. Ea autem sedet*

*sententia primo quidem, quod absque addito episcopo titulo tantummodo scribatur Augustus Eufraasiensis; deinde vero, quod episcopi, qui Concilio Chalcedonensi subscripserunt, sub diversarum provinciarum, quarum fuerunt, titulis apud Labbeum recenseatur, nec usquam provincie Euphratesiensis titulus occurrat, licet interim post voces Augustus Eufraasiensis diversi compareant provincie Euphratesiensis episcopi, uti, qui Labbeum loco cit. consuluerit, comperiet.*

AUCTORE  
C. B.

## DE SS. QUARTO ET MARCELLINO

### CAPUÆ IN CAMPANIA ITALIÆ.

#### E MARTYROLOGIIS HIERONYMIANIS ALIISQUE.

J. B.

B **S**anctos Quartum et Marcellinum Michael Monachus inter Capuanæ ecclesie Sanctos memorat ex Ferrario in Topographia, ex Additione ad Martyrologium Adonianum, ex Ms., quod Caraccioli fuit, denique ex Martyrologii monasterii S. Joannis fide. Appendix ad Martyrologium Adonis apud Dominicum Georgium sic habet: In Capua Campaniæ Quarti et Marcellini: solum Quartum memorat Martyrologium Ms. monasterii S. Joannis, adjicit vero eadem Presbyteri titulum his verbis apud laudatum Monachum: Nonis Octobris Capuæ S. Quarti presbyteri. Ferrarius in Topographia in Martyrologium Romanum nuda eorum nomina recenset, quamquam eos omnino in scriptis a se Sanctorum Catalogis prætereat: an quod nullam, ut in Topographia notavit, eorum in Tabulis ecclesie Capuanæ mentionem invenit? Neque plura de his Sanctis, quæ diceret, Michael Monachus, canonicus Capuanus, habuit; ut adeo vel ipsis Capuanis solo nomine tenuis noti videantur: olim tamen Capuæ cultos fuisse honoribus sacris, velusta, sancti Hieronymi nomine insignita, martyrologia, quibus ad hunc diem inserti visuntur, testimonio sunt. Lucensis Florentinii codex sic habet: In Capua Campaniæ Quarti et Marcellini: sic et Corbeiensis apud eundem Florentinum; sic et Corbeiensis Acherii tom. IV Spicilegii. Perturbatio est in Gellonensi apud Acherium tomo XIII Spicilegii, in quo Quartus cum Sergio jungitur hoc modo: Et alibi Sergii, Quarti, Epternacensis vero præter Quartum et Marcellinum etiam Marcellum recenset: Et in Capua Marcelli, Quarti, Marcellini; verum Marcellum hunc Apuleii,

hodie in aliis Hieronymianis pariter memorati, socium esse, atque adeo loco non suo hic memorari, verosimile mihi quidem apparet. Tantumdem dicendum videtur de codice Richenoviensi apud nos tom. VI Junii, qui Epternacensi plane consonat. Marcellinus, Quarto hic additus, hunc tum a Quarto, qui cum Quinto jungi solet (vide tom. II Maii pag. 333 et seqq.) tum a Quarto, presbytero Capuano, quem SS. Felicis et Eusebii, martyrum Terracinesium, corpora juxta S. Cæsarium sepelisse, ait Beda in Martyrologio ad diem 3 Novembris, distinguit. Florentinus, eo quod legerit in codice suo: In Capua Campaniæ, adverteritque, synodi Capuensis mentionem fieri in litteris, quas Siricii Papæ nomine vulgavit Holstenius, ad Illyricos scriptis, suspicatus est, præter Capuam Italiæ, aliam in Illyrico Capuam, ubi ea synodus celebrata fuerit, existitisse; quamquam hujusmodi nullam apud Geographos memoratam invenisset: at parcere huic tum labori, tum conjecturæ poterat, cum ex Theodoro, et Sozomeno colligi satis queat, convocatam fuisse Synodum Capuensem in Italia; ea enim de causa Flavianus, cui de episcopatu Antiocheno lis erat, Constantinopolim accessit, Romam, ut scribit Theodoretus lib. v Historiæ cap. 25, seu in Italianam ire jussus est ab imperatore: Sozomenus vero ait lib. vii cap. 41: Itaque ut de hisce rebus cognosceretur, scripserunt tum ipsi, tum Gratianus (aliis Theodosius vel Valentinianus) convocantes in Occidentem Orientales episcopos. Illic igitur celebrata fuit. Ex eo autem, quod Siricius episcopis Illyricis scribens synodi Capuensis mentionem faciat, in Illyrico habitam fuisse, nullo pacto consequitur.

E

F



DE

## DE S. MARCO PAPA CONF.

ROMÆ.

## COMMENTARIUS PRÆVIUS.

## § I. Sancti in vetustis ac recentioribus sacris Fastis memoria, cultus et ecclesiæ : tempus ac duratio sedis ipsius.

ANNO  
CCCLXXVI.  
Hujus Sancti  
memoria hoc  
die in multis  
vetustisac recentiori-  
bus Martyro-  
logiis annun-  
tiatur Romæin Via Ardea-  
tina aut Appi-  
a, quod  
eodem recidit.

**I**n hesterni diei Prætermis-  
sæ ex vetustiori Lucensi Martyrologio  
Hieronymiano, quod Franciscus  
Florentinus vulgavit, illustra-  
vitque, et ex aliquot aliis, de-  
positionem S. Marci episcopi,  
id est, Romani Pontificis, recensui, remisso le-  
ctore ad præsentem diem, quo in multo pluribus,  
antiquis pariter classicisque, ac recentioribus le-  
gitur, coliturque; imo et in eodem Lucensi apo-  
grapho reperitur. Horum aliquot pro more nostro  
accipe. Inter Hieronymiana apographa vetustis-  
simum Epternacense illum hoc die sic annuntiat:  
Romæ depositio S. Marci episcopi. Morbacense  
apud Marteneum et Durandum tom. III Novi  
Thesauri Anecdotorum, sic: Non. Natalis S. Marci  
Papæ: fragmentum pervetusti Turonensis: Non-  
is, Marci Papæ: Lyrense: Nonis S. Marci Papæ.  
Nec prætermisit illum auctor Romani Parvi, seu  
antiqui Martyrologii, a Rosweydo nostro vulgati,  
quod ad hunc etiam diem ait: Romæ Marci Papæ.

2 Consonat Beda in suo item correctiori Mar-  
tyrologio, in Opere nostro ante tomum II mensis  
Martii edito, eodem die inquit: Nonis Natalis  
S. Marci Papæ. Consonat etiam auctor Kalen-  
darii Romani, quod ante medium sæculum VIII  
scriptum Joannes Fronto typis publici juris fecit.  
En verba: Mense Octobri die VII. Natale S. Marci.  
Beda, qui post Marcum ibidem eodem die S. Linum  
posuerat, præluarisse videtur Wandelberto, dum  
hoc pariter die non satis metricè cecinit:

Pontifices Nonas Linusque Marcusque reten-  
tant.

Ado, tempus sedis illius adscribens, non recte  
instructo duce usus est, Romæ, inquit, Via  
Appia, Natalis sancti Marci, Papæ et confes-  
soris, qui sedit in episcopatu annos duos, men-  
ses novem, dies viginti. Sepultus in cæmeterio  
Balbinæ, via Ardeatina, quod ipse insistens  
fecit. Adonianum textum paululum auxit muta-  
vitque Notkerus hoc modo: Romæ via Appia,  
Natalis sancti Marci, episcopi et confessoris, qui  
sedens in episcopatu annos duos, menses no-  
vem, triginta dies, constituit, ut episcopus  
Hostiæ, qui consecrat Episcopos (Romanos Pon-  
tifices) pallio uteretur.

3 Brevius, ac correctius, Usuardus habet:  
Romæ via Appia, Depositio beati Marci Papæ:  
item Romanum, quo hodieque utimur: Romæ  
Via Ardeatina, Depositio sancti Marci, Papæ et  
confessoris. Antequam procedamus ad alia, ju-  
verit hic observationem Pauli Aringhi tom. I  
Romæ subterranea lib. III cap. 17 subteruisse,  
ne dissidere invicem videantur martyrologi, dum

alii S. Marci memoriam in Via Appia, alii in  
Ardeatina consignant: omnes enim idem S. Bal-  
binæ (quod et S. Marci nomen obtinuit) cæmete-  
rium indicant. Porro nihil mirum (inquit lau-  
datus Aringhus) legenti videatur, si hoc idem  
B. Marci, vel S. Balbinæ cæmeterium Via in-  
terdum APPIA, aliquando vero ARDEATINA, situm  
fuisse, frequenter apud scriptores legatur;  
eam nimirum ob causam, quia cæmeterium  
hoc, utramque inter viam positum, ad utram-  
que pariter viam protendebatur. Qui plura de  
hoc cæmeterio noscere volet, Aringium ibi con-  
sulat.

4 Verum ad propositum meum spectat, quod  
ex Baronio ibidem recitat epitaphium a S. Da-  
maso Papa S. Marci sepulcro ibidem inscriptum.  
Laudatus Cardinalis illud ex Jani Gruteri An-  
tiquis Inscriptionibus in Appendice pag. 1175,  
num. 12 acceptum, recensuit tom. XII Anna-  
lium Ecclesiasticorum in Addendis et emendandis  
ad annum Christi 556, pauca hæc præfatus:  
Extat ejusdem S. Marci epitaphium a Damaso  
Papa conscriptum, quod nuper in lucem emis-  
sum hic tibi reddendum curavimus, utcumque  
vindictatum ab injuria temporis.

VITA FUIT MARCI QUAM NOVIMUS OMNES  
ORE DEI POSSET QUI TEMNERE MUNDUM  
ORAVIT POPULUS QUOD DISCERET OMNIS  
HONOR VITÆ GRANDIS CONTEMPTUS HABENDI  
VIRTUS TENUIT PENETRALLIA CORDIS  
TE CUSTOS CHRISTI PERFECTUS AMICUS  
ET DAMASUS TUMULUM CUM REDDIT HONOREM  
HIC MARCUS MARCI VITA FIDE NOMINE CONSORS ET  
MERITIS.

Hæc inscriptio, quæ eodem modo extat apud  
Gruterum, ac certe admodum vitiose, sancti Pon-  
tificales virtutes commendat, eundemque, ut no-  
mine, ita et rerum mundanarum contemptu, et  
fide et meritis S. Marci Evangelistæ similem  
fuisse, prædicat.

5 Antiquum ejusdem sancti Pontificis ac con-  
fessoris cultum, præter jam expositam martyro-  
logorum consensionem, probant etiam Liber Sa-  
cramentorum S. Gregorii Magni, ab Hugone  
Menardo editus, qui ad hunc ipsum septimum  
Octobris diem Missam de illo habet, laudatum-  
que superius Romanum Frontonis Kalendarium,  
in quo similiter Evangelium in ejusdem Missa  
ex Matthæo recitandum præscribitur. Sed et in  
hodiernis Romanis Breviariis ac Missalibus idem  
sanctus Pontifex hoc die Officio Missaque ritus  
simplicis honoratur, ac in Missa quidem isdem  
fere Orationibus, quibus in Sacramento Grego-  
riano, præter Secretam, quæ in hoc talis est:

Benedictio

Illius sepul-  
crum S. Da-  
masus versi-  
bus inscripsit.

F

Officium illius  
in antiquis ac  
hodiernis  
Ritualibus  
Romanis.

**A** Benedictio tua, Domine, larga descendat, quæ munera nostra, deprecante sancto Marco, confessore tuo atque Pontifice, tibi reddat accepta, et nobis Sacramentum redemptionis efficiat. Per Dominum etc. *Atque hæc quidem in universali Ecclesia Romana: nam Romæ in Vaticana et Lateranensi basilicis ritu duplici colitur, atque etiam solemniter in sui nominis ecclesiis, de quibus nunc quædam dicemus.*

antiquæ ejusdem ecclesie ac camelarii intra et extra Romanam

**6** Vetus est (inquit Cardinalis Baronius in Annotatis ad suum Martyrologium Romanum hoc die) Romæ titulus sancti Marci, cujus est mentio in concilio primo Romano sub Symmacho; nimirum quod huic synodo, anno 499 celebrata, inter alios subscriptus legatur Abundius presbyter tituli sancti Marci, ut videtur apud Labbeum tom. IV Conciliorum col. 1516. De alia rursum (sic ibidem pergit Cardinalis) ejusdem nomine ecclesia, extra Urbem posita, quam Gregorius Papa III restituit, mentio habetur in Libro de Romanis Pontificibus, in Nicolao Papa, ubi et de cæmeterio sancti Marci scribitur. In Nicolao I apud Anastasium Bibliothecarium ex recensione Francisci Blanchini tom. I Vitarum Roman. Pontific. pag. 408 solum legitur: Redundans Tiberis ingressus est per porticum, quæ est posita ante ecclesiam sancti Marci: de S. Gregorio III ibidem pag. 179 præmissa fuerant ista: Item basilicam beati Marci, sitam foris muros hujus civitatis Romane, Via Appia, ejus tectum dirutum a novo refecit.

in Via Ardetina.

**7** Ad hæc de Benedicto III ibidem pag. 402 legitur: Cæmeterium vero beati Marci, confessoris atque Pontificis, quod ponitur foris portam Appiam, qui in ruinis jam positus (omissa voce qui, lege: In ruinis jam positum) omnia restauravit. Addit denique Baronius: Hadrianus Pontifex in Epistola ad Carolum Magnum de Imaginibus, hæc ait: «A tunc» (a temporibus S. Silvestri I et Constantini Magni Imperatoris) «usque hactenus sanctorum Pontificum, videntur licet Silvestri, Marci et Julii, miræ magnitudinis sanctæ eorum ecclesiæ apud nos sunt depictæ, tam in musivo, quam in ceteris» historiis, cum sacris imaginibus ornatis. «Exstat hæc Hadriani I Papæ Epistola apud Labbeum tom. VII Conciliorum, in cujus columna 953, lit. B adductus textus legitur. Ceterum verosimile est, memoratas S. Marci ecclesias ab eo, non solum ibidem cultas, verum etiam in conditore suo, nomen accepisse: sed de hac re infra.

Sedit inter SS. Silvestrum et Julium

**8** Quod attinet ad ordinem, quo S. Marcus in Romana Cathedra sedit, ipsum inter SS. Silvestrum Juliumque magno consensu reponunt S. Optatus Milevitanus lib. II ad Parmenianum, Rufinus in Historia Ecclesiastica lib. x, cap. 22, S. Augustinus tom. II Operum illius per Benedictinos S. Mauri, Epist. 35, col. 120; S. Hieronymus in Chronico, et Sozomenus lib. II, cap. 19 Historia Ecclesiasticæ per Christophorsonum. Consonant etiam antiqui Romanorum Pontificum Catalogi, e quibus præcipuus, ab Henschenio nostro ante tomum I Aprilis excusus, ejusdem inter duos laudatos Pontifices sedis tempus accurate sic definit: Marcus menses viii, dies xx. Fuit temporibus Constantini, Nepotiano et Facundo consulibus, ex die xv Kalend. Februarii, usque in diem Nonarum Octobrium, consulibus supra scriptis. Hæc vulgarem Christi annum 556 sine dubio designant, nam eo anno, imperante adhuc Constantino Magno, Nepotianus et Facundus consulatum gesserunt.

**9** Apprime hæc congruunt cum ejusdem Catalogi calculis in Marci decessore Silvestro, ac Julio successore, secundum quos Silvester obiit ultima Decembris anni 553, Julius vero die 6 Februarii anni 557 ordinatus fuit, ut adeo S. Marcus nec ante annum 556 Pontificatu initiari potuerit, nec multo post ejusdem anni finem defungi. Imo nec alio, quam eodem anno, illius sedis exordium finemque reponendum esse, evincunt ceteri calculi. Dies enim xv Kalendas Februarii, quo S. Marcus cepisse sedere dicitur, Romanæ S. Petri Cathedræ sacer, anno 556 Dominicus fuit, in summorum Pontificum ordinationibus antiquitus solitus servari; die autem Nonarum Octobrium, usque in quem sedisse ibidem legitur, anniversaria illius memoria, et olim celebrata fuit, et nunc etiam in Ecclesia recolitur, ut jam ostensum est. Denique ab assignato ordinationis die in enortuale numerantur menses octo, et dies viginti, ut computanti facile apparebit. Quapropter hosce calculos pro certis merito habuerunt Henschenius ante tomum I Aprilis, Papebrochius in Propyleo Maji, et Antonius Pagius in Critica Baronii.

AUCTOR C. S. anno 556 a die 18 Jan. usque ad 7 Octobris,

**10** At Baronius ipse, qui in Annalibus ad annum 556, num. 61, anno ordinationis mortisque retento, ordinationem decima quarta die Februarii per errorem fecerat, mortem vero sexta Octobris; ideoque eundem in Pontificatu vixisse menses octo, minus dies octo, statuerat; postmodum ad calcem tom. X, inter Addenda et emendenda pag. 949, annum quidem in initio ac per mortem positi Pontificatus retinendum esse, monuit, sed pro decima quarta die Februarii reponendum decima sexta Januarii; pro die autem sexta Octobris substituendum septima ejusdem mensis; ac denique S. Marci sedi tribuendos esse menses novem, minus diebus novem. Verum hic eruditissimus Cardinalis sic ibi opinatus est ex suo, quem ad annum 556, num. 1 laudaverat, Libro de Romanis Pontificibus, cujus calculos partim vitiosos esse, ipsemet ibidem agnovit.

E non ultra aut infra menses 8, dies 20;

**11** Eo enim in Libro (eodem illustri Annalista teste) S. Marcus S. Silvestro I successit, Nepotiano atque Facundo consulibus... seditque annos duos, menses octo, et dies viginti unum. Duos item sedis annos eidem adscribit auctor Catalogi secundo loco ab Henschenio editi, Anastasius Bibliothecarius, alique, quorum hæc in parte errorem Baronius ad citatum annum 556, num. 61 agnovit, cum quod Hieronymus in Chronico solum Octo menses Marco in Pontificatu tribuat, Sozomenus vero lib. II Historiæ Ecclesiasticæ cap. 19 exiguum tempus; tum quod idem iste de Romanis Pontificibus liber, S. Julium per adscriptos consules indicet, Marco successisse anno 557, ut ego quoque ex Henscheniano Catalogo superius observavi; neque hic pluribus probari necesse. Præterea anno 556 nec dies 14, nec 16, Dominicus erat, summorum Pontificum ordinationibus jam antiquitus destinatus. Cur igitur isti libro de Romanis Pontificibus, adurationem sedis S. Marci certo ultra annum male producenti, aliumque, quam ferebat consuetudo, ordinationis diem assignanti, in dierum numero credamus potius, quam auctori Catalogi Henscheniani, etiam cetera hic accurato.

multo etiam minus annos 2, menses 8, dies 20.

**12** Vitiosi etiam reputandi sunt calculi in apographo primarii Catalogi Romanorum Pontificum, quo usus Cuspinianus est in Commentario ad Consules Cassiodori. In hoc enim, retentis iisdem consulibus

F nec etiam solum menses 7, dies 20.

AUCTORE  
C. S.

consulibus Nepotiano ac Facundo, Pontificatus mensibus octo, et diebus viginti, quos etiam habet apographum Henschenianum, ille nihilominus sedisse dicitur ex die xv Februarii usque in diem ix Octobris; unde, præterquam quod alius, quam quo etiam antiquitus cultus fuit, atque hodieque colitur, emortualis dies hic assignetur, omnino sequeretur, contra quam in eodem laterculo præmissum fuit, solum menses septem cum diebus viginti quatuor illius Pontificatus tribuendos esse. At scilicet pro xv Februarii substituendum ibi est xv Kalendas Februarii, et pro in diem ix Octobris legendum in diem Nonarum Octobris, atque ita omnia recte consentient. Ex dictis simul corrigere martyrologos supra relatos, Adonem et Notkerum, qui ultra duos annos S. Marco in Pontificatu tribuunt.

Alibi legitur  
prid. Non. Oct.  
sepultus esse;

15 Superest de die depositionis seu sepulturæ illius difficultas, unde de ejusdem die obitus posset dubitari. Secundus Catalogus ab Henschenio exhibitus, silente primo, sic habet: Sepultus est in cœmeterio Balbinæ, Via Ardeatina, pridie Nonas Octobris. Consentit Anastasius Bibliothecarius, eodemque die memoria illius in vetustiori Hieronymiano apographo Lucensi apud Florentinum, aliisque ab hoc ibidem relatis, recolitur. At vero, si pridie Nonas Octobris sepultus fuerit, oportet, eum ante Nonas Octobris obiisse. Papebrochius in Propylæo Maji, cum a primo vetustissimoque Henscheniano Catalogo, cui etiam, antiqua æque ac recentiora, ut vidimus, Martyrologia pro die obitus S. Marci suffragantur, neutquam recedendum esse, merito censeret, opinatus est, quamdam ipsius sacri corporis elevationem, eo in cœmeterio, in quo antea sepultum fuerat, pridie recurrentis natalis illius factam indicari: quo posito, tota objecta difficultas evanescit.

verum hinc  
minime sus-  
picari licet,  
duos hujus  
nominis

14 Longe aliam viam iniens Florentinus in Annotatis ad suum vetustius Martyrologium Lucense die 6 Octobris, ex gemina illa S. Marci primo pridie Nonas, ac mox ipsis Nonis, annuntiatione dubitavit, an non duo ejusdem nominis inter Romanos Pontifices sederint; hancque suam dubitationem firmari posse credidit ex Petro de Natalibus, in Catalogo Sanctorum lib. ix, cap. 25 et 24 (apud me 55 et seqq.) re ipsa duos hujus nominis inter eos memorante, temporibus gestisque distinctos. Horum alterum, quem ejusdem nominis primum appellat, scribit fuisse patria Romanum, ex Probo patre natum, S. Felicis I successorem, et post exactos in Pontificatu annos octo, menses duos, dies decem, obiisse Nonis Octobris; solum (ut addit) qui de tantorum numero Pontificum, qui fuerunt a B. Petro Apostolo usque ad Silvestrum Papam martyrium evasit.

Romanos  
Pontifices  
existisse.

13 Alterum, de quo hodie agimus, Romanum pariter ex patre Prisco natum ait, Marcum II appellat, S. Silvestri I successorem facit, et post duorum annorum, octo mensium et viginti dierum Pontificatum vita functum, Nonis Octobris in cœmeterio S. Babilæ, id est, S. Balbinæ, Via Ardeatina sepultum esse. Ita paulo pluribus apud laudatum episcopum Equinum, cujus certe minime ea est auctoritas, ut ex eo vel leviter quis possit suspicari, existisse aliquando aliquem S. Marcum S. Felicis I in Pontificatu successorem, antiquis omnibus tam Romanorum Pontificum Catalogis, quam Chronicis ceterisque scriptoribus plane ignotum, qui multo etiam minus ignorari potuisset, si in nomen usque annum Ecclesiam gubernasset. Quid plura? Ego

nullus dubito, quin priori isto Marco fabulosis D  
annumerato, Marcus, cujus depositio in prædictis Martyrologis memoria pridie Idus hujus mensis inscripta legitur, non alius sit ab hodierno, ac proinde, quin depositio ista vel de aliqua illius corporis elevatione cum Papebrochio accipienda sit, vel potius ex alienius amanuensis incuria in vetustum aliquod Hieronymianum apographum prid. Non. pro in Non. irrepserit, atque hinc, ut pronum erat, etiam transierit in alia.

## § II. Vitæ illius minime vetustæ, ideoque non edendæ pauca gesta ejusdem aliunde nota.

Baronius in Annotatis ad Martyrologium suum Romanum hodie inquit: Habemus Vitam (S. Marci) per Lectiones distinctam, quæ in aliquibus ecclesiis legi consuevit. Habemus etiam nos Vitæ illius apographum ex Ms. codice archiepiscopi basilicæ Vaticanæ, signato lit. A. 7, in novem Lectiones partitam, cujus initium est: Marcus, genere Romanus, cujus pater Priscus nuncupatur. Auctorem hujus esse aliquot centenis annis S. Marco juniorem, manifestat ipsemet in Lectione nona, ubi duos energumenos in ejusdem Sancti ecclesia liberatos esse, narrat tempore prisco, dum eandem ecclesiam Gregorius quartus tempore sui sacerdotii susceperat, et ob nimiam vetustatem crebro casuram a fundamentis prius eiecit, et novis fabricis totam ad meliorem cultum perduxit. Sedis Gregorius IV quingentis annis post S. Marcum, tamque diu ante istius Vitæ scriptorem, ut hic tempore prisco contigisse dixerit, quod istius tempore factum narrat. Non est ergo testis idoneus ad fidem faciendam eis, quæ de S. Marco refert, nisi (quod nullibi facit) probet, sibi probum aliquod longeque vetustum monumentum præluxisse.

Nulla Vita-  
rum, quas  
habemus,  
E

17 Habemus insuper alia ejusdem Vitæ apographa, aliis alia auctiora, quorum unum ex Ms. Lectionario Florentinæ Bibliothecæ Laurentianæ pluteo 20, alterum ex pluteo 27, ac denique aliud ex Vaticanæ bibliothecæ codice 6074, collatum cum transcripto a clarissimo Luca Holsteini ex codice monasterii Farsensis. Hujus Vitæ auctor, pariter anonymus, in ipso sui Prologi exordio profitetur, se eam scripsisse, rogante Joanne S. R. E. Cardinale, tituli ejusdem Marci. Sic enim orditur: Crebris me, Joannes sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, videlicet tituli sancti Marci Papæ, faminibus cogis ejusdem acta detegere, quod magis meæ ambiguitate inertie, quam desidia sæpius recusavi. Non tamen se hujus Vitæ auctorem agnoscit, sed solum collectorem eorum, quæ in sacris inde (ut loquitur) invenire bibliotecis potuit. Verum hic quoque recentior est, quam ut ab ætate sua auctoritatem possit sibi conciliare, si recte se habeat laudati Holsteini ad suum transumptum Farsense annotatione, quæ, teste ad calcem apographi Papebrochio, sic habet: Joannes Cardinalis tituli S. Marci (cui hæc Vita inscripta est) vixit tempore Nicolai II Papæ, cujus nomen subscriptum Constitutioni

satis antiqua  
est, earumque  
auctoribus  
F



A tutioni ejusdem Nicolai de forma eligendi Pontificum Romanum, in Registro antiquissimo monasterii Farfensis, in cujus veteri codice hæc Vita exstabat. Vixerit ergo anonymus iste sæculo xi, post cujus medium Nicolaus II creatus est Pontifex.

præluxisse potuerunt quidam Catalogus Rom. PP., et Anastasius.

18 Porro predictis scriptoribus anonymo, vel eorum antiquiori, præluxisse potuerunt Catalogus summorum Pontificum, secundo loco ab Henschenio editus, et ante medium sæculum vi confectus, atque Anastasius Bibliothecarius, qui post medium sæculum ix scripsit, quorum scilicet dicta isti partim adoptarunt, adjecta aliunde fabula de Epistola S. Athanasii et Catholicorum Egypti episcoporum ad S. Marcum, de qua infra paulo pluribus. Præstat igitur S. Marci elogium ex secundo isto Catalogo, qui Anastasio quoque verisimiliter præluxit, hic recensere; ac deinde subdere, quæ ab Anastasio, quæ item a posterioribus illis adjecta fuerit. Sic igitur in laudato secundo Catalogo apud Henschenium legitur: Marcus, natione Romanus, ex patre Prisco, sedit annos duos. Fuit temporibus Constantini, Nepotiano et Secundo consulibus, ex die Kalendarum Februarii, usque in diem Kalendarum Octobris. Hic constituit, ut episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopum Urbis, pallio uteretur, vel ab eodem Episcopo Urbis Romæ consecraretur. Hic fecit ordinationes duas per Decembrem, presbyteros quingecim, diaconos sex, episcopos per loca septemdecim. Sepultus est in cœmeterio Balbinæ, Via Ardeatina, pridie Nonas Octobris.

\* Anast. et

Ante Pontificatum dicitur fuisse diaconus, sed an hic is ipse sit,

19 In supra memoratis Vitæ apographis ex bibliotheca Vaticana, ex archivo basilicæ item Vaticanæ, et Holsteniano Farfensidicetur S. Marcus diaconus fuisse, quando a clero populoque Romano ad Pontificatum erectus fuit ex commendatione decessoris sui, S. Silvestri, dicere soliti, se non novisse ea Cathedra digniorem, quam Marcum diaconum Romanum. Hoc quidem verum esse potest, sed ex istorum anonymorum assertionem nequit fieri certum. Multum quoque dubitant eruditi, an Marcus noster is ipse sit, cui post S. Miltiadem, seu Melchiam Papam inscripta legitur Epistola Constantini Magni pro causa Donatistarum adversus Cæcilianum, Carthaginensem in Africa episcopum, in concilio Romæ judicanda, cujus Epistolæ apud Eusebium in Historiæ Ecclesiasticæ lib. x, cap. 5, tam in editione Christophoroni, quam Henrici Valesii talis est inscriptio: Κωνσταντίνος Σεβαστὸς Μιλτιάδην Ἐπισκόπον Ρωμῶν καὶ Μάρκον: id est, Constantinus Augustus Miltiadi Episcopo urbis Romæ et Marco.

cui post Melchiam Papam inscripta exstat Constantini Magni epistola,

20 Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 515, num. 25, vehementer suspicatus est, locum illum corruptum esse, καὶ Μάρκον ibidem pro ἱεραρχῶν posito ac proinde forsitan legendum esse: Constantinus Augustus Miltiadi episcopo Romano Hierarchæ. Sic suspicandi eam allegat rationem, quod Optatus Milevitanus, lib. 1 adversus Parmenianum scribens, nullum Marcum nominet inter episcopos, qui vocati ab imperatore isti Romæ synodo interfuerit, cujus tamen rei gratia hanc ille epistolam scripsit. Verum hæc Baronii suspensionem longe rejecit Henricus Valesius in suis Annotationibus ad Historiam Eusebii pag. 195, col. 2, lit. c.; causatus, quod, cum Constantinus Melchiam ibidem jam dixerit Ἐπισκόπον Ρωμῶν, frustra addidisset ἱεραρχῶν, postquam scilicet

Melchias titulum dignitatemque priori usitato vocabulo jam expresserat. Contentid itaque, retinendum Marcum esse, huncque ipsum fuisse, de quo agimus, ejusdem S. Melchias post S. Silvestrum in S. Petri Cathedra successorem.

AUCTOR C. S.

21 Valesii opinio, tamquam valde probabilis conjectura, Pagio in Critica Baronii placuit, præsertim (inquit) cum auctor Synodici (vide Labbeum tom. I Conciliorum, col. 1405) tradat synodum istam Romæ convocatam fuisse ab eodem Miltiade Papa et Marco, Miltiadi Marcum adjungens, perinde ac in Epistola Constantini utrumque conjunctim nominari, animadverterat. Tillemontio tom. VI Monument. Eccles., Nota 7 in Donatistas, eadem displicuit opinio, quod difficile ei creditu esset, Marco isti, si tunc solum fuerit presbyter, commissum fuisse de episcopis judicium, imo etiam minime credendum, si solum fuerit diaconus. Hinc ipsi ibidem magis arridet opinio Biondelli (quamvis et hanc, contra ac iste censuit, minime certam agnoscat) pronuntiantis, pro Marco legendum esse Meroclem, Mediolanensem episcopum; quem, Tillemontius ibidem observat, isti Romæ synodo certo interfuisse, et a S. Optato Milevitano primum post tres Galliarum episcopos, qui in eadem synodo interfuerunt, nominari, quique Constantino, eodem anno 515 Mediolani versato, optime notus fuisse potuit, ac idoneus visus, qui eo munere optime fungeretur.

controvertitur inter eruditos;

E

22 Res sane in ambiguo posita est. Vocem Marcum apud Eusebium libellique synodici auctorem in hierarcham cum Baronio, aut in Meroclem cum Blondello, commutare, nodum cuneo solvere est. Utrobique magna vocabuli variatio est; et, si superflua videri debeat titulo urbis Romæ Episcopo adjecta hierarchæ dignitas; mirum etiam debet apparere, si Miltiadi Constantinus urbis Romæ episcopo Meroclem addens, hunc, tam insignis ecclesiæ præsentem, nullo dignitatis suæ aut sedis titulo distinxerit; quod multo minus mirandum est, si Marcum ejusdem S. Miltiadis presbyterum vel diaconum huic adjunxerit. Adhæc, ut Merocles, ita et Marcus, Romanus vel presbyter, vel diaconus, ob suam doctrinam, integritatem vitæ aliasque virtutes sat notus fuisse potuit Constantino, ut hic Ecclesiastici juris minus peritus, ipsum dignum æstimaret, qui cum episcopis litem Afrorum præxulum dirimeret.

quorum allegata rationes

F

25 Denique si Marcus, Miltiadi in epistolæ inscriptione junctus, solum fuerit presbyter vel diaconus, manifesta est ratio, cur Optatus Milevitanus inter episcopos istius synodi nullum Marcum recensuerit; fortasse etiam hic supervacaneum fore judicavit, si novemdecim episcopos, quos ibi nominavit, Marcum inferioris Ordinis adjiceret. Porro cum nulla satis urgens afferatur ratio, quæ cogat pro Marco Hierarcham aut Meroclem in Constantini epistola substituere, nihil obstat, quo minus Marcus iste credi possit hodiernus, quippe qui sub Miltiade certe floruit, et ut virtutibus ac doctrina, ita etiam ea ætate fuit, eaque forsitan in clero dignitate insignitus, ut ad id muneris idoneus Constantino potuerit videri. Cessaret omnis difficultas, si credi posset Marcus Miltiadis vicarius fuisse; qualem ipsum Silvestri aliquo tempore fuisse, Franciscus Blanchinus in Annotatis ad Anastasium Bibliothecarium existimavit. Nunc caput superius secundi Catalogi examen prosequamur.

neutram partem evincunt.

24 Illum, imperante Constantino Magno, ac consulibus

AUCTORE  
C. S.  
Certe non potuit duas ordinationes mense Decembri fecisse;

sed an unam alio tempore, ut censuit Franc. Pagius?

consulibus Nepotiano et Facundo, non Secundo, anno 556 creatum Pontificem esse, eodemque anno post octo mensium ac viginti dierum sedem vita functum esse, supra probatum est, ut proinde anni duo (quibus Anastasius ac supra dicta apographa nostra etiam aliquot menses adjiciunt) ejusdem Pontificatus tribui nequeant, nec admitti possint duæ ab eo factæ ordinationes mense Decembri, cum is nullo mense Decembri sederit. Franciscus Blanchinus in *Notis ad eundem Anastasii locum credidit, ordinationes istas a S. Marco quidem factas indicari, non tamen in Pontificatu suo, sed dum sub S. Silvestro decessore jam episcopus, illius vices gerebat, isto scilicet biennio, quod Anastasius Marci Pontificatus attribuit, sed vicariatus fortasse adscribendum fuerat. Verum hoc gratis divinare est.*

25 Franciscus Pagius t. I *Breviarii gestorum Pontificum Romanorum*, in S. Marco, pag. 85, nobiscum agnoscens, ipsum non nisi menses octo ac dies viginti sedisse, a die nempe 18 Januarii anni 556, quo consecratus fuit, usque in 7 Octobris ejusdem anni, quo obiit, unicam ipsi ordinationem tribuit his verbis: Postquam unica ordinatione presbyteros quinque, et diaconos sex creasset, et episcopos per diversa loca septem, obiit vi Octobris ejusdem anni, Damasi Chronico teste, post sedem mensium octo, et dierum viginti. Unde hæc hauserit Pagius, non edidit; non tamen credendus est duas ordinationes, in secundo Catalogo, et ab Anastasio assertas, in unam constasse, cum Catalogus in illis presbyteros quindecim, Anastasius viginti quinque, Pagius solum quinque; Catalogus episcopos... septemdecim, Anastasius viginti septem; Pagius solummodo septem ab eo consecratos nument. Rectius, arbitror, Papebrochius noster in *Propylæo Maii de ordinationibus ab illo factis siluit.*

Creditur S. Marcus usum pallii Ostiensi episcopo.

26 De usu pallii Ostiensi episcopo per Marcum concessio consonat Anastasius editionis Blanchini, qua utor; at in sæpe dictis *Vitæ S. Marci apographis non modo pallii usus, verum etiam jus summum Pontificem consecrandi ab eodem illi collatum asseritur verbis, quæ subdo: Hic constituit, ut episcopus Ostiensis consecret Episcopos urbis Romæ, et idem utatur pallio. Simili modo legerat Baronius, dum ad annum 556, num. 62 ait: De eodem Marco hæc in eodem libro de Romanis Pontificibus leguntur: « Hic » constituit, ut episcopus Ostiensis, qui consecratur Episcopos Urbis, tunc pallio uteretur, et » ab eodem Urbis Episcopus consecraretur. » Sed ea verba postea sic excipit: Quod autem dicitur institutum a Marco, ut Ostiensis episcopus Romanum Pontificem consecraret, antiquior fuisse videtur ejus rei usus: nam Dionysius Papa a Maximiano Ostiensi episcopo consecratus habetur; meminit quoque S. Augustinus ejusmodi vetustissimi ritus, agens adversus Donatistas; nimirum, ut in margine recte annotavit, in *Breviculo collationis cum Donatistis, collatione dici 5, cap. 16.**

quia summus Pontificis consecratus omnium concessisse.

27 Quidquid sit de consecratione S. Dionysii Papæ, in quam inquiri poterit ad diem 26 Decembris, quo hic colitur, non obscure ibidem laudatus S. Augustinus tradidit, antiquissimam fuisse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, ut hujus episcopus, summus Pontifex, ab Ostiensi episcopo consecraretur; ut adeo hujus initium a S. Marci constitutione minime repetendum sit; sed nec repetitur, ut vidimus, in secundo Henscheniano

Catalogo, nec apud Anastasium; imo hi antiquam illam consuetudinem his verbis insinuant, Qui consecrat Episcopum Urbis; ob eamque episcopo Ostiensi a Marco concessum indicant, ut pallio, aliis episcopis minime tunc permitti solito, uteretur, atque insuper futuri Ostienses præsules a Romanis Pontificibus consecrarentur. Quod vero ad pallium spectat (subdit hic Baronius) eo donatum a Marco Ostiensem episcopum, haud inficias imus. Primo autem hic mentio in Rebus gestis Romanorum Pontificum habetur de pallio, summi honoris et potestatis plenitudinis indice. Porro, licet pallium Marco fortasse antiquius sit, nihil tamen hactenus a quopiam adductum legi, quod suadeat, Ostienses episcopos illius usum ab alio, quam a S. Marco, primitus accepisse.

28 Dum hujus sancti Pontificis cultum priori § exponerem, binæ ecclesiæ memini, quæ ejusdem nomine insignitur: una scilicet intra urbem Romanam est; altera in Via Ardeatina, vel, ut aliis placet, Appia: utriusque conditorem apographa nostra cum Anastasio Marcum agnoscunt. Anastasii verba describo: Hic fecit duas basilicas, unam Via Ardeatina, ubi requiescit, et aliam in Urbe Roma juxta Pallacinis. De utraque consule dicta hic in § 1; de priori, extra Urbem olim sita, hæc addo ex Paulo Aringho in *Romæ subterraneæ tom. I, pag. 480*: Hujus autem ecclesiæ nullum modo, quod noverimus, vestigium extat, nisi quispiam forte asserere velit, parietinas illas, quæ viam inter Appiam atque Ardeatinam a D. Sebastiani ecclesiæ ad S. Pauli basilicam euntibus patent, ejusdem jam dirutæ vestigia superesse; quod quidem ab his, qui congrue sapienterque antiquis de rebus judicium ferre consueverunt, conjectari haud omnino absurdum, pronuntiandum est.

29 Alteram, in ipsa Urbe positam, in apographo nostro archivi basilicæ Vaticanæ dicitur S. Marcus condidisse in honore beati Evangelistæ Marci. Consentit auctor *Romæ antiquæ et novæ, anno 1750 editæ, tom. I, pag. 521* observans, eandem ecclesiam, licet S. Marco Evangelistæ dicata sit, tamen suum etiam titulum habere a fundatore suo S. Marco Pontifice Romano. Quod ad vetus nomen loci, ubi ea sita ecclesiæ est, attinet, Baronius loco citato pro juxta Pallacinis legit: juxta Palatinas; sed *Atlaserra in Notis ad eundem Anastasii textum*: Tuenda est, inquit, vulgaris lectio: male Baronius legit PALATINAS. Palacenis fuit nomen cloacæ Urbis, quæ est juxta monasterium S. Laurentii martyris; quod deinde adductis Anastasii alibi dictis atque ex S. Gregorio Magno probat. Hic sanctus Pontifex in *Registro lib. iii, epist. 57* novissimæ editionis *Benedictinorum S. Mauri, inter legata a Joanne presbytero Romano ad quoddam monasterium fundandum testamento relicta, expresse memorat tabernam in hac Urbe, quæ est posita juxta Palacenis. Hæc de veteri ecclesiæ situ.*

Duas ecclesias, unam in Via Ardeatina, quæ non superest.

aliam in ipsa Urbe, quæ cum vetusto Cardinalitio titulo

hodieque ornatissima exstat.

50 Ceterum illa hodieque superest, et S. Marci nomen titulumque Cardinalitium, quo eam anno 499, jam insignitam fuisse, supra vidimus, pariter retinet, sita juxta palatium serenissima reipublicæ Venetæ, in quo hujus oratores habitant. Illam tum summi Pontifices sæptam lectam servarunt ornaruntque, tum maxime hoc nostro sæculo Eminentissimus Cardinalis Angelus Mariæ Quirini, qui, postquam ejusdem titulum diu gesserat, eandem etiam in commendam retinebat. Descriptionem hujus ecclesiæ, cujus ego quoque insignem

A insignem ornatum coram admiratus fui, habes in laudata Roma antiqua et nova tomo loquere supra assignatis, ubi etiam alios insignes viros de eadem ecclesia optime meritos leges.

condidisse videtur: at nescio, quid sit de donationibus,

51 Si quis modo a me quærat, an ambas ecclesias S. Marco Pontifici, velut conditori tribuendas censeam; respondebo, ea, quæ § 1 produxi, earumdem antiquitatem tam recte probare, ut hinc nihil obsit, quo minus ille earum conditor possit censeretur. Verum, cum pro bienni ac novem circiter mensium spatio, quod Anastasius Bibliothecarius atque aliquot veteres Marci Pontificatui tribuunt, non integros novem menses concedendos esse, ostenderit, verisimilius mihi apparet, Marcum eandem partem ante, partim in ipso Pontificatu suo condidisse.

quas Constantinus Magnus hisdem fecisse dicitur.

B 52 Porro minime exploratum habeo, quoniam monumentum laudatus Anastasius de dotatis S. Marci ecclesiis dixerit: Hujus (Marci) suggestionem obtulit Constantinus Augustus basilicæ, quam (Marcus) cœmeterium constituit Via Ardeatina, fundum Rosarum cum omni agro campestri præstantem solidos xl. In basilica in urbe Roma obtulit hæc: Patenam argenteam, pensantem libras xxx; amas argenteas duas, pensantes libras xx; scyphum argenteum unum, pensantem libras decem; calices ministeriales argenteos tres, pensantes libras binas; coronam argenteam, pensantem libras decem: fundum Antonianum Via Claudia, præstantem solidos xxx; fundum Vacanas Via Appia, præstantem solidos xl et trimisios duos; fundum Orrea, Via Ardeatina, præstantem solidos lv et trimisium unum.

Epistola S. Athanasii, et Marci decretum de Symbolo Nicæno commentitia.

C 53 Sæpe memorata Vitæ Apographa nostra præterea recitant Epistolam, velut a S. Athanasio Alexandrino, aliisque Catholicis Egypti episcopis pro resarciendis concilii Nicæni canonibus per Arianos exstis, ad S. Marcum Romanum Pontificem datam, hujusque ad istam responsum. Verum hæc non nisi pura puta commenta esse, agnosunt eruditi, probavitque Papebrochius noster tom. I Maii in S. Athanasio num. 158, quo, ne actum agam, liceat mihi lectorem remittere. Sunt etiam, qui dicunt, S. Marcum inter alia Ecclesiastica decreta statuisse, ut Nicænum Symbolum fidei in Missis caneretur; at quam hoc quoque parum verosimile sit, discas ex Baronio in Annalibus ad annum 525, num. 178 et sequenti, probante, ejusdem S. Marci ætate Symbolum Apostolorum, non Nicænum, a Romana Ecclesia in Missa dici soluisse.

### § III. Sancti pontificis corporis inventio et trina translatio, quarum postrema Romam: harum omnium historiæ fides et ætas expenditur.

Sancti corpus præ reliquis Romani sibi vendicant: Historiæ translationum, Octobris Tomus III.

CORPUS S. Marci mox ab obitu in cœmeterio S. Balbinæ Via Ardeatina sepultum fuisse, nemo est, qui neget; at quo tandem devenerit, non omnium idem est sensus, aliis, iisque pluribus, illud ejusdem sancti Pontificis tituli in Urbe

mana ecclesiæ, aliis Florentinæ S. Laurentii in Hetruria, aliis monasterio S. Salvatoris in monte Amiatino prope Clusium item in Hetruria; aliis denique metropolitanæ ecclesiæ Aquileiensi adscribentibus. A Roma ordiamur. Aringhulus jam alias laudatus, postquam de S. Marci in prædicto S. Balbinæ cœmeterio sepultura egerat: Cæterum, subdidit, venerandum Marci corpus in hoc B. Balbinæ cœmeterio usque ad Gregorii VII tempora servatum est: tunc enim a fossoribus ibidem casu repertum alio transferri contigit; quod demum in ecclesia, quæ sub ejusdem B. Marci titulo intra Urbis mœnia ab eodem ædificata est hanc procul a Capitolino colle, depositum ad hunc usque diem fidelium veneratione colitur.

AUCTORE C. S.

55 Recolectæ autem hujus inventionis et translationis historia in Ms. Codice Vaticano num. 1196 prolixis utique verbis recitatur, quam, ne lectori tedium inferamus, hic recensere consulto omittimus. Hisce Aringhulus non obscure indicat, in eo, quem vidit, Vaticano codice legi, S. Marci corpus, sub S. Gregorio VII repertum quidem esse in S. Balbinæ cœmeterio, non tamen ab eodem Pontifice, nec intra urbem Romanam mox illatum, sed primo alio, ac postea demum Romam translatum fuisse; quæ quomodo contigerint, brevitate causa prætermisit. Ab his partim aliena narrat Carolus Bartholomæus Piazza parte II Hæmerologii sacri Romani, pag. 558 in S. Marco ad hunc diem dicens, quæ ex Italicis hic feci Latina: Ipsius festum celebratur sollemniter in supra dicta illius ecclesia collegiata (intra Urbem) in qua ejusdem corpus quiescit, ad eam translatum a S. Gregorio VII, uti clare habetur ex quodam codice Vaticano, cujus prolixè meminimus tom. II nostræ Hierarchiæ Ecclesiasticæ in ejusdem Sancti titulo.

ab Aringho laudata, et a Piazza

F 56 Forte Piazam hic secutus est Franciscus Orlandius, quando parte III Orbis sacri et profani, lib. III, cap. 4, num. 18 tractans de Urbana S. Marci ecclesia, sic ait: Ibidemque quiescit corpus ejusdem S. Marci Papæ, huc ex cœmeterio S. Balbinæ translatum. Porro cum Hierarchia a Piazza laudata in Museo nostro non exstet, nescio, quas hic Vaticani istius codicis in ea notas dederit, ac proinde, isne codex idem an diversus ab eo, quem Aringhulus legit, censendus sit. Vehementer tamen suspicor, eundem aut simillimum ab utroque indicari, vereorque, ne Piazza, Historia translationis, quod prolixior esset, non integre perlecta, præpropere statuerit, sacrum, de quo agimus, corpus ab eodem S. Gregorio Papa, sub quo illud inventum esse in ea legitur, in Urbem translatum fuisse. Cur ita sentiam, eruditus lector ex mox dicendis facile intelliget.

verisimiliter oscitanter consulte,

57 Historiæ ab Aringho laudatæ, nisi vehementer fallar, apographum habeo, quod notatur descriptum ex Bibliothecæ Vaticanæ Cod. Anon. f. 176; estque Aringhianæ brevi narrationi conforme, nam et S. Marci corpus sub S. Gregorio VII in cœmeterio S. Balbinæ inventum, atque alio (nempe primo ad castrum S. Silvestri, deinde ad oppidum vel castrum Julianum) atque hinc demum Romam translatum et in ecclesia, quæ sub ejusdem B. Marci titulo... ab eodem ædificata... depositum fuisse, in eo pluribus narratur. Satis quoque prolixa historia est, maxime quod S. Marci Vitæ compendium, seu elogium præfixum, ac in fine etiam quedam miracula ad-

apographum habemus: illius auctor e clero ecclesiæ S. Marci

AUCTORE  
C. S.

jecta habeat. Historiæ auctor Anonymus, nec conditionem suam, nec tempus, quo scripsit, usquam expressit. Quod tamen ad conditionem attinet, merito suspicari licet, unum fuisse clerico ecclesiæ S. Marci, qui posteros instruere voluerit, quibus modis hujus sancti Pontificis corpus ex Via Ardeatina ad Urbanam sui tituli ecclesiam tandem pervenerit: quem enim hæc partes suscepisse, potius putabimus, quam aliquem ex ejusdem ecclesiæ ministris, quorum scilicet præ reliquis intererat, ista scriptis vulgari?

postremæ  
translationi  
synchronus,

58 Quod vero ad tempus scriptiōnis spectat, mihi omnino videtur ejusdem Historiæ auctor non diu scripsisse, postquam sacrum corpus in eadem illam ecclesiam illatum fuit, quod factum tradit sub Eugenio III summo Pontifice anno 1143. Ita colligo primo ex diverso illius loquenti modo de tribus summis Pontificibus, ad quorum singulorum tempora singulas translationes refert. Inventionem corporis primamque illius in Campaniam Romanam translationem narraturus, scribit, illud in cæmeterio S. Balbinæ per longa tempora permansisse, videlicet usque ad tempora Gregorii septimi Papæ, sub quo inventum esse, subjicit.

B Ad secundam translationem sub Paschale II Papa ad castrum Julianum factam progrediens, sic denuo incipit: Temporibus itaque sanctæ recordationis Papæ Paschalis etc. At vero tertiam, quæ et ultima est, translationem sub Eugenio III relaturus, nihil de illius obitu, aut diverso ab eo, quo scribebat, tempore insinuans: Anno vero, inquit, ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quadagesimo quinto facta est in Urbe valida turbatio... Crescente autem persecutione, Eugenius, qui post Papæ Lucii mortem in Romanum Pontificem est electus,... Urbem dimisit etc.

ac sincerus  
scriptor fuisse  
videtur.

59 Nec dissonant alia, quin scriptor synchronus videri queat: nam etiam, per quam sacri corporis bajuli Juliano Romanæ, et per ipsam Urbem ad S. Marci ecclesiam processerunt, recte exponit; ex miraculis autem, quæ in eadem ecclesia facta narrat, nullum, nisi forte postremum, sectum a sacri corporis adventu diem excedit, quem et Dominicum fuisse, accurate notavit. Tandem inter ea, quæ narrat, sunt quidem pauci singulares eventus, non tamen qui fidem superent, vel insolentia sua fabulatores oleant. Vellem tamen, ut quædam accuratius exposuisset, nimirum ut certiores notitiam dedisset matronæ nobilis, a qua primam translationem curatam ait, locorumque, ad quæ priores dux, ac maxime prima, factæ fuerunt. Sed quod ad loca attinet, erant illa scilicet tunc vulgo notissima, quæ nil mirum est, si ignobilitate sua, temporum injuria, serque sæculorum lapsu, nobis præterea procul dissitis minus sint explorata. Duo insuper apud illum occurrunt rerum adjuncta, ex quibus suspicari quis potest, eum aliquot annis post postremam translationem scripsisse; sed de his infra.

Inventum sub  
S. Gregorio  
VII corpus ad  
castrum S. Sil-  
vestri trans-  
latum, dolenti-  
bus

40 Trinam, ut jam dixi, ea Historia translationem complectitur, de quarum singulis quædam hic præmittenda putavi, ne Annotanda ad ipsam Historiam prolucida fiant. Primæ translationi occasionem dedisse ibidem dicitur inventio sacri corporis sub S. Gregorio VII, quod fossores cum in cæmeterio S. Balbinæ cum inscriptione, quæ illud S. Marci Papæ esse probabat, fortuito inventum tituli ejusdem Sancti clericis venale obtulissent, his emere recusantibus, quia ejusdem S. Marci corpus in sua ipsius ecclesia latere puta-

rent, vendiderunt aliis, quos nobilis quædam matrona, ad comparandas sibi Sanctorum reliquias, ex suo in Campania Romana S. Silvestri castro Romam miserat. Hinc illa, vehementer exultans, haud procul ab eodem castro ædem sacram construxit, atque obtentum corpus in ea reposuit, frustra reclamantibus supra dictis ecclesiæ Urbanæ clericis, errorem suum serius edoctis. Cum autem S. Gregorius VII ab anno 1073 usque in 1085 summum Pontificatum gesserit, liquet de tempore, quo hæc contigisse dicenda sint.

41 At forte quæret aliquis, qua verisimilitudine memorati clerici opinari potuerint, S. Marci corpus, in sua Urbana ecclesia conditum latere, cum nullus veterum primam illius sepulturam alibi, quam in cæmeterio S. Balbinæ assignaverit, nullus dixerit, istud ante S. Gregorii VII tempora inde in Urbem fuisse translatum. Respondeo, hunc errorem paulatim nasci potuisse ex longo sæculorum lapsu, turbulentis temporibus, multorum sacrorum corporum ex cæmeteriis in Urbem translationibus, ex cæmeterio S. Balbinæ ipsiusque S. Marci in eodem cultus neglectu, atque ex ipso denique sacri corporis possidendi desiderio. Fluebat enim jam tum octavum a prima illius in eo cæmeterio sepultura sæculum; multa fuerant a barbarorum aliorumque hostium armis circa Urbem passi Romani, ex quorum metu tum alii Pontifices, tum nominatim sæculo viii S. Paulus I, et sæculo ix S. Paschalis item I Sanctorum corpora ex cæmeteriis intulerant in Urbem.

S. Marci in  
Urbe clericis,  
qui istud, pe-  
nes se esse,

42 Neglectum quoque sub finem sæculi xi, de quo agimus, jacuisse S. Balbinæ cæmeterium, adeoque et S. Marci in eodem cultum, argumento est, quod de fossoribus latentibus in illo thesauros quærentibus noster narrat Anonymus: fortasse etiam tunc dejecta fuerat ecclesia, quam S. Marcus in eodem exstruxerat, et cujus nulla superesse vestigia Aringhulus supra relatul affirmat. Hisce positis (cum fieri soleat, ut homines facile credant, quod misere cupiunt) haud ægre persuadere sibi potuerint memorati clerici, sancti patroni sui Marci corpus ex S. Balbinæ cæmeterio, ut alia ex aliis, aliquando translatum fuisse ad suam Urbanam ecclesiam, in qua ejusdem sancti Pontificis memoria semper vigerat, ac tunc quoque temporis celebris perseverabat. Matronæ, quæ primam illam translationem fieri curavit, solum hanc notitiam tradit Anonymus: Erat autem eo tempore Campaniæ in castro S. Silvestri uxor ejusdem Theobaldi, illustrissimi militis, nobilissima fœmina, Theutonica genere, quæ religionis intuitu nimio flagrabat desiderio, ut Sanctorum reliquias in terra sua (id est, in prædicto S. Silvestri castro) posset habere. Erat ergo hæc ejusdem castri domina; nec plura de eadem novimus.

existimave-  
rant: quæ  
fuerit istius  
castri domi-  
na,

43 Per Campaniam designari Romanam, liquet ex sequentibus apud Anonymum. Fuisse autem tunc temporis in eadem Campania aliquod S. Silvestri, seu castrum, seu oppidum, constabit inferius ex Vita Paschalis II Papæ: ast ejusdem castri situm, silente Anonymo nostro, neque propius assignare, nisi quod ex dicendis videatur non procul abfuisse a Juliano, Veliternensis diœcesis oppido, paucis milliariibus ab ipsa Veliternensi civitate dissito. Quod autem castrum S. Silvestri, de quo agimus, id loci in mappis geographicis non occurrat, ea causa esse potest, quod, eodem testante Anonymo, sub Paschale II Papa, id est, sæculo xi exeunte, aut initio sequentis

et ubi illud  
situm.

A quentis, in pœnam rebellionis destructum fuerit. Hæc de prima sacri corporis translatione præmittenda censui, cetera in Annotatis ad eam historiam observaturus. Ad secundam procedamus.

Eodem castro a Pontificiis diruto, idem corpus defer-  
tur

44 Ex eodem Anonymo habemus, sacrum istud pignus apud S. Silvestri castrum perman-  
sisse usque ad Pontificatum Paschalis II, cujus tempore, rebellantibus adversus ipsum ejusdem castrum dominis, castrum ipsum a Pontificiis captum dirutumque ibi dicitur; sacrum autem corpus, quod quidam Romani, in Pontificiis castris militantes, Romam clam auferre meditati fuerant, a Juliani oppidi incolis asportatum atque sua in S. Viti ecclesia depositum fuisse. Paschalem II Romanæ Ecclesiæ ditionem adversus anti-papam Guibertum hujusque assecelas armis tutatum esse, constat ex ejusdem Pontificis Vita, auctore cœvo Petro (Pandulfum alii dicunt) Pisano, apud Papebrochium nostrum edita in Propylæo Maii, Conatus pag. 202 \* : inter schismaticos Guiberti sectatores castrum S. Silvestri incolæ arma tulerint, sui que loci excidio pœnas luerint, ut narrat Anonymus.

ad castrum Julianum tempore Paschalis II,

45 Huic etiam favent, quæ laudatus Paschalis II biographus ibidem habet pag. 206 \* his verbis : Dominus Papa, celebrato concilio, quod in partibus Appuliæ congregaverat, rediens in Campaniam, Pillum Pillanumque in maritimis, et oppidum S. Silvestri in suam conditionem convertit, armis scilicet, ut indicat Baronius ad annum 1117, quo hæc contigerunt. Quapropter huic anno secunda S. Marci corporis translatio assignanda esset, si constaret, apud Anonymum de eadem ejusdemque castrum expugnatione, de qua apud Paschalis biographum, sermonem esse; quod equidem non possum affirmare. Ut sit, cum S. Gregorius VII, sub quo sacrum istud pignus primo repertum, et ad S. Silvestri castrum in Campaniam translatum fuisse dicitur, summum Pontificatum ab anno 1073 usque in 1085 gesserit, Paschalis autem II, ab anno 1099 usque in 1118 sederit, concludendum, illud non integris 44 annis, imo fortasse multo paucioribus, in dicti S. Silvestri castrum ecclesia honoratum fuisse, quando sub Paschale II a Julianensibus inde ablatum fuit.

atque hinc sub Eugenio III Romam. Hujus translationis adjuncta duo,

C 46 Haud diuturnior fuit ejusdem penes Julianenses possessio, quibus illud per seditiosos Romanos ablatum, Romamque demum portatum fuisse sub Eugenio III, qui ab anno 1145 usque ad 1155 Pontificatu functus est, ibidem tradit Anonymus noster. Hujus tertie postremæque translationis occasionem refert ad captum a Romanis castrum Julianum, cujus incolæ pro domino suo laudato Pontifice adversus illos militabant. Rem, ut contigit, pluribus exponit : sed in hisce referendis unum et alterum adjuncta translationi prævia miscet, ex quibus scriptoris fides vel ætas in dubium possit revocari. Narrat enim, Eugenium III, anno 1145 Pontificem electum, seditiosorum Romanorum vim veritum, clam fugisse ad monasterium Farfense, in Sabina provincia situm, ibidemque a Cardinalibus et episcopis, qui eum comitati vel secuti fuerant, consecratum esse. Atque hæc omnia ex Annalibus Ecclesiasticis scriptoribusque synchronis certa et indubitata sunt.

ipsi translationi prævia,

47 Subdit, Eugenium ex Farfensi monasterio profectum esse Narniam; dumque Narniæ morabatur, comites, ... qui circa Urbem erant, iram, indignationem et fortitudinem Romanorum timentes, et Tiburtinæ civitatis ruinam ante oculos semper habentes, ne similiter sub Roma-

norum potentiam caderent, ad ipsum confugisse, ac fidelitatem jurasse. Post hæc (ita ille prosequitur) ipso Domino Papa mandante, contra senatum (quem Romani, invito Pontifice, creaverant) et populum Romanum, quibus modis poterant, pugnare cœperunt : unde senatus populusque Romanus magis ira commotus, ... copiosa equitum et peditum multitudine collecta, ... Julianum castrum invasit, cepit, et igne cremavit. Si Anonymus pro Narnia posuisset Viterbium, consentientes sibi haberet alios scriptores synchronos, qui Eugenium ex Farfensi monasterio, non Narniam, sed Viterbium deducunt, ubi et eundem eo anno 1145 Pascha celebrasse, ac per octo menses commoratum esse, aiunt.

AUCTORE C. S.

48 Fortasse tamen Eugenius prius Narniam, quam Viterbium, se contulerit; cum Otto Frisingensis, auctor pariter synchronus, lib. vii, cap. 51 Chronici de eo scribat : Inde (ex Farfensi monasterio) post consecrationem, furorem populi Romani declinans, ad munita loca se transtulit, postque Viterbium veniens, ibi per aliquod tempus moram fecit. At ponamus, Anonymum ex lapsu memoriæ vel oscitantia Narniam pro Viterbio scripsisse; is error etiam in synchronum cadere potest. Plus negotii sibi fuisset, dum supra ait, comites, qui ad Eugenium confugerunt, Tiburtinæ civitatis ruinam ante oculos habuisse; difficile enim dictum est, quam hujus civitatis ruinam memoret. Otto Frisingensis in Chronico lib. vii, cap. 27 ad hoc propositum de Innocentio II, cui post Celestinum II, et Lucium II Eugenius III in Pontificatum successit, hæc tradit : Romanus Pontifex Innocentius, qui jam multum temporis Tyburtinos (adversus ipsum rebellantes) excommunicaverat, ac aliis modis presserat, coangustatus ad ditionem, acceptis obsidibus, ac iure jurando interposito coegit.

quæ quamdam difficultatem pariunt,

E

49 Populus vero Romanus volens, ut eos per obsides et sacramentum ad durissima præcepta, id est, ut, muris ruptis, omnes provincia cederent, cogeret, dum nobilissimus ac liberalissimus sacerdos tam irrationabili et inhumanæ petitioni annuere nollet, seditionem movent, ac in ipso impetu in Capitolio convenientes, antiquam Urbis dignitatem renovare cupientes, ordinem senatorum, qui jam per multa curricula temporum deperierat, constituunt, et rursum cum Tyburtinis bellum innovant. Causa vero tantæ immanitatis fuit, quod in priori anno, dum cum Pontifice suo (eodem Innocentio) in obsidione præfatæ civitatis morarentur, civibus egressis, et cum ipsis manum consententibus, multis amissis spoliis, turpiter in fugam conversi sunt; idcirco nulla, nisi quam diximus, conventionem usque hodie se posse placari asserunt. Ita Otto Frisingensis; unde constat, acriter quidem a Romanis postulatam fuisse Tiburis ruinam, sed ab Innocentio II Pontifice minime concessam.

ex aliis scriptoribus synchronis

F

50 Qualiscumque porro fuerit Romanorum adversus Tiburtinos tunc temporis armorum successus, quem a nemine traditum legi, perstabat etiamnum suis muris cincta Tiburtina civitas sub Eugenio III, a quo hos destrui tumultuantes Romani denuo petierunt, ut videre licet apud Muratorium in Annalibus Italiæ ad annum 1146.

Imo etiam obtinuerunt, si fides habenda sit Anonymo Casinensi, scriptori synchrono, in Chronico, ex quo Muratorius ibidem recitat rejicitque sequentia : Pacem (Eugenius III Papa) cum Romanis

expendantur, ostenditurque,

AUCTORE  
C. S.

Romanis reformans, muros Tiburtinæ civitatis destrui præcepit. Hæc eadem Pagius in *Critica Cardinalis Baronii ad citatum annum 1146 admittit, atque huc etiam pertinere putat, ista Ceccani seu, quisquis is demum fuerit, auctor, Chronici Fossæ novæ ad eundem annum verba*: Romani venerunt super Tuburim, et multos ex eis decollaverunt. *Contra istud murorum Tiburis excidium incredibile apparuit laudato Muratorio, a quo expositæ ibidem rationes an sat validæ sint ad scriptorem synchronum falsitatis convincendum, hic non inquiri, quia, dictæ urbis murorum ruina, si anno 1146 primum contigerit, certe non potuit anno 1143 Campaniæ comitibus ob oculos versari.*

ea scribi potuisse ab auctore synchrono,

51 Quapropter dicendus est Anonymus noster aut de Tiburtinæ civitatis ruina, non quidem executioni mandata, sed a Romanis intentata atque audaciter postulata, solum meminisse; aut per vocem ruinam quamdam aliam Tiburtinis illatam per Romanos cladem indicasse. Si primum, cessat omnis difficultas, etiam in sententia Muratorii. Et vero exploratas sine omni dubio habebant Campaniæ comites istas Romanorum adversus Tiburtinis molitiones, ac pares sibi metuere poterant, nisi singuli vires suas Pontificiis partibus adjungerent. Si secundum, fortasse ea Tiburtinorum obsidio indicatur, qua Innocentius II eosdem, dudum rebellantes, coangustatos, ad deditionem, acceptis obsidibus, ac jure jurando interposito, coegit, uti ex *Ottone Frisingensi* diximus num. 48. Potuit hæc Tiburtinorum expugnatio quodam modo, etsi minus accurately, eorundem civitatis ruina ab Anonymo appellari, quod Innocentius eos, Sedi Apostolicæ dudum rebelles, domuerit, meritis penis multaverit, atque ita haud dubie coercuerit, ne summi Pontificis jugum, uti dudum fecerant, imposterum possent excutere.

cetera etiam sincero.

52 Hæc de fide ætateque scriptoris historie Translationum præmissis sufficiat: id solum præterea observo, eundem in duabus prioribus translationibus referendis eo majorem fidem mereri, quo minus ipsius intererat eas fingere, ut S. Marci corporis possessionem ejusdem Sancti tituli intra Urbem ecclesiæ assereret. Nam si ad hanc asserendam opus erat fictione, necessum non erat istas ambages querere, sed poterat id per unicam ejusdem sacri pignoris ex cæmeterio S. Balbinæ in Urbem translationem comminiscendo præstare. Ceterum illud a Pontificatu Eugenii III usque in hæc nostra tempora in eadem S. Marci ecclesiâ permansisse, dicunt scriptores supra laudati, qui ejusdem possessionem eidem ecclesiæ non dubitanter adscribunt. At priusquam ipsam translationum historiam recitem, examinandæ sunt tres, quarum supra memini, quæque cum hac historia nequeunt componi.



D

#### § IV. Quid censendum videatur de S. Marci corpore, quod Florentini a SS. Damaso et Ambrosio sibi donatum esse, existimant.

Papebrochius noster in *Conatu Chronico historico ad Catalogum Pontificum, Propylæi Maii pag. 50\** in S. Marco hæc habet: Inde vero (ex cæmeterio S. Balbinæ Via Ardeatina, ut præmiserat) translatus [est] Florentiam ad ecclesiam S. Laurentii. *Ut hæc scriberet, sine dubio motus fuit auctoritate Francisci Castilionensis, presbyteri et ejusdem ecclesiæ Laurentianæ canonici, cujus Sermonem, post medium sæculum xv habitum, Papebrochius ipse manu sua descripsit ex codice Florentino conventus S. Marci, Ordinis Prædicatorum. Consule, si lubet, Papebrochium ad diem 2 Maii in Commentario prævio ad Vitam S. Antonini, archiepiscopi Florentini, ab eodem Francisco Castilionensi, qui eidem archipræsuli per octennium domesticus fuerat, conscriptam. Laudato apographo nostro præfixus hic titulus est: Sermo Francisci Castilionensis, presbyteri, ad canonicos et collegium S. Laurentii Florentini de vita B. Marci Papæ, et de laudibus ecclesiæ S. Laurentii. Tum subditur, unde is Sermo exceptus sit, nempe: Ex Bibliotheca S. Marci Ms. fol. 114.*

Franciscus Castilionensis in Sermone,

54 Ipsum vero Opusculum in *Lectiones partitum, uti ipsemet docet titulus jam recitatus, breve vitæ S. Marci compendium, laudesque ejusdem S. Laurentii ecclesiæ celebrat, ex quo sicut Papebrochius compendium istud, jam aliunde acceptum, prudens prætermisit describere, ita et ego non recitabo, nisi ea, quæ ad præsens propositum nostrum proprie pertinent. Sic ille orditur: Scriptum est, carissimi fratres: « Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, et nomina eorum » vivent in sæculum sæculi: cum vero sanctum et venerabile corpus B. Marci Papæ in hac nostra tanto sumptu innovata ecclesia, et in majori ipsius ecclesiæ altari conditum, et in pace sepultum esse, nobis compertum sit, æquum est, quod nobis est ex temporum propinquitate recens, et ante oculos celebratum, id ad posteros per memoriam et historiæ monumenta transmitti, ut rei certitudine et verisimili testimoniis admonitæ fidelium mentes pio amore sanctaque devotione ad venerabilium Sanctorum corpora provocentur.*

post medium sæculum xv habito, testatur,

55 Sed prius pauca, quæ ad vitam ipsius B. Marci Papæ pertinent, ut ex quodam antiquo libello, in quo nonnulla gesta laudesque illius conscripta sunt, reperi, breviter tangenda sunt; deinde, quæ nostris temporibus gesta sunt, et unde initium auctoritatemque sumpserunt; quo duce, et quibus sumptibus celebrata sunt, ad perpetuam rei memoriam posteritati et futuro sæculo sunt transmittenda. *Quæ de S. Marci gestis laudibusque hic sequebantur, recte, ut dixi, prætermisit Papebrochius, hoc adjecto monito: Quinque sequentes Lectiones ea continent, stylo dumtaxat mutato, quæ jam ex antiquioribus Legendariis (de quibus et ego jam memini superius)*

in Laurentiana ecclesia Florentiæ inventa esse

**A** rius) ejusdem ecclesie habemus. *Laudabile sane fuit istud Francisci Castilionensis consilium, quod si decessores illius olim æque sibi proposuissent, aliquid certius de hoc argumento in alterutram partem nobis nunc liceret statuere. Franciscum igitur in Papebrochiano apographo prosequentem audiamus.*

anno 1474  
SS. Marci Papæ, Amati et Concordiæ corpora,

56 Hoc igitur tam nobile, tam venerandum corpus S. Marci Papæ, meministis, fratres, quomodo reconditum fuit temporibus nostris in altari majori hujus ecclesie nostræ, una cum sanctis corporis Amati abbatis, et Concordiæ martyris. Quæ quidem gloriosa corpora reperta fuerunt in altari, quod erat ex parte Meridionali juxta altare majus, antequam esset ecclesia vetus diruta. Hoc autem factum fuit ab Incarn. D. an. MCCCXLIV, 11 Idus Novemb., cum altare, quod appellatur S. Concordiæ, pro innovatione ecclesie dirutum erat. Erant autem hæc BB. corpora in capsula lignea duorum cubitorum cum chirographo, quod ipsorum Sanctorum nomina testabatur, in qua etiam nonnullæ vestes, licet vetustate consumptæ, et tria crania cernebantur, et nonnulla ossa longiora cæteris, quo primo \* ipsius B. Marci fuisse, nonnulli arbitrabantur: quod vir nobilis et proceræ staturæ memoretur fuisse.

\* an quorum primum?

quæ a S. Ambrosio donata S. Zenobio credebantur,

57 Hæc autem gloriosa tria corpora dicitur B. Ambrosius, Mediolanensis episcopus, a B. Damaso Papa pro singulari munere accepisse, eaque B. Zenobio, Florentino episcopo, quem singulari caritatis affectu complectebatur, condonasse. Quin dicitur ipse B. Ambrosius una cum Zenobio episcopo eadem tria corpora in hac ecclesia condidisse, et altare dedicasse suis manibus; ex quo etiam ecclesia hæc antiquo vocabulo AMBROSIANA est nuncupata; cujus etiam rei maximum habemus testimonium in Vita B. Ambrosii, quam Paulinus episcopus Nolanus, vir sanctissimus, eleganti stylo conscripsit. Illud etiam nobis testatur Oratio ipsa et suffragia, quæ singulis diebus in ecclesia decantamus, in qua post tria ipsorum nomina ipsum quoque B. Ambrosii nomen non tacetur. Multa præterea alia vulgo narrantur, quæ attestantur amicitiam Ambrosii cum Zenobio, et signa quædam episcopalis sedis, quæ hic tunc fuisse dicitur, nonnulli adducunt, quæ omnia, ne longior fiam, neve assertor incertarum rerum esse videar, omitto.

ibidemque demum reperta fuisse anno 1461,

58 Hic de variis aliorum Sanctorum reliquiis in eadem ecclesia tunc pariter repertis meministi, ac demum sic pergit: Illuc redeo, unde incepi, ut, quod nobis compertum est, ad posteros transmittatur. Omnes enim hujus rei testes estis: nam et reliquias vidistis, et interfuistis, quando reverendissimus P. archiepiscopus noster Orlandus, vita probitate et doctrina juris insignis, qui archiepiscopo illi sanctissimo, fratri Antonino, successerat, ad dedicationem hujus altaris accessit, quæ v. Non. Aug., MCLXI anno, die Dominico post solemnem processionem, adstante populo frequenti et clero majoris ecclesie, celebrata est; et dum beatæ corpora, SS. Marci scilicet, Amati abbatis, et Concordiæ mart., in eodem altari conderentur, affuistis.

\* I. iv Non. Aug.

non sine miraculo vel beneficio celesti.

59 Meministis etiam, quo pacto voluerit Altissimus eodem die in Sanctorum suorum testimonium antiqua signa innovare: eodem enim die quidam e nostris popularibus, Nicolaus nomine, Martini filius, cum haberet filiolum, Federicum nomine, jam prope januas

mortis, de cujus vita, ut mihi postea attestatus est, ipse pater, jam actum putabat, simulque reliquos filios vocaverat, ut fratrem illi suum postremo intuerentur; cum processio ejus juxta habitationem ejus cum his reliquiis transiret, secutus sancta corpora in ecclesiam, pro filio magna cum fide votum fecit, et non multo post domum rediens, natum convalescere reperit, et post tertium diem, quem morti jam adscriperat, incolumem recepit: pro quo, ut voverat, imaginem ceream instar pueri huic ipsi altari superposuit, quam ibidem sitam quam plurimos dies omnis populus inspexit, et miraculum insigne per omne vulgus manifeste innotuit.

ACCITORE  
C. S.

\* ejus abundant

60 Ob quam causam decet nos, carissimi fratres, magno pietatis affectu hæc sancta corpora, et hanc ipsam ecclesiam, tam multorum Sanctorum reliquiis exornatam, venerari; decet nos non parvi facere, aut contemnere protectionem gloriosi martyris Laurentii, sub cujus nomine dedicata est ecclesia, et de cujus reliquiis apud nos esse, non dubitamus. *Post hæc denovo perstringens tum prædicta, tum alia ejusdem ecclesie decora, quibus Joannem, atque hujus filium Joannem Medicæ, Florentinorum, ut vocant, Confaloneros, seu vexilliferos, motos opinatur ad eandem ecclesiam a fundamentis augustiorem extruendam, bene sperare jubet, fore ut Petrus, Cosmi filius, Petrique liberi tam splendide captum promotumque opus non minus magnifice perficiant, ac tandem concludit his verbis:* Bono igitur animo simus, fratres, conservemusque dignitatem nostram et loci et personarum, fretique protectione beati primum Laurentii martyris, deinde ipsius sancti Pontificis Marci Papæ, Amatique abbatis, et Concordiæ martyris, necnon sancti episcopi Zenobii, et Ambrosii doctoris egregii, patrocinio confidenter ad illius cæleste regnum, ad illam beatam vitam feramur desiderio, in qua omnes electi congaudent et laudant eum, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Epilogus ejusdem scriptoris:

E

61 Hactenus laudatus Franciscus Castilionensis paulo post annum 1464, quo Cosmus I Medicæ obiit, eique filius ejus Petrus successit. *Nec solus Papebrochius noster, verum etiam Franciscus Orlandus Orbis sacri et profani part. II, lib. III, cap. 58, laudatusque ibidem ab eo Ferdinandus Leopoldus del Migliore, S. Marci Papæ corporis translationem Roma Florentiam affirmarunt, qui etiam duo postremi eandem SS. Damaso, Ambrosio ac Zenobio, ex ejusdem Francisci Castilionensis auctoritate haud dubitanter adscripserunt; quamquam eorundem primum Orlandus verbis supra num 56 recitatis ejusdem sancti Pontificis corpus in illius ecclesia Romæ quiescere, dixerit, huc ex cœmeterio S. Balbinæ (ut ibidem credidit) translatum. Veruntamen propter ea, quæ præcedenti § produxi, de Florentinorum possessione eorum vehementer dubitare. Etenim, si S. Marci corpus sub S. Gregorio VII, id est, sub finem sæculi XI, via Ardeatina, in cœmeterio S. Balbinæ, in quo anno 536 constat fuisse humatum, repertum fuerit, non potuit S. Damasus inter annos 566 et 584, quando hic sedit, donasse S. Ambrosio, et hic Zenobio, ac Zenobius in ecclesia Laurentiana Florentiæ deposuisse.*

quinam de Florentinorum possessione etiam consentiant.

F

62 Expendamus ergo momenta rationum, quibus Franciscus Castilionensis istius sacri pignoris possessionem sæpe dictæ Florentiæ ecclesie primus

AUCTORE  
C. S.  
An horum  
corporum  
unum S. Marci  
Papae sit,  
inquirimus:

primus omnium, quem quidem novimus, post medium saeculum xv non dubitavit asserere. Primum, idque praecipuum, argumentum petit a re-  
pertis anno 1444 in eadem ecclesia SS. Marci, Amathi abbatis ac Concordiae martyris corporibus cum chirographo, haec eorundem Sanctorum esse, testante. Factum negare nequeo viro probo affirmanti; sed mallet, ut ipsum, quod vocat, chirographum recitasset, ut constaret, an summi Pontificatus dignitas isti Marco in eo adscripta legeretur, an a Francisco Castilionensi pro suo aliorumve sensu in dicto sermone primum fuerit attributa. At certe, a quo, quoque tempore ea sacra corpora ibidem fuerint deposita, in eodem chirographo non fuisse lectum, suo silentio scriptor iste satis manifestat, qui propterea alterum subiecit argumentum, ex fama, nescio quam antiqua.

fama, quae  
eadem SS. Da-  
maso, Ambro-  
sio ac Zenobio  
accepta re-  
fert.

63 Dicit, scilicet ait, S. Damasum Papam tria ista corpora donasse S. Ambrosio, Mediolanensi episcopo, huncque S. Zenobio, Florentino antistiti, et ab his eadem in Laurentianam ecclesiam illata esse, atque ipsam ecclesiam dedicatam, positumque in eadem altare consecratum; unde et eadem ecclesia Ambrosianae vocabulum fuerit sortita. Ut hanc famam magis fulciat, addit: Cujus etiam rei maximum habemus testimonium in Vita B. Ambrosii, quam Paulinus, episcopus Nolanus, eleganti stylo conscripsit. Paulinum, S. Ambrosii biographum, non fuisse ejusdem nominis sanctum episcopum Nolanum, dudum extra omnem controversiam est: sed, fuisse se ejusdem S. Ambrosii clericum, docet ipsemet in laudata Vita, quae exstat in Appendice ad Opera istius sancti Ecclesiae doctoris, studio et labore Benedictinorum, anno 1690 Parisiis edita. Ex hac Vita constat, S. Ambrosium aliquam ecclesiam Florentiae dedicasse, in eaque Sanctorum reliquias, non tamen SS. Marci, Amathi et Concordiae, sed SS. Vitalis et Agricolae deposuisse.

nulla verisimili ratione  
fulciatur,

64 En verba Paulini ibidem num. 29 posita: In eadem civitate (Florentia) basilicam constituit, in qua depositus reliquias martyrum Vitalis et Agricolae, quorum corpora in Bononiensi civitate levaverat. Ibidem infra num. 30 quoque eandem basilicam, haud dubie propter dictam dedicationem, Ambrosianam appellavit. Ipse quoque S. Ambrosius in Exhortatione virginitalis, quam ea occasione in praedicta Florentina ecclesia habuit, tom. II Operum suorum, a col. 272, de eorum SS. Vitalis et Agricolae reliquiis ibidem depositis diserte meminit; sed nec hic, nec alibi, alteruter simile quid habet de SS. Marci, Amathi et Concordiae corporibus aut reliquiis; cum tamen haec propter donatorem S. Damasum Papam, ac S. Marci, praeterea propter gestum ab illo summum Pontificatum minime praeterenda fuissent. Quae itaque Franciscus Castilionensis de S. Ambrosio ex hujus Vita adduxit, multum quidem faciunt ad commendandam Laurentianam ecclesiam, si de hac ista accipienda sint. Sed pro sacri corporis, de qua quaerimus possessione nihil probant; quodque observavi, ejusdem sancti doctoris, hujusque biographi silentium eidem nihil minus, quam favorabile est.

nec aliunde  
fit satis verisimilis, imo  
ex scriptorum  
silentio

65 Expendat etiam studiosus lector, quantum probabile sibi videatur, donatum a Damaso fuisse corpus summi Pontificis, cujus cultus tunc temporis, tam in suo prope Romam S. Balbinae caemeterio, quam in Urbana sui tituli ecclesia rigeat; cujus sepulcrum idem Damaso, ut supra diximus, versibus propterea exornavit, et

post obitum, nondum elapsis triginta annis, idem ille in summum Pontificatum successerat. Habebat alia, quae donaret, Damasus Sanctorum corpora, quam S. Marci, suae Sedis Pontificis, cujus memoria tunc etiam recens erat apud Romanos, nec poterat non esse perca. Converti me etiam ad Acta S. Zenobii, episcopi Florentini, si in his fortasse quidquam de eodem argumento diceretur. Tres hujus sancti praesulis Vitas ad diem 25 Maii, quo ille colitur, dedit Papebrochius noster, primo loco antiquam, sed a S. Antonino, Florentinorum etiam antistite, saeculo xv modice interpolatam: secundo eandem antiquam ante Antoninum, post saeculum tamen 15, a Blasio, monacho presbytero exornatam; ac tertio denique a Laurentio, archiepiscopo Amphilitano, prout eam referri audierat, conscriptam saeculo xi. Sed nec in hisce, nec in laudati Papebrochii Commentario eis praevio, ulla exstat ejus rei memoria.

66 Quid, amabo, hinc pronius suspicari est, quam saeculis xi et xiv, usque in xv, cujus anno 39 S. Antoninus obiit, ignotam Florentiae fuisse eam trium sacrorum corporum per SS. Ambrosium Zenobiumque depositionem, neque vulgari caeptam ante annum 1444, quo eadem sacra pignora, teste Francisco Castilionensi, reperta fuere, eaque sola (inquam) suadente ratione, caeptam, quod, cum, unde ista eo allata fuissent, nesciretur, nulli verisimilius, quam S. Ambrosio, qui eam ecclesiam dedicasset, ejusdemque amicis SS. Damaso et Zenobio, accepta referri posse viderentur. Quin imo, si haec opinio mox a corporum inventione nata fuerit, eam minime firmam visam fuisse S. Antonino, probabiliter colligere licet, ex jam observato ejusdem sancti praesulis silentio, ac tempore, quo hic perfecti Summam suam, in cujus quinta parte (quae Historialis est) exstat supra dicta S. Zenobii Vita, Idem enim Franciscus Castilionensis, qui SS. Marci, Amathi ac Concordiae corpora anno 1444 reperta esse testatur, in laudata S. Antonini Vita tom. I Maii pag. 422, num. 29, hujus Sancti mortem narraturus, ait: Imposuerat etiam non multo antea extremam manum ingenti magnoque volumini, quam Summam appellavit.

colligere licet,  
eam saeculo xv  
non esse anti-  
quiorum,

E

67 Obiit autem S. Antoninus anno 1439, annis quindecim post trium corporum inventionem, ut adeo opinionem istam, si haec mox ab eadem inventione vulgata sit, non potuerit ignorare, si vero non ignoraverit, quam potiore illius in Vita Zenobii ea de re silentii causam putabimus, quam quod nova ista opinio eidem minime firma apparuerit. De S. Marco Papa agit idem S. Antoninus in laudata Summae parte Historiali, tit. 9, cap. 2, ubi illum inter Romanos Pontifices, qui Constantino Magno imperante, sederunt, recenset. Egit quidem de illis solum breviter, sed cum pari de ejusdem S. Marci corporis Florentiae inventionem, quae suo tempore contigisset, alto silentio, quod quam verisimiliter componi possit cum credita ab ipso eadem inventionem, lectori pariter considerandum relinquo: facile enim poterat tam recens facti memoria unico verbulo indicari.

F  
neque etiam  
tunc a S. An-  
tonino proba-  
tam.

68 Si quis porro petat, quis iste sit Amathus abbas, quae Concordiae martyr, quorum corpora una cum S. Marci corpora ibidem reperta, et a SS. Damaso, Ambrosio, Zenobioque deposita fuisse credenda sint; responderet cogor ad primum quod attinet, id a nemine, quem sciam, exponi;

Non constat,  
quorum sint  
duo corpora  
cum isto in-  
venta.

mih



A mihi vero nullum notum esse istius nominis sanctum abbatem sæculi iv, aut eo etiam prioris, cujus corpus eodem sæculo iv a S. Damaso donari, aut ab Ambrosio Zenobio in Laurentiana Florentina ecclesia deponi potuerit. Concordiam illam Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiae dicit, esse Romanam martyrem, S. Hippolyti nutricem, quæ cum ipso aliisque novemdecim Anonymis sub Valeriano passa fuit. Actum de hisce apud nos est ad diem 15 Augusti, ibidemque § 4 aliquot loca recensita sunt (non tamen Florentia) quibus SS. Hippolyti et Concordiæ corpora vel reliquiæ adscribuntur. Sed non est hujus loci ea discutere, dum de solo S. Marco Papa inquirimus.

His de causis non probatur mihi, corpus S. Marci,

69 Ex tam incertis omnibus nequit mihi probari S. Marci Papæ corporis per SS. Damasum, Ambrosium et Zenobium Florentinis facta donatio; nec tamen quempiam hactenus comperi, qui alium ejusdem sancti pignoris largitorem nominet. Sæpe dictæ ecclesiæ recens inscriptio apud Orlendium Orbis sacri et profani part. ii, vol. 2, pag. 1264, post signatam illius per S. Ambrosium anno 599 dedicationem ita proseguitur:

B Vetustate collapsam S. P. Q. F. instauravit et pristino nitore restituit Nicolaus II, ex episcopo Florentino P. M. renuntiatus, aggregato præstulæ cœtu xiii Kalend. Februarii cœlix propriis manibus dedicavit nec sine dote dimisit etc. Hinc suspicari quis possit, fortasse hujus Nicolai Pontificis manus esse, quod Franciscus Castilionensis SS. Damaso Ambrosioque ac Zenobio attribuerunt; sic, inquam, suspicari quis possit, nisi obstaret temporum ratio. Nam Nicolaus II, anno 1061 mortuo, successit Alexander II, et huic anno 1075 pariter defuncto S. Gregorius VII, quo sedente, S. Marci Papæ corpus cum inscriptione sua in cæmeterio S. Balbinæ via Ardeatina repertum fuisse, Translationis Romanæ, quam dabimus, auctor testatur.

Florentiæ assercatum,

70 At enim, inquit, etiam in Laurentiana ecclesia Florentina una cum corpore inventum est chirographum, quod illud S. Marci esse testatur. Fateor, id ego Franciscus Castilionensi asserenti nolo inficari; verum etiam posito, Marco utrobique adscriptam fuisse Pontificiam dignitatem (quod nec asserere possum, nec negare) non esset utrobique par ratio; cum Florentini ex hactenus disputatis ne satis quidem verisimilem conjecturam proferant de tempore et auctore accepti corporis; ex vetustissimo autem, ceterisque Romanorum Pontificum Catalogis ac Martyrologiis constat, corpus S. Marci Papæ in sæpe memorato S. Balbinæ Via Ardeatina cæmeterio (ex quo post geminam illius in Campania translationem Romani id se accepisse asserunt) vere prima sepultum fuisse; nec ullus ante Franciscum Castilionensem, qui non ante annum 1461 scripsit, dixisse legatur, istud ex memorato cæmeterio Florentiam unquam translatum, aut ex eodem ante tempora S. Gregorii VII amotum fuisse.

Marci Papæ esse, cujus tamen fortasse reliquiæ aliquæ ibidem sunt.

71 Quod argumenti loco præterea addidit de SS. Marci, Amathi, Concordiæ atque Ambrosii nominibus a Laurentianæ ecclesiæ clero in quotidianis suffragiis recitari solitis, si hæc consuetudo inventionem eorumdem trium priorum corporum sit antiquior, verisimile quidem faciet, jam ante inventionem illam a Florentinis creditum fuisse, S. Marci corpus in ea ecclesia servari; non tamen probabit, illud idem S. Marci Papæ esse, cujus possessionem in ejusdem Urbana ecclesia posses-

sionisque a medio sæculo xii captæ modum certiori, quam Florentini, ratione Romani opponent. Fortasse tamen viguit ista apud Florentinos S. Marcum in quotidianis suffragiis invocandi consuetudo ob insignes ejusdem sancti Pontificis reliquiæ, quas Franciscus Castilionensis corpus liberatius appellaverit. Si ita sit, non refragabor, modo eas dudum post SS. Damasi, Ambrosii ac Zenobii tempora accepisse credantur.

AUCTORE C. S.

## § V. Duo alia loca, in quibus S. Marci Papæ corpus quiescere dicitur.

Ughellus in Italia sacra etiam duobus aliis, quorum supra memini, locis ejusdem S. Marci Papæ corpus attribuit. Primum indicat tom. III editionis Venetæ auctæ, in Episcopis Clusinis, monasterium scilicet S. Salvatoris in Monte Amiato, quod Augustinus Lubinus in Abbatibus Italiae scribit fundatum esse circa annum 745 a Rachi Longobardorum rege in diocesi ac territorio civitatis Clusinæ in Hetruria veteri, fuisseque primo Ordinis Benedictini, sed jam a sæculo xiii Cisterciensibus traditum. Ut sit (neque enim hæc refert hic examinare) laudatus Ughellus col. 624 recitat Ms., in quo post alia ad propositum nostrum ita legere est: Et post consecrationem ecclesiæ (anno 1056, ut ibidem præmissum est, solemniter peractam) acquisierunt dominus abbas Rolandus cum fratribus corpus S. Marci Papæ.

Dicitur etiam, sed nec probatur, idem sacrum corpus

75 Hæc, nec plura in rem nostram ibi laudatum habet Montis Aniatini monumentum, quod cum ejus ætatis sit, aut quo tempore Rolandus iste eidem monasterio præfuerit (nam tempore dictæ dedicationis ecclesiæ Wintzo præfuisse ibidem legitur) non dicat, nequeunt ista sola movere, ut S. Marci Papæ corpus in eo monasterio servari, aut servatum fuisse, credam; sive illud paulo post ejusdem ecclesiæ consecrationem, atque adeo ante S. Gregorii VII Pontificatum, sive post illuc allatum velint: quia certiora videntur, quæ de ejusdem S. Marci corpore in Ardeatina Via, sedente S. Gregorio VII, reperto, atque post geminam illius in Campania Romana, ad castrum videlicet S. Silvestri, atque hinc ad castrum oppidum Julianum translationem, in urbem demum Romam, sedente Eugenio III, delato, et in sui tituli ecclesia deposito § 5 disserui; ex qua id deinceps unquam ablatum fuisse, hactenus non comperi. Progrediamur ergo ad alterum locum ab Ughello indicatum.

esse in monasterio Montis Aniatini in Hetruria.

74 Est hæc ecclesia metropolitana Aquileiensis in Foro-Julii Italiae provincia, cui ut thesaurum istum asserat laudatus auctor, tom. V Italiae sacrae auctæ col. 50 ac sequenti profert vetus (ut inquit) monumentum, quod in margine notatur exstare ad ejusdem metropolitanæ ecclesiæ januam Australem. Juerit illud integrum ex Ughello recitasse. Sic habet insculptum silici: MXXXI. Indictione xiv. m. Idus Julii. Ego Poppo hujus Aquil. ecclesiæ patriarcha, una cum duobus Romanis epis. Cardinalib. et xii. coep. præsidente D. Joanne Papa XIX. et imperatore Conrado Augusto, consecravi hoc templum in honorem S. Mariæ Genit. Dei, et SS. Martyr. Hermach et Fortunati, ob ejus sollennitatem idem

Pro ejusdem possessione ecclesiæ Aquileiensis asserenda

AUCTORE  
C. S.

idem Roman. summus Pont. de gratia Apostolica concessit indulg. c. ann. et c. diebus singulis annis omnibus. vere poenitent. et confessis dictam Aquileiensem ecclesiam visitantibus causa devotionis, et in festo dictorum martyrum Hermach. et Fort. et per octavas eorum singulis diebus xviii annorum, et totidem quadragenarum.

laudatur in-  
scriptio ibi-  
dem muro  
incisa, verum  
hæc recentior  
est,

75 Item dicti Cardinales auctoritate Apostolica ob reverentiam S. Quirini mart., qui ejus corpus portaverunt de Urbe, et condiderunt a parte dextera in altari parvo juxta altare majus, et ob reverentiam B. Marci Papæ et confess. cujus etiam corpus de Urbe portaverunt, et collocaverunt a sinistris in altari parvo juxta altare majus, concesserunt indulgentiam x ann. et x. quadragenarum tam in supradictis solennitatibus quam etiam in festivitatibus eorumdem. *Hactenus monumentum ex recensione Ughelli; quod ne Popponis ætate exaratum credamus, vetant liberaliores ista indulgentiarum largitiones, sæculo xi in Ecclesia Dei minime usitate. Simili de causa Papebrochius noster in Paralipomenis ad Conatum in Catalogum Romanorum Pontificum Dissert. 29 num. 9 quamdam Farfensem Indulgentiarum formam suspectam habuit, ac Papebrochii judicio consentiens Joannes Franciscus de Rubeis in Monumentis ecclesie Aquileiensi col. 317 de hac ipsa Aquileiensi sic pronuntiat: Sequiore positam ævo inscriptionem, nullus dubito; prædictusque indulgentiarum numerus fortasse ex confirmatoria alicujus multo posterioris Pontificis extensione accipi potuit, ut idem Papebrochius annotat loco citato, ubi similem ad examen vocat Farfensem Indulgentiarum formam.*

ac fortasse  
concinna ex  
liberaliori in-  
terpretatione

76 Neque tamen definita dicati Deo Aquileiensi templi notat epocha, quam puto expressam ex sinceris Donationis, numero sequenti percensenda, tabulis. In his hæc verba legimus: « Ego Popo... hanc ecclesiam fabricavi, et eo » (Deo scilicet, ut præmiserat) « auxiliante, eam » in honorem S. Dei Genitricis et perpetuæ » Virginis Mariæ, SS. martyrum Hermachoræ » et Fortunati, una cum pluribus episcopis, » consecravi. » Confecta tabulæ sunt « Anno » Dominicæ Incarnationis mxxxi. Indictione xiv. » tertio Idus Julii, residente D. Joanne Aposto- » lico in Urbe Romana, regnante vero Conrado » Augusto imperii sui anno v. Pontificatus au- » tem ejusdem Domini Poponis an. xii. » QUINTUM DECIMUM ANNUM vitio typographi apud Ughellum legitur: ANNUM vero XII numerant autographæ tabulæ. *Hactenus ex laudato Joanne Franciscus de Rubeis, cujus opinio de epocha dedicata metropolitane ecclesie Aquileiensi, ex hisce Poponis tabulis in supra dicta inscriptione concinnanda adhibita, mihi verisimillima apparet.*

alterius ta-  
bula authen-  
tica,

77 Videamus igitur, an iste inscriptionis concinnator, sicut annum dictæ dedicationis ex autographis (teste de Rubeis) Poponis tabulis recte accepit, ita etiam S. Marci corporis possessionem ex eisdem didicerit. In his, prout integræ exstant apud Ughellum, post supra recitatum verbum Consecravi Popo sic progressus est: In qua ex diversis, et maxime ex Romana Ecclesia, plurimas Sanctorum reliquias summo et ardenti studio congregavi, et studiosissime collocavi. *Hæc ibi Popo, nec plura de hoc argumento addidit; de S. Marci corpore etiam altum silens. Ut igitur quispiam, totis forsitan tribus sæculis ea templi dedicatione junior, prædictam inscriptio-*

*nem composuit, in eaque longe ampliores Indulgentias, quam sæculi xi Ecclesiastica disciplina tulerit, imperite recensuit, ita is ipse potuit haud multo magis inepte levi quapiam de causa existimasse, corpus S. Marci fuisse inter sacras reliquias, quas Popo Roma acceptas, dictaque in ecclesia a se collocatas, in authentico instrumento generatim memoravit.*

78 Suspicionem hanc auget idem auctor inscriptionis, dum in eadem dicit, etiam S. Quirini martyris corpus eodem anno 1051 eademque de causa Roma illuc allatum, ibidemque depositum fuisse. *Duos autem hujus nominis Romanos martyres novi, quorum alter, sub Claudio passus, colitur die 25 Martii, alter sub Hadriano coronatus, honoratur ejusdem mensis die 50. De ambobus actum apud nos est ad eosdem dies tom. III Martii; sed ibidem probatum est, horum prioris (Cyrini etiam alias dicti) corpus sæculo viii, largiente S. Zacharia summo Pontifice, ad Segersheimum Bavaricæ monasterium; alterius vero anno 1030, concedente S. Leone IX pariter Pontifice, Novesium in archiepiscopatu Coloniensi translatum fuisse; ut proinde (nisi alterum ab his duobus Quirinum Romanum martyrem inscriptioni indicet) ejusdem auctor hinc quoque non possit mihi non suspectus esse, dum S. Quirini martyris corpus, non secus atque S. Marci Papæ corpus anno 1051 Aquileiam Roma translatum affirmavit. Quibus de causis non apparet mihi ista inscriptio idoneum instrumentum ad persuadendum, ejusdem S. Marci corpus jam quiescisse Aquileiæ ante Pontificatum S. Gregorii VII, quo sedente, illud in cæmeterio S. Balbinæ Via Ardeatina, ubi constat primo sepultum fuisse, inventum esse, supra laudata, atque hic subjicienda Translationis Romanæ Historia multo verisimiliter enarrat.*

atque etiam  
aliunde sus-  
specta est.

## HISTORIA

### TRANSLATIONUM,

Auctore Anonymo, verisimiliter synchrono,

Ex Bibliothecæ Vaticanæ  
Codic. Anon. f. 176.

### PROLOGUS.

Compendium Vitæ ac virtutum sancti Pontificis.

Sacratissimi corporis beati et venerabilis Marci Papæ Translationem a scripturus, paucis de hiis, quæ in Pontificatu gessit, perstringere decrevi, ut et narrationis ordo competenti fiat, et audientium corda tanti Patris exemplo ad misericordiæ opera facilius provocentur. Beatissimus itaque Marcus, athleta Christi, et Catholicæ fidei defensor, sub B. Sylvestro, magistro et prædecessore suo, in diacognatus Officio, non mundo, sed Deo, studuit mi-

Marcus eccle-  
siae Romanæ  
diaconus

a

A litare, nihil terrenum, nihil carnale desiderans, sed tota mentis intentione ad æterna et sine fine mansueta \* gaudia semper intentus, crucem suam post Dominum baiulavit. Legerat enim in Euangelio Dominum dicentem : « Qui » non baiulat crucem suam, et sequitur me, non » potest meus esse discipulus *b*. » Timens igitur et multum metuens, ne tanto Magistro haberetur indignus discipulus, desepit mundum, ut liber sequeretur Christum, dicens cum Apostolo : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini » mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo *c*. »

*ob virtutes suas S. Silvestro in Pontificatu sufficitur.*  
 2 Et quia juxta B. Jacobi Apostoli testimonium, qui voluerit esse amicus mundi, inimicus Dei constituitur *d*, mundum cum suis oblectamentis desepit, cum cruce Dominum sequens, carnem suam cum vitiiis et concupiscentiis crucifigendo : erat enim jejuniis et orationibus semper intentus, indutus omni tempore cilicio. Pro hiis itaque et aliis innumeris sanctitatis operibus, non tantum Deo, verum etiam hominibus caris et amabilis extitit, et maxime magistro suo, B. Silvestro, tunc Romano Pontifici, a quo in tantum diligebatur, ut sæpissime B. Silvester viva et aperta voce hunc solum inter cæteros fore, assereret, qui Pontificali cathedra dignus haberetur *e*. Mortuo igitur B. Silvestro, et, ut decebat, honorifice sepulturæ tradito, clerus populisque Romanus concordi voto, parique voluntate Marcum, diaconum, elegerunt Pontificem; qui, licet multum resisteret, sequere indignum reclamaverit, Pontificali tamen cathedra ex more est sublimatus *f*. Qualem vero se in Pontificatu, quantumque præbuerit, quantæ sanctitatis, quantæque humilitatis, mansuetudinis ac benignitatis circa omnes extiterit, humana lingua non efficit \* enarrare.

*\* an. sufficit?*  
*humilitate ac misericordia fulget, binas ecclesias condidit, ac moritur.*  
 3 Neque enim, ut plerique, pro collato sibi honore in superbiam est elevatus, sed memor Domini dicentis : « Qui se exaltat, humiliabitur; » et qui se humiliat, exaltabitur *g*, majoris humilitatis apparuit, quam cum esset in Ordine diaconatus. Denique, cum in honore duodecim Apostolorum duodecim quotidie pauperes ad mensam haberet, ipse per semetipsum eis ministrabat; nec aliquid omnino corporalis cibi gustabat, nisi prius eos refectos sentiebat, illius vere discipulum et imitorem se ostendens, qui ait : « Non veni ministrari, sed ministrare *h*. » Nocturno vero silentio, cum se homines sopori tradunt, illos in singulis thoris mollioribus collocabat, ipse autem super nudam terram quiescebat *i*; cilicio tantum ad carnem indutus. Viduarum et orphanorum ac pauperum, Romæ degentium, negotia curabat, ut propria eorumque nomina penes se scripta habebat, et de suis facultatibus, prout cuique opus esset, necessaria ministrabat. Hic duas fecit basilicas, unam Via Ardeatina, in qua requievit *k*, alteram in urbe Roma juxta Palatinas *l*; sed cum omnipotens Dominus, invidiorum aspernator, vellet, eum jam a labore quiescere, et laborum suorum æternam in cælis mercedem recipere, post multa et inenarrabilia signa, quæ per eum Dominus gessit, ex hac luce subtractus est, reddiditque spiritum Deo, a quo illum acceperat, expletis annis duobus, mensibus novem in Episcopatu suo, diebus autem viginti *m*.

Octobris Tomus III.

## ANNOTATA.

AUCTORE ANONYMO.

a *Tres translationes hic Anonymus enarrat; at quia harum postremam, quæ in urbem Romanam facta est, describendam proprie susceperat Translationem dixit, non Translationes.*

b *Lucæ 14, v. 27.*

c *Ad Galatas cap. 6, v. 14.*

d *Lege B. Jacobi Epistolam cap. 4, v. 4.*

e *In nostræ Vitæ S. Marci apographis eadem leguntur de illius diaconatu et promotione ad summum Pontificatum ex commendatione S. Silvestri, proximi ejusdem decessoris. Vide dicta in Commentario prævio num. 19.*

f *Id factum esse die 18 Januarii anni 556, probavi in eodem Commentario § 2.*

g *Lucæ cap. 14, v. 11.*

h *Lege cap. 20 Matthæi, v. 28.*

i *Quæ de misericordiæ operibus hic præmissa sunt ac subduntur, leguntur etiam in aliquot nostris Vitæ apographis; sed quam ea certa sint, quis dicat?*

k *Ubi et corpus ejus sæculo XI inventum fuisse, hic infra dicitur.*

l *Palacinas alii legendum monent. De utraque hac ecclesia vide dicta in Commentario prævio §§ 1 et 2.*

m *Imo solum mensibus octo ac diebus viginti, anno vero 556, Nonis Octobris, ut probatum in Commentario prævio est a num. 8.*

## CAPUT I.

**Inventio sacri corporis in cæmeterio S. Balbinæ, Via Ardeatina; prima ejusdem translatio ad Castrum S. Silvestri, et secunda ad Castrum Julianum.**

Sepultus est Via Ardeatina in cæmeterio Balbinæ *a*, ubi cum per longa tempora permansisset, videlicet usque ad tempora Gregorii septimi Papæ *b*, contigit, ut quidam cymiterium in quo corpus S. Marci erat, intrarent, et dum diligenter inquirerent, sicubi vel Sanctorum reliquias, vel aliquid aliud, unde lucrarentur, invenire potuissent, venerabile corpus ex insperato invenerunt; quod cum vere B. Marci corpus ex titulo, quem in sepulcro reppererunt, fore cognoscerent, valde gavisus sunt, quia talem thesaurum invenerant, ex quo et temporales divitias et æternas se posse consequi, non dubitarent.

3 Unus igitur ex hiis, nomine Benedictus, festinus et plurimum gaudens ad titulum S. Marci, quem ipse B. Marcus temporibus Constantini imperatoris in Urbe construxerat, cucurrit, et ipsius tituli *c* archipresbiterum, et omnes canonicos caute conveniens, ubi B. Marci corpus esse, crederent, studiose quasivit. Quo audito, archipresbiter et clerici illud se in eadem ecclesia indubitanter habere, dixerunt. Quibus ille : Procul dubio, inquit, decepti estis, nec sic est, ut

F *Inventum in cæmeterio S. Balbinæ corpus S. Marci.*

a

b

*fossor nuntiat clero S. Marci, ab eoque re-pulsus.*

c

DUCTORE  
ANONYMO.

d

ut speratis : nos enim illud nuper invenimus; et si vestro æque nobis moderamine dare vultis, integrum vobis corpus cum proprio titulo *d* dabimus. Illi autem prænominati Benedicti verba parvi pendentes, ejus assertionibus fidem accommodare noluerunt.

cum sociis suis  
illud vendit  
illustri ma-  
trona in Cam-  
pania,

e f

6 Erat autem eo tempore Campaniæ in castro S. Silvestri *e* uxor cujusdam Theobaldi *f* illustrissimi militis, nobilissima femina, Theutonica genere, quæ religionis intuitu nimio flagrabat desiderio, ut Sanctorum reliquias in terra sua posset habere; et dum sedulo cogitaret, qualiter suum impletet desiderium, tandem sapienti usa consilio, Romam de suis fidelibus misit, qui ad hoc maxime operam darent, ut alicujus Sancti reliquias, dato pretio *g*, ad eam deferrent. Venientes itaque Romam, dominæ mandata exequentes, prædictos fossores obvios habuerunt; cumque ab eis requisiti causam itineris manifestassent, fossores dixerunt : Si sic est, ut dicitis, ecce, quod quærebatis, invenistis : et addunt : Nos habemus corpus S. Marci Papæ, quod, si justum pretium nobis recompensare velitis, sine dubio vobis trademus.

B

a qua in ere-  
cta ipsi eccle-  
sia digne re-  
conditur,

7 Sed quid multis immorari debeamus? Data pecunia, pretiosissimum corpus ad dominam suam in Campaniam detulerunt; quod illa, plurimum gaudens, cum maxima devotione suscepit, referens gratias Deo, qui non derelinquit sperantes in se, et suorum fidelium petitiones dignanter exaudit : atque illico præcepit, non longe a Castro S. Silvestri ad honorem S. Marci ecclesiam fabricari *h*; qua expleta, accitoeque episcopo *i*, in cujus parochia erat, in eadem ecclesia cum maxima gloria sanctissimum corpus pulcherrimo recondidit tumulo. Quod cum ad aures archipresbyteri et clericorum tituli S. Marci pervenisset, ineffabili mœrore dolentes et se ipsos *k* de negligentia accusantes, communicato consilio, in Campaniam ad dictam feminam, quæ sanctum corpus emerat, properare curaverunt, et ab ea, tamquam subjectum sibi thesaurum, B. Marci corpus nunc piis commotionibus, nunc gravissimis minis, Papæ auctoritatem et Romanorum potentiam opposcentes, requirere cœperunt.

h

i

k

frustra recla-  
mantibus Ro-  
manis clericis  
S. Marci.

C

8 Quorum verbis religiosa femina ex insperato percussa respondit : Miror, prudentes et sapientes clericos a me, tamquam furti rea, B. Marci corpus requirere, quod nec furatum sum, nec furari mandavi. Fateor (inquit) inveni thesaurum, quem de meis opibus libentissime acquisivi, et acquisitum debita veneratione tuto recondidi in loco : nunc nec blanditiæ subtrahent, nec minæ tollent, nec cujuslibet potentis violentia rapiet. Verum, si vel Papæ majestas, vel Romanorum magnitudo, ad reddendum, quod vita carius habeo, me aliquando cogere vellet, ego mihi exilium in partes Occiduas magis eligerem *l*, quam uno die vellem hoc quoquo modo carere. Accepta autem tam incommoda responsione tristiores effecti, qui perrexerant, clerici ad Urbem regressi, cum hiis, qui remanserant, et cum omnibus parochianis, ad recuperandum amissum thesaurum sollicitiores esse cœperunt.

l

Tempore Pa-  
schalis II, de-  
structo S. Sil-  
vestri castro,  
incola castri  
S. Juliani  
m

9 Temporibus itaque sanctæ recordationis Papæ Paschalis *m*, filii illius mulieris, cujus supra memoriam fecimus, quæ sacrum corpus comparaverat, matre eorum jam dudum mortua, adversus Dominum Papam arma sumpserunt; unde sæpe commoniti, cum stultitia sua

nullatenus cessare voluissent, indignans Dominus Papa ad comprimendam et edomandam eorum superbiam, et de Urbe, et de tota Campania contra eos exercitum conduxit, et Castrum S. Silvestri, Domino juvante, cepit atque destruxit *n*. Fuerunt autem in illo exercitu quidam ex parochianis S. Marci, licet pauci, qui sanctum corpus ejus exinde tollere, et ad propriam ecclesiam reducere conati sunt; sed a multitudine prohibiti, quod proposuerant, minime adimplere potuerunt. Quo comperto, clerici et laici, qui Julianum *o* castrum inhabitabant, multum metuentes, ne simili occasione Romani ad eadem partes iterum euntes sanctum corpus tollerent, secumque deferrent, ad jam dictam ecclesiam, quæ, tum morte suæ fundatricis, tum destructione castri, quasi derelicta erat, con-  
n  
o

10 Facta est autem inter castrenses contentio, ubinam corpus recondi debuisset, alii numquam *p* intra castrum, alii in matrici ecclesia S. Viti, quæ Ad Pinum dicitur, recondendum fore, censebant. Post multorum tandem verborum contentiones et jurgia, armorum quoque gravissimos strepitus, majorum et potentiorum consilio in præfata S. Viti ecclesia per manus Velitrensis episcopi *q* in optima concha reconditum est venerabile corpus, in ipsa vero altaris consecratione, clericis simul ac laicis consulentibus, ad honorem beatissimi Marci, cujus sacrosanctum corpus manu tractavit, et devotissime consecravit magnæ sanctitatis episcopus *r* ipsam B. Viti ecclesiam secundam a Velitrensi sedem perpetuo stabilivit et confirmavit, pro eo videlicet, quia summi et universalis Pontificis corpus ibidem recondiderat.

ablaturum S.  
Marci corpus  
in ecclesia  
S. Viti condi-  
derunt.

p

E

q

r

#### ANNOTATA.

a *Omnino constat, ipsum in illo S. Balbinæ cœmeterio sepultum fuisse, quod ab ipso etiam S. Marci dictum legitur, atque ab aliis in Via Ardeatina, ab aliis in Via Appia locatur. Adi Commentarium prævium num. 5, ubi diversi loquendi modi ratio allegata est.*

b *S. Gregorius VII Papa, cujus gesta in Opere nostro exposita habes ad diem 23 Maii, Ecclesiæ Dei præfuit ab anno 1075 usque in 1085; ac proinde S. Marci corpus in prædicto cœmeterio octavum jam sæculum jacebat, quando ibidem inventum fuisse, Anonymus noster hic incipit narrare.*

F

c *Vere antiquum Romæ esse S. Marci Papæ titulum, qui hodieque superest, ostendi in Commentario prævium num. 6.*

d *Id est, cum simul inventa sepulchrali inscriptione, ex qua constabat, corpus istud S. Marci Papæ esse.*

e *Per Campaniam hic indicari Campaniam Romanam, manifestum fit ex sequentibus. De Castro S. Silvestri vide observata in Commentario prævium num. 59 et duobus sequentibus.*

f *Vellem, ut certiorum horum duorum illustrium conjugum notitiam dedisset. Adi Commentarium prævium num. 59.*

g *Eruditus notum est, fuisse aliquando, qui religioni sibi non ducerent Sanctorum reliquias pretio mercari.*

h *Hinc etiam conjice, exiguum istud castrum fuisse; alioquin enim videtur pia illa matrona ecclesiam vel sacellum intra illud potius, quam extra*

A extra, condendo sacro corpori constructura fuisse.  
i Fortasse Velitrensi.

k Sic restitui, cum in apographo nostro perperam legeretur: Ex se ipsis.

l Id est, illuc cum sacro corpore confugerent.  
m Designatur Paschalis II, qui ab anno 1099 usque in 1118 Apostolicam S. Petri Romanam Cathedram tenuit.

n Consule Commentarium prævium num. 40 et sequenti.

o Est hoc diæcesis Velitrensis, inter cujus præcipua oppida recensetur apud Orlandum parte 2 Orbis sacri et profani tom. I, pag. 605. Vide etiam dicta in Commentario prævium num. 59.

p An legendum: Namque?

q Apud Ughellum tom. I Italiae sacræ, col. 46 in Veliternensium ante hujus ecclesie cum Ostiensi conjunctionem, anno 1130 ab Eugenio III factam, episcoporum Catalogo postremus Leo ponitur velut anno 1105 constitutus; verum alii hunc Leonem Vercellensem episcopum fuisse putant, nec videtur completus is Catalogus, ut dicere nequeam, hinc, an alius apud Anonymum indicetur.

B r Quis hic magnæ sanctitatis episcopus? Idemne, qui supra Veliternensis, an alius?

## CAPUT II.

### Sacri corporis e castro Juliano ad sui nominis ecclesiam Romam translatione: miracula quedam ibidem mox obtenta.

A Anno vero ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo quinto facta est in Urbe valida turbatio, ita ut clerus in populum, et populus in clerum universaliter agerent a: increscente autem persecutione, Eugenius, qui post Papæ Lucii mortem in Romanum Pontificem est b electus, communicato episcoporum et Cardinalium consilio, Urbem dimisit, et ad Farfense monasterium exiit, ibique, Spiritu sancto cooperante, per manus Sabinensis et aliorum episcoporum solemniter est consecratus; et quia contra Romanorum impetum ibi non erat illi tutum manere, cum episcopis et Cardinalibus Narniam c concessit. Comites autem, qui circa Urbem erant, iram, indignationem et fortitudinem Romanorum timentes, et Tiburtinæ civitatis ruinam ante oculos semper habentes d, ne similiter sub Romanorum potentiam caderent; Narniam ad dominum Papam commune fecerunt confugium, et ibi solito more illi fidelitatem juraverunt.

12 Post hæc vero, ipso domino Papa mandante, contra senatum et populum Romanum, quibus modis poterant, comites pugnare cœperunt e: unde senatus populisque Romanus magis ira commotus, et gravius indignatus, copiosa equitum et peditum multitudo collecta, ad illos expugnandos in fortitudine exiit, Julianum castrum invasit, cepit, et igne cremavit. Tunc parochiani S. Marci, qui ibi erant, ad memoriam reducentes, quoquo modo de Urbe f ad castrum S. Silvestri, et inde ad Julianum

B. Marci corpus delatum et reconditum fuerat; quo illud tollerent et Romam ad suum titulum deferrent, nimio desiderio cœperunt esse solliciti; sed ignorantes, ubi reconditum erat, cœperunt ab hominibus, qui de vicinis castellis advenerant, quasi oraturi et munera pro devotione oblaturi, sollicitè inquirere, ubi gloriosum corpus reconditum fuisset.

15 Divina itaque providentia factum est, ut clerici, qui factarum translationum conscii fuerant, et locum et altare, sub quo in marmorea concha corpus erat reconditum lætenter \* indicarent. Quo cognito, secreto intrantes ecclesiam, januis clausis, pio, ut illis visum est, studio, altari diruto, corpus de concha tulerunt, et in syndone ligatum ad commune detulerunt hospitium. Eo vero tempore, quo reliquie de ecclesia tollebantur, cum magna esset cæli serenitas, subito aere in nubibus concreto, coruscationes et tonitrua tam gravia facta sunt, ut totus exercitus, tamquam de imminente morte, timeret, et si quid commissum esset, emendari sine dilatione, terribiliter conclamarent. Hii vero, qui secreto corpus abstulerant, timentes, ne forte exercitus de corporis ablatione cognosceret, duos ex suis elegerunt, quibus pretiosissimum thesaurum Romam deferendum commiserant, qui latenter exercitum dimittentes g, ad Urbem redire cum maximo gaudio properabant. Legatos autem, antequam Julianum pervenissent, ad Joannem, venerabilem archipresbyterum S. Marci præmiserant, ut h duos ex clericis, quos vellet, illuc absque dilatione dirigeret.

14 Quo audito, archipresbiter et clerici primo quidem, quidnam hoc esset, quod cum tanta festinatione vocabantur, attoniti cogitabant; neque enim causam itineris legis indicaverant. Deinde vero deliberato consilio, duos clericos, unum videlicet presbiterum, et alterum, diaconum, simulque quemdam satis honestum et fidelem laicum festinanter miserunt; qui autem missi sunt, juxta Vellitrum i redeuntibus et sacrum corpus deferentibus obviaverunt; cumque se invicem salutassent, et cur pergerent, inquisiti manifestassent, delatores sacri corporis dixerunt: Nolite ultra in eundo laborare; quia, ecce, nos deferimus, pro quo vocati venistis: et ostenderunt illis pretiosissimum corpus, quo viso, inenarrabili repleti gaudio, tendentes ad sydera palmas, plurimasque lacrymas ex ingenti lætitia fundentes, Regi regum Christo pro collato sibi munere gratias innumeras retulerunt, et cum tremore et maxima reverentia oblatum thesaurum receperunt, atque impressis sigillis eum munientes, usque Albam k eo die redierunt, ibique pervigilem noctem ducentes, cum magna diligentia, quod acceperant, custodierunt.

13 In eadem vero nocte plurimum inter se contulerunt, utrum in manifesto, an in occulto, deportari debuisset: mane autem facto surgentes, et reliquias sanctas occulte ferentes, venerunt ad portam civitatis, quæ propter Lateranensem ecclesiam, juxta quam sita est, S. Joannis l dicitur, illicque \* deliberato consilio rogaverunt laicum, qui secum perrexerat, ad ecclesiam S. Marci properare, et archipresbiteri ac cæterorum fratrum in ea degentium voluntates inquirere, qualiter sanctum corpus deferendum censerent; et dixerunt: Nos te lento gradu sequemur usque ad ecclesiam S. Quirici m, ibique

AUCTORE ANONYMO.

Sancti corpus ex altari secreto tollunt, et Romam versus deferentes \* an latenter?

E

g

h

obviantibus ex Urbe accitis clericis tradunt,

i

F

k

quod dum hi in Urbem ferunt, secreto divinitus patefacto.

l \* an ibique?

m

ACTORE  
ANONYMO.

ibique te expectabimus. Laicus igitur festinus processit, et, sicut ei dictum fuerat, acceptis in partem archipresbitero et clericis, cum eventum rei aperire cœpisset, mulieres, quæ ad audiendam Missam convenerant, quasi divino oraculo commonitæ, nemine sibi indicante, sed (credo) Spiritu sancto revelante, cœperunt ad invicem dicere: Ecce, corpus S. Marci venit; et accedentes ad campanas, sicut noverant, eas pulsabant.

a multitudine  
occurrentium  
impediti, eo-  
guntur in ec-  
clesia S. Ma-  
riæ deponere.

16 Tunc clerici videntes, quæ fiebant, et quodammodo voluntatem Sancti ex hiis intelligentes, statuerunt venerabile corpus cum debito honore ad suam ecclesiam deferre. Qui autem reliquias deferebant, venerunt ad S. Quiricum, ibique paululum subsistentes audierunt campanas sonantes, et subito viderunt etiam pueros sibi obviantes, et de adventu sancti corporis Dominum laudantes. Videntes itaque, quia, quod ipsi occultaverant, Deus manifestum fecerat, venerunt ad ecclesiam S. Mariæ in campo Careleonis n, et, quia præ multitudine concurrentium virorum ac mulierum ultra progredi non valebant, dictam S. Mariæ ecclesiam intraverunt, et super altare mirificum corpus deposuerunt: nam ubi per Urbem divulgatum est, quod ad ecclesiam S. Marci ipsius corpus deferretur, factus est illuc clericorum et laicorum, ac mulierum quoque, maximus et gloriosus concursus.

unde Idibus  
Maii ad suam  
ecclesiam  
solemniter  
transfertur.

17 A dicta vero ecclesia S. Mariæ cum magna clericorum processione et debita exultatione ad suam domum et propriam ecclesiam cum maximo labore Idibus Maii, quod est, quinto decimo die ejusdem mensis delatum est corpus: tanta enim erat utriusque sexus et ætatis concurrentium multitudo, ut sancti corporis baiuli sæpe inter comprimentium pedes caderent, ac vix a comitantibus adjuti valerent assurgere. Gaudens igitur Civitas et exultans suum recepit Pontificem, domus Factorem, ecclesia proprium Edificatorem, propria familia Patronum et dominum recognovit. Deus autem, qui mortuos mundo cælitus mirificat Sanctos, multa per B. Marcum signa et mirabilia in ipsius corporis adventu ostendere dignatus est.

Ad ejusdem  
lipsanoticam  
puella  
amissum bra-  
chii,

18 In ipso namque adventus sui die quædam puella, quæ non amplius, quam duodecim videbatur annorum, cujus brachium ita ex infirmitate obriguerat, ut ejusdem brachii manus, nisi altera manu sustentata, nusquam inclinari, nec aliquo modo ad os duci potuisset, ad sacrum corpus accessit, et spe recuperandæ salutis scrinio, in quo sacri corporis reliquiæ continebantur, prece, qua poterat, pro salute sua Dominum supplicans, emortuum brachium supposuit; cumque per unius fere horæ spatium sic permanisset, brachium, quod usque ad illud tempus absque usu vitæ permanserat, cœpit quodammodo reviviscere, ac subito pristinae salutis restitutum est, ita ut omnis infirmitatis oblita nichil umquam passa fuisse videretur. Puella itaque, quæ per multa tempora gravi infirmitate afflicta fuerat, per beatissimi Marci merita in momento sanitati reddita, Liberatorem suum, fuis lacrymis, plurimum laudans ac benedicens, sana remeavit ad propria.

puer manuum  
pedumque  
usum  
o  
p

19 In regione vero, quæ Trivium o dicitur, juxta ecclesiam B. Nicolai in Arcione p, vir quidam, Letulus nomine, filium, manibus et pedibus a pueritia debilem, habuit, et ita semper pronum, ut a terra per se nullo modo pos-

set exurgere. Hunc pater de exercitu rediens, D audita fama sanctitatis ejus, et mirabilibus, quæ per eum fiebant, ad ecclesiam S. Marci cum cereis et oblationibus, de ejus salute confidens, plena devotione portavit; cujus q fidei integritatem omnipotens et misericors Deus, qui mirabilis est in Sanctis suis, et humilium preces miseratus exaudivit, per intercessionem B. Marci tantam puero contulit sanitatem, ut, depulsa omni debilitate, suis puer pedibus rediret ad propria, quodque vellet, manibus teneret atque tractaret, et patris vestigia sequens, qui fuerat pronus, expeditus et rectus, quo vellet, procederet.

q

20 Sequenti vero nocte pater, ne ingratus beneficiis videretur, et, ut, quod ipse de virtutibus Sancti in filio expertus fuerat, cæteris palam faceret, filium, quem sanum receperat, ad ecclesiam S. Marci cum statua ceræ, quæ ob memoriam liberati filii ante corpus B. Marci penderet, reduxit; ibique per totam noctem cum cæteris, qui vigiliis celebrabant, puerum sanum et incolumem, huc atque illuc per ecclesiam discurrentem, cunctis ostendens, divini Salvatoris laudabat magnalia, omnesque, qui erant in ecclesia, excelsa voce benedicebant Dominum, qui per famulum suum, beatissimum Marcum, tale tantumque dignatus est operari miraculum. Quædam quoque puella de ultramontanis partibus, quæ gullæ r tumorem et intolerabilem patiebatur dolorem, et nullis poterat medicorum liberari suffragiis, eodem tempore ad B. Marci ecclesiam venit, et loculum, in quo beatissimum corpus erat, fuis lacrymis et multiplicatis precibus, tangens coram omni multitudine, quæ devote convenerat, magnum evomuit vermem, et statim gullæ tumore atque dolore deposito, ad beatissimi Marci gloriam et honorem liberata est.

recipiunt:  
puella guttu-  
ris tumore ac  
cruciatu libe-  
ratur.

E

21 Inter languentium etiam multitudinem quædam puella de regione Parionis s, utroque pede clauda, tunc ad eandem ecclesiam delata est, quæ cum ante corpus B. Marci jaceret sub scrinio, supra quod corpus erat, alterum pedem extendens, maximum nervorum, qui contracti fuerant, persensit dolorem, et post dolorem consequuta est sanitatem. Altero itaque pede sano, et altero clauda, quæ per alios ad ecclesiam venerat, per se ipsam ad propria rediit. Vicini ergo atque vicinæ, videntes, quod de ea factum est, Deo et B. Marco laudes debitas reddiderunt; puellam ipsam per B. Marcum de altero pede sanandam ad ecclesiam redire pietatis affectu monentes, et plurimum compellentes. Timens enim illa, in altero pede sanando similem pati dolorem, redire ad ecclesiam recusabat. Tandem vero illuc compulsata rediit, et non minus aliorum, quam sua, fide valetudinem in altero pede non sine magno miraculo recepit. Nam cum die Dominica, quæ sexta erat ab ea, qua sacratissimum corpus delatum est t, plurimi ex diversis partibus convenissent, vix pauci, quod de ea factum fuerat in altero pede, miraculum crediderunt.

Clauda unius  
pedis usum,  
deinde rediit  
etiam alterius  
recepit.

s

22 Erant autem inter eos quam plurimi, qui B. Thomæ dubitationem magis quam centurionis fidem, sequentes, dicerent: Nisi oculis nostris viderimus, nequaquam credimus; si tamen in altero pede sanitatem receperit, quod de isto asseritis, dubitare minime poterimus. Erat enim ita distortus, ut, quia pes esset, vix discerni potuisset. Clericis igitur ejusdem ecclesiæ Vesperas

cum magna  
presentium  
admiratione

t

A speras de more solemniter celebrantibus, ecce, subito puella, quae sananda advenerat, terribilibus clamoribus totam replevit ecclesiam. Aiebat namque, nimio et intolerabili dolore se constringi, ex quo nervi, prius contracti, coeperunt extendi. Sed quid dicam? Cuncti, qui in ecclesia erant, tantis clamoribus pulsati, certatim currentes, et, cur clamaret, inquirentes, atque cognoscentes, Domino Jesu Christo, Salvatori nostro, lacrymabiliter pro ea preces fundebant, seque reos de sua incredulitate clamabant. Puella itaque statim post dolorem sanata, gaudens et exultans, Dei et B. Marci ancillam se praeferebat, directo gressu ad propria remeavit.

et fructu.

u

x

\* an aegro?

25 Pauper vero quidam, Ardeatinus u genere, per longa tempora dextero brachio claudus x, audiens, quae Deus per B. Marcum mirabilia faciebat, ipse quoque festinus ad ecclesiam venit; sed pro frequentis populi multitudine vere \* ad loculum, in quo corpus erat, appropinquavit, ipsumque loculum claudo brachio tangens, fuis circumstantium precibus, subito salutem recepit. Pia itaque simplicitate ante ipsius Beatissimi altare humiliter procidens, se ipsum ecclesiae obtulit, et quoad viveret, fidelem debita devotione commisit.

## ANNOTATA.

a Seditionis Romanorum causa fuit, quod hi contra morem, ipseque summis Pontificibus Innocentio II, Celestino II et Lucio II, senatum Patriciumque Romanum constituissent, eosque a recens electo Eugenio Papa confirmatos vellent. Vide Annales Ecclesiasticos Cardinalis Baronii, et Muratorium in Annalibus Italiae ad annos 1145 et sequentes.

b Obiit Lucius II mense Februario anni 1145, quo Eugenius III ei successit, de cuius fuga, consecratione in monasterio Farfensi, ceterisque huc spectantibus consule, si lubet Annales mox laudatos.

c Narnia, Italice Narni, episcopalis civitas est ditionis Pontificiae in Umbria: verum non Narniam, sed Viterbium, Patrimonii caput, fugisse Eugenium, constanter tradunt alii scriptores, ut Anonymus noster memoria lapsus fuisse videatur. Consule tamen Commentarium praevium num. 42 et sequenti.

C d Vide, quae de hoc Anonymi loco disserui in Commentario praevio num. 44 et duobus sequentibus.

e Ex praedictis Annalibus etiam constat, Eugenium III armis adversus rebelles Romanos usum esse.

AUCTORE ANONYMO.

f Id est, ex Romano S. Balbinae in Via Ardeatina caemeterio, ut patet ex praemissis.

g Id est, Clam ab exercitu recedentes.

h Sic correxi; cum in apographo nostro et pro ut haberetur.

i Velitrae, Italice Veletri, Pontificiae ditionis in Campania Romana civitas episcopalis est, cujus antistes simul episcopus Ostiensis est; estque Juliano Romam euntibus obvia.

k Alba, seu Albanum, altera Campaniae Romanae episcopalis civitas est, Romam versus tria circiter milliaria Gallica Velitris distans, ac fere sex ab urbe Romana.

l Alias etiam Porta Coelii montis appellatur, ab eaque incipit Via Campana.

m S. Quirici nomine admodum vetusta urbis Romae ecclesia est, in regione Montium sita, a Sixto IV restaurata, et Cardinalitio titulo insignita, uti videri potest apud Pancirolium in Theauris absconditis urbis Romae, aliosque.

n Est et haec ecclesia, S. Maria in Campo Carleo Italice dicta, in eadem regione Montium. Vide laudatum Pancirolium. Porro tam haec, quam praedicta S. Quirici ecclesiae sic sunt in Tabulis topographicis urbis Romae notatae, ut a porta S. Joannis Lateranensis, seu Campana, ad S. Marci ecclesiam pergentes easdem facile poterint adire.

o Trivium, Italice vulgo Rione di Trevi appellatum, tertia est Romanae urbis regio.

p Laudatum Pancirolium ait, eam ecclesiam proprie de Archimonii diei a familia, cujus eo loci area olim fuit, Italice vero de gli Archimonii, corrupte de gl'Arcioni, atque etiam S. Nicolo a capo case vocitari; eandemque in regione Trivii pariter recenset.

q Forte legendum hic est: Ob cuius etc., aut altera deest vocula.

r Id est, Gulae, seu Gutturis.

s Vulgo Rione di Patrione, quae duodecima est urbis Romanae regio.

t Anno 1145 dies 20 Maii erat Dominicus, et a die 15 ejusdem mensis, quo S. Marci corpus in sua ista ecclesia fuerat collocatum, fuit dies 6, si a die 15 inclusive, ut fieri debet, numeretur.

u Ardea castrum est ditionis Pontificiae in Campania Romana.

x Id est, captus.

## DE S. HELANO PRESB. CONF.

IN PAGO REMENSI IN GALLIA.

## SYLLOGE.

C. B.

SAECULO VI.  
Sanctus, cujus  
genuinum no-  
men Helanus  
est,

**S**eptem inter fratres, a vitae sanctitate omnes passim commendatos, nec tamen omnes (adi Operis nostri tom. II Maii pag. 502 in Annotatis) Fastis sacris inscriptos, quos una cum tribus sororibus suis Francla, quae aliis Frauda, Promplia et Possenna ex Hibernia in Campaniam peregrinationis ob amorem Christi causa venisse

Flodoardus in ecclesiae Remensis Historia lib. IV, cap. 9 memoriae prodit, primo loco Gibrianum, secundo Helanum recenset. In prioris e binis hisce Sanctis Vita, ad 8 Maii diem, quo is colitur, apud nos jam edita, idem etiam fit, uti et in aliis monumentis omnibus a me visis, quae fratres illos septem, singulorum expressis nominibus, serie continua commemorant. In iisdem porro monumentis fere omnibus Helani nomine Sanctus hic noster

AUCTORE  
C. B.

noster constanter distinguitur, uti etiam loco cit. a Flodoardo. Colvenerius quidem in suis in Remensem Flodoardi Historiam Scholiis ad proxime cit. hujus locum observat, in Ms. codice, quo usus est, aliena manu Helanum, qui desiderabatur, additum fuisse et pro eo in vulgatis Tesanum reperiri; verum hoc in suis, quas ad 7 Februarii diem S. Tressani, qui et ipse S. Helani frater fuit, Vitæ subnexuit, Annotationibus pro mendo habet Colganus; quia nempe, ut ibidem ait, Helanus SS. Gibriani et Tressani frater non sub Tressani, sed HELANI nomine passim recolitur in Menologiis ad VII Octobris et in Officio SS. Remensis diocesis, quod penes me exstat. Ita ille, et, quamvis, quodnam hic memoret diocesis Remensis Sanctorum Officium, haud sciam, recte quidem, quantum opinor. Quare cum Sanctus in mox dicta fratris sui Tressani seu, ut alias scribitur, Tressani Vita, ad 7 Januarii diem apud nos edita, et jam inde, ut ibidem suspicatus est Bolandus noster, a sæculo septimo scripta, Helanus etiam, non secus atque id in monumentis supra memoratis fit, vocetur, genuinum ejus nomen Helanus verosimillime fuerit, licet interim etiam

B

Emanus, Elanius aut paulo aliter præterea vocatus reperitur. Hisce observatis, antequam ad alia progrediar, quoddam Helani Vitæ compendium præmitto.

viteque Com-  
pendium hic  
datur,

C

2 Ita habet : Clodoveo, rege Francorum, recenter ad fidem Christianam converso et baptizato, cum res ecclesiæ Gallicanæ imprimis regerentur a S. Remigio, archiepiscopo Remensi, ex Hibernia insula, quam Scotorum gens incolebat, in Christiani vigoris dignitate florens, omnibusque vicinis gentibus fide præpollens, ut scribit Jonas abbas initio Vitæ S. Columbani Hyberni, qui cum suis discipulis centum annis post S. Helanum et fratres ejus magnam partem Gallia, Germaniæ et Italiæ monasteriis replevit; ex ea, inquam, insula, peregrinationis ob amorem Christi gratia, septem fratres, eximia pietatis ac virtutum exemplaria, cum tribus sororibus suis divina inspiratione incitati, venerunt in Franciam. Nimirum Gibrianus, Helanus, Tressanus, Germanus, Veranus, Habranus et Petranus; Frauda, Promptia et Possenna, qui cum pervenissent ad S. Remigium, peregrinorum patrem, humaniter ac benigne eos excepit, cognitoque sancto illorum proposito, constituit, ut supra Matronam fluvium loca opportuna sibi deligerent ad habitandum, seque mutuo visitandum et juvandam. Non enim elemosinis tantum vivebant eorum, quos piissimus præsul commendarat, sed etiam ex industria sua et labore manuum pro consuetudine Religiosorum Hyberniæ et aliorum ejus sæculi ac præcedentis secundum statum et conditionem ipsorum. Qua vitæ ratione conjuncta cum mira sanctitate ac devotissimis orationibus, magnopere gratiam sibi conciliarunt eorum, qui loca illa incolebant. Ex iis Helanus sanctus sacerdos elegit sibi Buxiolium villam, pratis ac vineis amœnam et ubertate glebæ non impari vicinis locis. In qua per multos annos sobrie, pie ac juste vivens, et plebem erudiens ac formans in iis, quæ sunt fidei, pietatis ac morum, peracto bono certamine, tandem feliciter in Domino quievit; idemque præstitit, quod ejus fratres, qui vita et morte sua diocesium Remensem et Catalaunensem illustrarunt.

5 Nos beati Helani patroni nostri merita

jam in tuto posita securi magnificemus, qui gubernaculum fidei viriliter tenens, anchoram sp̄i tranquilla in statione reposuit, et plenam caelestibus divitiis et æternis mercibus navem optato in littore collocavit, eumque imitari studeamus. Hoc Vitæ S. Helani compendium, sæculo præterito, quantum opinor, e Flodoardo aliisque, uti ad marginem notatur, primum contextum, ad manum etiam habuit Colganus, partemque ex eodem in Appendicem, Vitæ S. Tressani ad 7 Februarii diem a se subnexam, intulit; fuit autem, non quidem Vitæ; uti a Colgano vocatur, sed Lectionum titulo una cum aliis aliquot, quæ de aliis Sanctis sunt, Lectionibus apud Nicolaum Constant anno 1612 Remis parvo libello excusum. Et hæc quidem Lectiones tres sunt numero, uno singula e numeris ordinalibus 4, 5 et 6 secundum locum, quem occupant, affectæ; quod cum ita sit, Officii ecclesiastici, quod de S. Helano recitandum fuerit, partem seu tres secundi Nocturni Lectiones constituunt, licet interim in excuso libello, qui eas complectitur, nec Officii de S. Helano recitandi, nec ecclesiæ, ad cuius usum dictæ Lectiones fuerint impressæ, mentio uspiam fiat. Atque ea de re minus adhuc dubitandum idcirco est, quod Lectionibus sequens etiam, præmissa Antiphona : Hic Vir despiciens mundum etc, de S. Helano Oratio subdatur : Intercessio nos, quæsumus, Domine, beati Helani confessoris tui commendet : ut, quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per.

D  
Officio eccle-  
siastico cuius  
tres Lectiones  
istud consti-  
tuunt,

E

4 At vero, cum in præfato, ut jam dixi, libello, qui Orationem hanc simul et tres de S. Helano Lectiones complectitur, ad cuius hæc ecclesiæ usum fuerint, uspiam exprimat, nihil aliunde suspexit, quo determinari hæc utrumque quæstio? In Breviario Remensi, anno 1650 excuso, penesque nos exstante nec Officium de S. Helano recitandum, nec commemoratio de eo faciendâ proponitur; ut sane, quas memoratus libellus de S. Helano exhibet, Lectiones Oratiqque, his subnexa, fuerint ad usum, non quidem universæ diocesis Remensis, sed particularis dumtaxat in hac sitæ ecclesiæ; hæc autem quænam sit, comperire hæcenus haud quivi. Pro Remensi interim SS. Timothei et Apollinaris ecclesiæ, quod in hujus Martyrologio Helanus ex mox dicendis sit inscriptus, pronuntiare malim. Ut sit, quin equidem Sanctus in aliqua diocesis Remensis ecclesiæ Officio ecclesiastico colatur, non sinunt, quæ de libello, Remis anno 1612 excuso tresque de Helano Lectiones una cum Oratione et Antiphona complectente, dicta jam sunt. Nec dubitandum etiam reor, quin aliquo saltem Cælitum honore gaudeat Buxioli, diocesis Remensis vico, qui, quemadmodum Castellanus adjecta ad Martyrologii Universalis a se contexti marginem Notula docet, modo Biseuil vocatur, nec alius esse videtur, quam vicus Bisseuil, apud Blearium in Geographica diocesis Remensis Tabula Sparnacum inter et Catalaunum ad Matronam notatus. Ita autumo, quia Helanus, uti in jam dato Vitæ ejus Compendio traditur atque ab omnibus admittitur, Buxioli et vitam sancte egit et sepulturam præterea obtinuit, nec inde corpus ejus alio fuisse translatum invenio. Adhæc ibidem in Remensis SS. Timothei et Apollinaris monasterii Martyrologio apud Marlotum lib. II Hist. Metropolis Remensis cap. xv hodie hæc verbis annuntiat : Nonas Octobris in pago Remensi, vico, qui vocatur Buxiolus, depositio sancti Helani presbyteri

in aliqua diocesis Remensis ecclesiæ colitur, Fastis sacris qui hic

F



A sbyteri et confessoris. In eodem Martyrologio apud Sollerium in Usuardinis Auctariis Elanius, ac Buxiolus pro Buxiolo exhibetur; sed perperam sane, cum et in dato vitæ compendio et in omnibus fere monumentis aliis, in quibus vel Sanctus, vel vicus, in quo hic sancte vixit obiitque, memoratur, Helanus (adi num. 1) et Buxiolus offeratur.

recensentur,  
exstat inser-  
tus,

5 Ac imprimis quidem Molanus, qui S. Helanum concinnato a se Martyrologio inseruit, his id verbis facit: In pago Remensi, vico, qui vocatur Buxiolus, depositio sancti Helani presbyteri et confessoris. A Molano quantum ad modum, quo Sancti simul et vici, quo is obiit, tumulumque nactus est, nomina exarant, minime abluunt, qui cum quoque hodie in Fastis sacris a se concinnatis celebrant, Constantinus Ghinius, Thomas Dempsterus et Andreas Saussayus; prior enim in Canonicorum Natalibus hodie Helanum, utut interim canonicis merito non accensendum, ita memorat: In pago Rhemensi S. Helani, presbyteri et confessoris. Hic, post laudabilem vitam in pace defunctus, in vico, qui Buxiolus dicitur, sepultus jacet; secundus vero in Menologio Scotico id hunc in modum facit: In pago Buxiolo depositio Helani presbyteri. Quod porro ad tertium seu Andream Saussayum pertinet, his ille, Helanum paulo prolixiori elogio exornans, verbis utitur: In pago Remensi, vico Buxiolo, depositio sancti Helani presbyteri et confessoris, qui, sæculi vanitatibus abjectis, spontanea sui ipsius abnegatione Christo se immolavit, in cuius assiduo famulatu editis copiosis animarum lucris et collectis immensis meritorum justitiæ manipulis, lætus ad repromissam perrexit beatitudinem. Atque ita modo habemus, non tantum quod hic ostendendum erat, verum etiam Fastos aliquot sacros, quibus hodie Sancti nostri nomen exstat insertum. Hisce porro accedunt excusi duo, qui penes nos exstant, Sanctorum Hiberniæ et Scotiæ Catalogi, Ms. item, in quo Emanus pro Helano perperam scribitur, Florarianum nostrum, Germanicum Walasseri Martyrologium, aliudque præterea Latinum, quod Galesinum habet auctorem, ac tandem etiam ipsum Romanum hodiernum, in quo hodie Sanctus iisdem fere, quibus id in jam laudato Galesinii Martyrologio fit, verbis annuntiat. En illa: In pago Rhemensi sancti Helani presbyteri.

verosimillime  
que sæculo vi,

6 Sed hæc de S. Helani cultu, recensioneque in Fastis sacris dixisse jam sufficiat, in tempus modo, quo circiter floruerit obieritque, inquiremus. Supra recitatum Vitæ S. Helani Compendium initio habet: Clodoveo, rege Francorum, recenter ad fidem Christianam converso et baptizato, cum res ecclesiæ Gallicanæ imprimis regerentur a S. Remigio, archiepiscopo Remensi, ex Hibernia insula, quam Scotorum gens incolebat, ... peregrinationis ob amorem Christi gratia septem fratres, eximia pietatis ac virtutum exemplaria, cum tribus sororibus suis divina inspiratione incitati venerunt in Franciam, nimirum Gibrianus, Helanus etc. Cum

de Clodoveo, qui, res Gallicanæ ecclesiæ potissimum administrante S. Remigio Remensi archiepiscopo, in Francia regnarit, sermo hic sit, indubie non alius, quam Clodoveus Francorum rex hujus nominis primus designatur; quod cum ita sit, nec ante sæculi v finem, uti inter omnes convenit, Clodoveus I baptizatus fuerit, certe S. Helanus cum fratribus suis sororibusque non prius, quam cum jam sæculum v prope esset elapsum, in Franciam seu Galliam venerit, nec verosimilime citius, quam cum jam sæculum vi aliquot annis esset inceptum, vitam hanc mortalem cum immortalis commutarit. Ne vero, quod laudatum vita Sancti Compendium antiquum, ut jam docui, non sit, assignatum modo Helani in Campaniam adventui vitæque fini tempus in dubium forte quis revocet, aliunde id firmare adhuc lubet. Sanctorum Remigii Remensis archiepiscopi et Genebaldi Laudunensis episcopi coætaneum fuisse Sancti nostri fratrem germanum, nomine Tresanum, clare indicat apud nos ad 7 Februarii diem hujus Vita, jam inde a sæculo septimo, ut, Bollandum nostrum suspicatum esse, supra monui, conscripta.

7 Adhæc Sigebertus Gemblacensis ad annum 509 sic scribit: Gibrianus Scotus, cum fratribus et sororibus in Gallia peregrinatus, urbem Remensem et vita et morte sua illustrat. Miræus quidem verba hæc Sigeberti interpolatori adscribit; verum hunc, utut etiam Miræus præbuerimus assensum, non esse equidem quantum ad tempus, quo S. Gibrianum ejusque fratres ac sorores, ac proin Sanctum nostrum, floruisse notat, a veritate devium, palam est vel e sola mox laudata S. Tresani Vita, cui interim seu Sigebertus seu ejus interpolator pondus etiam qualecumque adjungit, uti et communis traditio, Lectioque, quam ad 8 Maii diem de S. Helani fratre Gibriano complectitur Remense anno 1650 excusum Breviarum. Atque e tempore, quo S. Helanus ejusque fratres ac sorores floruerunt, jam fuit, ut, quemadmodum ad 7 Februarii diem Bollandus noster in Historico de S. Tresano, S. Helani fratre, Commentario num. 6 jam docuit, Incarnationis Dominicæ anno 636 Helanum, Tresanum, Germanum et Veranum in Franciam cum S. Eloquio venisse, examinanda hujus ad tertiam, qua colitur, Decembris diem Vita perperam tradat. Nec, quod hic adhuc dicendum restat, accuratiores sunt scriptores illi, qui S. Helanum ejusque fratres ac sorores, non ex Hibernia, quam Beda Scotorum patriam vocat, sed ex hodierna Scotia, quæ Britannicæ pars est, in Franciam venisse, notant. Quod ut verum esse, luculenter perspicuas, adi, quæ apud nos de S. Gibriano, Helani fratre, tom. II Maii, pag. 500, num. 5 dicta sunt. Videri etiam eundem in finem potest in Appendice, quam ad 7 Februarii diem Vitæ S. Tresani subnectit, Colganus, et Historiæ metropolis Remensis lib. II, cap. 13 Marlotus, unice ibidem tractans de S. Gibriano ejusque fratribus et sororibus, ac proin etiam de S. Helano, de quo interim alia, quam quæ jam dicta sunt, commemoranda non habeo.

AUCTORE  
C. B.

E aliquot annis  
jam inchoato,  
ad Dominum  
migravit.

F



AUCTORE  
J. B.

D

## DE S. LEOPARDINO MON. MART.

ALBINIACI IN PAGO BORBONICO.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

## § I. Sancti Martyris Acta; quo sæculo vixerit.

SÆCULO VI  
VEL VII.  
Variè exstant

**J**am pridem in Opere nostro Bolandus ad diem 17 Januarii, ubi de S. Sulpicio, cognomine Pio, Bituricensi in Gallia episcopo, geminam hujus Martyris Vitam promisit: ex quo loco geminam jam tum in Mss. nostris illius Vitam existitisse intelligo; utramque anno 1637 Parisiis in lucem misit Philippus Labbeus tomo II Bibliothecæ Mss. librorum a pag. 415, alteram quidem eamque prolixiorum, e codice Ms. Silviaciensis cænobii, a Jacobo Sirmondo partim exscriptam, partim vero exscribi curatam: alteram vero, breviorum hac, ex veteri Ms. Lectionario abbatiæ S. Sulpicii Bituricensis, quod ipsi R. P. Bernardus Audebertus, ejusdem, ut scribit Labbeus, abbatiæ primum moderator, post vero S. Germani Prior, commodarat. Utramque, quo datam a Majoribus fidem liberemus, hic exhibebimus, licet neutra eam seu ab auctore, utrobique anonymo, seu ab antiquitate commendationem habeat, ut fidei indubie monumentis annumerari queat. De tertia sancti Martyris Vita, Rothomago a P. d'Ardes ad Majores nostros missa, quod prioribus recentior videatur, nihil hoc loco dico.

sancti Martyris Vitæ.

**2** Ac primo quidem, quod ad prolixiorum S. Leopardini Vitam seu Passionem attinet, licet non sit, unde, quo tempore exarata fuerit, definitam, multis tamen ab obitu sancti Martyris non modo annis, sed et seculis scriptam fuisse, non uno ex capite videtur effici posse: nam primo, licet vox Archiepiscopus, a qua Vitæ prolixioris auctor num. 5 adjectivum Archiepiscopalis derivat, jam inde a sæculo VI usurpari subinde apud Francos cæperit; paucissimi tamen, ut scribit Mabillonius de Re diplomatica lib. II, cap. 2, num. 15, id sibi nominis tribuerunt ante sæculi noni annum 46, quo jam dudum, ut infra videbimus, S. Leopardinus ad immortalitatem vitam migraverat. Dein idem auctor, cum num. 5 dicitur: Verum etiam post comprobata S. viri Leopardini stabilitatem, totum ipsum Vivaris fundum cum omni integritate eidem Beato tradidit et condonavit (Ardeus, Vivariensis fundi, S. Leopardo donati, dominus) sub Testamento legum et chartarum et sub principali stipulatione regum; num. 8 iterum loquitur ad hunc modum: Inter cætera enim illius prædicti Vivaris alodi prædia quidam bene erat amplitudinis campus, positus in Albiensi parochia, qui in proprios altaris usus S. Symphoriani devenerat antiquo legum sancitum; quibus postremis verbis leges illas vocat Antiquas, non comparate ad Ardei, qui eas ipse obtinuerat in gratiam S. Leopardini, sed ad suam, qua scribebat, ætatem; nisi forte de diversis legibus agat.

**5** Ad hæc num. eodem de Blitildis, quæ S. Leopardino necem per suos intulit, obitu loquens, sic scribit: Nam infructuosam ficulneam sicut maledixit Dominus, sic et hanc Blitildem maledixisse fertur; quæ non ea, quæ vel sua memoria, vel paulo ante contigerunt, sed quæ olim accidisse acceperat, scribentis verba videntur. Denique idem auctor, nisi a S. Leopardini ætate remotior fuisset, non tam aperte, quod facere ipsum, infra fusius ostendam, secum ipse pugnet, modo S. Leopardinum S. Porciano æqualem, modo integro fere sæculo juniorem ajens. In eundem pariter incidit scopulum Vitæ brevioris concinnator, dum S. Leopardinum Sulpicio Pio, Bituricensi præsul, simul et S. Porciano æqualem facit, ut pariter infra dicturi sumus. Ceterum Vita brevior non nisi merum prioris compendium videtur, recitantium divinum Officium commodo in pauciora stilo minus rudi contractum, additis admodum paucis, quæ, ut suo loco observabimus, ex Gregorio Turonensi de Vitis Patrum cap. 3., ubi de S. Porciano abbate agit, fere desumpta videntur; ut adeo Vita hæc brevior prolixiori antiquitate etiam cedat; quod ambas inter se conferenti manifestum fiet: utraque enim eundem rerum ordinem servat; sed prolixior particularia rerum gestarum adjuncta et uberius et enucleatius pandit. Hæc de Actorum ætate et fide: accedo modo ad S. Leopardini ætatem et errorem utriusque Vitæ, ut paulo ante dixi, communem.

**4** Vixit S. Leopardinus, floruitque tempore Clotarii, Francorum regis, ex Vita breviori num. 1. Clotarii quidem non meminit Vita prolixior, sed S. Leopardinum floruisse, ait, sub Theoderico num. 5. Æquales præterea ac familiares secundum utramque Vitam sancto Martyri fuere S. Porcianus, illius frater; S. Sulpicius, Bituricensis episcopus, illius aliquando contubernalis et socius Placidus aliquis; Ardeus, præcipuus illius fautor; Blitildis seu Bichildis denique, Ardei conjux, quæ eidem necem machinata est: ex his Placidus, Ardeus et Blitildis seu Bichildis aliunde, quod quidem sciam, ignoti, ac propterea ad statuendam S. Leopardini ætatem inepti sunt. Sed nec ex solo Clotarii et Theoderici regum ætate ad propositum nostrum quidquam certi statui potest: nam Clotario quidem hujus nominis I Francorum rege, regnavit in Austrasia Theodericus ab anno 511 usque ad annum 555: Clotario autem II Francorum rege, regnavit Theodericus alter in Burgundia ab anno 596, et in Austrasia, ab anno 619 usque ad annum 615 ex Labbei Chronologia: ut ex sola Clotarii et Theoderici mentione, quos nullo caractere ab homonymis regibus Vita distinguunt, nescias, num sub prioribus, num sub posterioribus Clotario

sed non admodum antiquæ.

E

quæ, dum illam

F

A tario et Theoderico S. Leopardinus vixerit. At dubium videntur Acta tollere, dum Clotario et Theoderico regibus, S. Leopardini æqualibus, adjuvant S. Portianum, fratrem S. Leopardini germanum.

S. Portiani fratrem aiunt,

B Vix enim dubium videtur, quin per S. Portianum, S. Leopardini fratrem, idem intelligendus sit Portianus, de quo Gregorius Turonensis num. 5 laudatus. Hic Portianum suum ait ab ineunte ætate divino fuisse addictum obsequio, natum conditione servili, heri et difficilis et molesti servum, ac tandem in Arverniam monachum et abbatem, Theoderici regis tempore. Singula hæc in Portianum et Leopardinum, in hujus Actis memoratis, cadunt. Fratres fuisse, ac in Arverniam natos, utraque S. Leopardini Vita habet, prolizior sub finem num. 1; brevior statim in principio. A pueritia vero Dei se mancipasse obsequio utrumque fratrem, Vita prolizior num. 2: utrumque prædixit ejusdem fuisse vernaculum, ac monasterium quoddam Arvernense identidem frequentare solitos, a cujus tandem abbate in monachorum numerum recepti fuerint, Vita brevior rursus tradit in principio. Denique et Portianum, ejusdem illius monasterii, in quo in monachos attonsi primum fuerant, abbatem fuisse, Vita quidem prolizior subobscurè insinuat num. 4; brevior autem discrete num. 2: quæ omnia singulaque, si cum his, quæ de Portiano suo Gregorius Turonensis scribit, comparentur, in unum eundemque Portianum apprimè quadrabunt. Verum quidem est, Gregorium S. Leopardini non meminisse, nec illo insinuasse modo, Portiano suo hujus nominis fratrem fuisse; at simul non obscure declarat, plura de Portiano suo dici potuisse, quam dixerit. Verba, quibus brevem de S. Portiano scriptio nem claudit, hujusmodi sunt: Hæc tantum de sancto viro cognovimus (forte de rebus ejus gestis dumtaxat loquitur) non dijudicantes alios, qui majora de eo cognoverint, si voluerint aliqua in ejus laudem conscribere. His adde, S. Portianum in Arverniam, a memorato diversum, hactenus ignotum esse; nec multum hærebis, opinor, quin utrobique eundem, tum in S. Leopardini Vita, tum a Gregorio Turonensi memorari, mecum sentias.

videntur ejus ætatem assignare sæculo vi;

C Porro Portianus, de quo Gregorius Turonensis, sub Theoderico vixit, non illo, qui eodem, quo Clotarius II, tempore regnavit; sed illo, qui tempore Clotarii I fuit. Vixisse illum Theoderici tempore discrete tradit Gregorius citatus his verbis: His diebus Theodericus, ingressus Arvernum terminum, omnia exterminabat, cuncta devastabat. Cumque in Arthonensis\* vici pratis castra metasset, antedictus senex (Portianus abbas) ad occursum ejus properat, quasi pro populo rogaturus. Hunc autem Theodericum, jam regem, ut paulo infra Gregorius scribit, cum Clotario I Francis imperasse, ex ipso Gregorio sic ostenditur. Refert in Historia Francorum lib. III cap. 12 et 15, Theodericum vastatæ a se Arverniam præfuisse Sigivaldum, eundem scilicet, ad quem prius accessisse S. Portianum, scribit in Vita Patrum, quam Theodericum pro populo interpellaret: cap. vero 25 ejusdem lib. III Historiæ Francorum, filium Theodobertum seu Theodebertum habuisse successorem anno regni sui 25, quæ omnia in Theodericum, Clotario I æqualem, cadunt, non in alterum, Clotario II æqualem, qui ab anno 596 usque ad annum 615 regnavit, habuitque filium successorem, nomine Sigebertum. Præterea Gregorius ad annum 596 vitam non protrahit; Octobris Tomus III.

\* alias Arthonensis

atque adeo de posteriori Theoderico intelligi non potest: prioris vero Theoderici regis in Arvernos memoratam expeditionem Cointius aliique illigant anno 525; unde, cum tunc Portianus, ex dictis S. Leopardini frater, jam senex ex Gregorio fuerit, dubitandum vix videtur, quin uterque frater sæculo VI, aliquantum provectoro, floruerit.

7 Atque hæc quidem ex Actis S. Leopardini sua sponte fluere videntur hactenus, nisi novum lectori nodum objicerent, cum S. Leopardinum S. Sulpitio, Bituricensi episcopo, æqualem et conubernalem faciunt. Geminus Bituricensibus fuit hujus nominis sanctus episcopus, quorum senior, sub annum 591 defunctus, colitur XXIX; junior vero 17 Januarii, sub annum 648 defunctus, cognomento Pius, quem Clotarii II et Theoderici, Clotario II æqualis, tempore vixisse, liquet ex ejus Vita ab auctore coætaneo conscripta tom. II Januarii cap. 2 pag. 168. Sulpitio Pio, jam Bituricensi episcopo, aliquamdiu socium adhæsisse S. Leopardinum, conceptis terminis habet Vita prolizior num. 5. Brevior autem eundem non obscure etiam indicat, dum num. 1. Sulpitium, Bituricensem episcopum, a cognomento illi proprio Pium patrem appellat, et una cum S. Leopardino aliquamdiu versatum, ait, in Navensi, seu S. Symphoriani cœnobio apud Bituriges, cujus Sulpitius Pius primus conditor audit: quibus stantibus, SS. Leopardinum et Portianum, sæculo VII floruisse, necesse est; cum tamen ex ante dictis S. Portianus anno 525 aut certe annis aliquot serius, jam inde senilem attingisset ætatem; nec proinde verosimile sit, illum ad sæculum VII pervenisse. Ex quibus quidem liquet, utraque Acta secum pugnare, quod supra monui, efficiturque præterea, aut S. Leopardinum, S. Portiani fratrem falso dici; aut sæculo VI, sub Clotario I et Theoderico, Clodovei Magni filii, non sæculo VII sub Clotario II, Chilperico et Theoderico, Childeberti filii, floruisse: utrum e duobus præ altero eligendum sit, dispiciamus.

8 Castellanus in Martyrologio Universalis S. Portiani obitum anno 540 illigavit ad diem 24 Novembris: at S. Leopardino ad diem 7 Octobris late, non assignato ullo determinato anno, sæculo VII in margine adscripsit. Non videtur itaque S. Leopardinum pro S. Portiani fratre agnovisse; at contra censuisse, vixisse illum tempore S. Sulpitii Pii, Bituricensis episcopi: ut ex illius mente S. Leopardini Acta deserenda videantur, cum S. Leopardinum S. Portiani fratrem faciunt, admittenda autem, dum illum S. Sulpitio Pio, Bituricensi episcopo, æqualem faciunt. Ejusdem opinionis, etsi id non aperte edicat, forte et Mabillonius fuit: etenim in Annalibus Benedictinis ad annum 542 num. 54 verum a S. Porciano gestarum ex Gregorio Turonensi meminit; verum de S. Leopardini rebus gestis ne verbo quidem; quamquam ad annum 1040 num. 24 de S. Leopardino, cujus tunc exuvia relectæ ab Aymone Bituricensi episcopo fuere, et de Vivariensi monasterio, quod eundem Martyrem conditorem habuit, non tacuerit. At Cointius in Annalibus tum ad annum 508 num. 28, tum ad annum 525 num. 18 fratres censuit, e quibus saltem Portianum, quem in senili ætate mortuum esse, ex Gregorio Turonensi liquet, ad annum usque 525, cui Theoderici, Clodovei filii, in rebelles Arvernos expeditionem illigat, in vivis fuisse superstitem, contendit. Labbeus quoque tom. II Bibliothecæ librorum Mss. pag. 371, et rursus pag. 425 S. Leopardinum ad Sulpitii Pii ætatem, sive ad

AUCTORE J. B.

sæculo autem VII, dum S. Sulpitio Pio æqualem faciunt;

unde alii putant vixisse Leopardinum sæculo VII, alii VI.

F

AUCTORE  
J. B.

Verosimilius  
videtur,

annum Christi circiter 656 ex rerum chronologicarum tractandarum imperitia fuisse detrusum, affirmat.

9 Neque vero abs re ita sentire videntur, quos proxime laudavi auctores: quamquam enim Portianum et Leopardinum fratres fuisse, monumenta indubia fidem haud faciant, non est tamen, quod fraternæ eorum necessitudini ex iisdem opponas: aliunde vero satis ex Gregorio Turonensi certum apparet, S. Portianum sæculo potius sexto, quam VII senio gravem obiisse: atque adeo S. Leopardini, qui forte ante Portianum e vita excessit, et hujus secundum utraque Acta frater fuit, ad sæculum VII, ad annum circiter 50 jam provecum, obitum, spectatis iisdem Actis, differri non posse: quod si eadem Acta S. Leopardinum Sulpitio Pio, atque adeo Clotario II, et Theoderico, Childeberti filio, æqualem præterea faciant, hic potius illa, quam dum SS. Portianum et Leopardinum fratres aiunt, a vero aberrare non una de causa existimo: prima est, quod Sulpitius Pius ceteros plerosque illorum temporum Bituricensis episcopus sanctitate et nominis celebritate longe superavit: fieri vero non raro solet, ut multa viris maxime celebribus ex mera conjectura et falso sæpe ii scriptores tribuant, qui res longe a se distantes, et quidem e vulgi sæpe traditione, vetustate corrupta, litteris mandant.

Vitarum auctores pro  
Simplicio

10 Fieri itaque facile potuit, ut alium Bituricensem episcopum adierit S. Leopardinus; qui quidem episcopus Bituricensis sub Leopardini ætatem Arvernensis probe fuerit cognitus, sed temporum lapsu, ut fit, cæperit primum quidem ignorari, ac tandem Sulpitius Pius dici: ut ex mox dicendis confirmabitur amplius. Verum, iniquis, si id ita se habet, cedo, quis fuerit Bituricensis præsul, cui S. Leopardinus annis aliquot cohabitasse fertur. Num forte Sulpitius? Minime vero: hunc enim non nisi ab anno 384 Bituricensis infulas gestasse, ostenditur apud nos tom. II Januarii pag. 967 et seq. Coinitus Sulpitio Simplicium substituendum putat; cui favet affinitas nominum, qua non ratio fit, ut, quod huic adscribendum erat, adscribatur alteri, diversorumque hominum facta, cujus rei passim obvia exempla sunt, confundantur. Favet et ratio temporis: Simplicii enim in Bituricensem episcopum electionem sub annum 479 factam esse, probant Gallie Christianæ auctæ scriptores tom. II, col. 10, qui et Coinitio adstipulantes addunt: Tempore S. Simplicii floruit in Bituricensi pago S. Leopardinus, S. Portiani frater, qui pro martyre habetur. At quisquis tandem fuerit Bituricensis episcopus, Leopardini familiaris, en rationem alteram, cur Acta, id de Sulpitio Pio affirmantia, a vero aberrare existinem, et ipsamet fortassis erroris originem.

substituisse  
Sulpitium,

11 In Bituricensi suburbio Ordinis Benedictini monasterium est, Navense ob locum inter duos amnes (Eram et Avaricum, vulgo l'Evre et l'Auron) situm et navium stationi opportunum, olim dictum, nunc vero S. Sulpitii. Conditum id ferunt Clotarii II tempore, cujus primus fundator et abbas fuisse creditur Sulpitius Pius. Condidit item monasterium Vivariense in Claromontane et Bituricensis diocesium confinis S. Leopardinus. Porro Vivariense Navensi a multis jam retro sæculis subjectum fuit, ut ex instrumento Archembaldi, Borbonensium principis, infra plenius exhibendo, et a Mabillonio tom. IV Annalium ad annum 1040 num. 24 relato, liquet, ubi

inter cetera hæc leguntur: Quibus omnibus congregatis, Aymo archiepiscopus (Bituricensis) intimavit, qualiter Ardeus, vir nobilissimus, jussu et laude Theoderici regis, omne alodium Vivaris, quod sui juris erat, beato donavit Leopardino, et sancto Sulpicio, et monachis ei servantibus. Autamarunt hujus instrumenti auctores, S. Leopardini monasterium ab ipso sui exordio Navensi monasterio fuisse subjectum. Eadem verosimiliter opinio fuerit iis, qui S. Leopardini Acta litteris consignarunt; indeque concluderint, eodem circiter tempore conditum fuisse utrumque monasterium, quorum alterum S. Sulpitium, alterum vero S. Leopardinum conditorem habebat; et proin utrumque Sanctum simul aliquando vixisse. Sed quid ni Vivariense monasterium subici Navensi aliquando potuit, etsi secundo primum integro sæculo prius existisset? Sæculum XI ab ætate S. Leopardini, concessio etiam illum sæculo VII floruisse, nimis remotum est, ut citati instrumenti auctores fidem hac in re mereantur indubiam.

12 Tertia denique ratio, ob quam Actorum S. Leopardini auctores potius, cum S. Leopardinum ad Sulpitii II seu Pii, Bituricensis episcopi, tempora, quam cum SS. Portianum et Leopardinum fratres germanos faciunt, a vero aberrare existimo, in eo sita est, quod e chronologia imperitia Clotarii II cum Clotario I; Theodericum item, Childeberti filium et Burgundiam regem, cum Theoderico, Clodovei filio, et Austrasie rege verosimiliter confuderint. Quam in opinionem vel ideo inducor maxime, quod in hunc errorem plures alios videam incidisse. Amblicii in diecesi Bituricensi die 23 Octobris colitur S. Dulcardus, ut habet in Martyrologio Universali Castellanus ad illum diem, annum illi in margine assignans 465. S. Dulcardi Actis hoc exordium est apud Labbeum tom. II Bibliothecæ Mss. librorum pag. 370: Tempore Clotharii Francorum regis (quem plerique falso atque imperite II seu juniorem, inquit Labbeus, interpretantur) effulsit confessor memorabilis Dulcardus etc.: sub vitæ exitum a S. Avito abbate (Miciacensi nimirum, anno 321 S. Maximino I successore, ut scribunt auctores Gallie Christianæ auctæ tom. VIII col. 1328) visitatus, ut eadem Acta habent apud Labbeum citatum: quem tamen iisdem Gallie Christianæ scriptores tom. II, col. 124 ad Sulpitii II Bituricensis episcopi tempora retraxerunt his verbis: Sub S. Sulpitio (utique secundo, de quo proxime egerat) vixit quoque S. Dulcardus, qui degebat in Ambiliaco monasterio.

13 Labbeus, postquam in Annotatis ad Elogium S. Dulcardi, hujus obitum ad Sulpitii Pii tempora a Claudio Roberto perperam fuisse revocatum, monuit; ita pergit: Eodem quoque errore delusi, sanctos Eusitium, Leopardinum et quosdam alios ad inferiora ejusdem Sulpitii tempora demiserunt. Geminus sæculo VI Childebertus fuit: alter Clodovei Magni filius, cujus soror Amalarico Hispaniæ regi nupsit ex Gregorio Turonensi lib. III Historiæ Francorum cap. 1. Childebertus hic, moto in Hispaniam ob sororem Crotechildem ab illo male habitam exercitu, Amalaricum per suos vita exiit ex eodem Gregorio cap. 10, regnavitque secundum Labbeum ab anno 311 usque ad annum 338 vel sequentem. Childebertus alter, Sigeberti Austrasie regis, et Brunehildis filius, paternum regnum adeptus est anno 373, quem pariter exercitum in Hispaniam misisse, scribit Gregorius citatus lib. VI cap. 42: obiit

D

et reges cognomines  
confudisse,

E

F

quod et alias  
factum fuisse.

**A** obiit vero 596, qui quamquam ad Sulpitii Pii episcopatum, anno 624 ceptum, non pervenit, illius tamen æqualis fuit. Porro cum ad Eusitium, in Bituricensi pago morantem, Childebertus in Hispaniam cum exercitu abiens accessisse legatur apud Gregorium Turonensem lib. de Gloria Confessorum cap. 82; quod de Childeberto I dictum fuit, de Childeberto II interpretati fuerint, quos Lubbeus arguit verbis supra citatis, errore plane simili, quo in Actis S. Leopardini Clotarii et Theoderici inter se confusi sunt.

ostenditur:

14 Collitur hic S. Eusitius die 27 Novembris: at error iterum plane similis, quo Clotarius et Theodoricus seniores cum junioribus confusi fuerunt, observatus est in Commentario ad Vitam S. Fidoli, Trevis quidem in Campania Gallicana die 16 Maii annuntiati, sed patria Arvernensis tom. III Maii pag. 688, ubi de Actis quibusdam S. Fidoli, et retracta perperam ad sæculum VII S. Fidoli ætate hæc legere est: Alia Acta sunt aliquot seculis elapsis conscripta, ab homine non satis gnaro antiquitatis.... Non desunt etiam menda, quæ confirmat ex Gestis Francorum: in quibus Theoderici regis Burgundionum, ab avia Brunehilde incitatis, bellum contra Clotarium III regem narratur cap. 57, et continuo captivitatem S. Fidoli ad dicta tempora retulit: sed mox suam insectiam manifestavit, dum S. Cemelianum, S. Lupi successorem, asserit tunc fuisse episcopum Trecentem; qui fere integro seculo citius floruit, et interfuit concilio Aurelianensi, anno Christi 508 aut sequenti habito. Auctor prioris Vitæ, quæ videtur ante dicti Theoderici regis Burgundionum tempora fuisse scripta, solum sub Theodorico rege captivum abductum tradit, quod anno DVI factum fuisse arbitramur. « Tunc » enim, ut scribit Gregorius Turonensis lib. II Historiæ Francorum cap. 57 « occiso Alarico maximo Arvernorum » populus et primi ex senatoribus corruerunt, » et Chlodoveus filius suum ad Arvernos direxit: qui abiens urbes illas a finibus Gothorum » usque Burgundionum terminum patris sui » ditionibus subjugavit. » Quemadmodum itaque horum Actorum scriptor ex antiquitatis insectia Clotarios et Theodoricos confudit, et S. Fidolum ad aliud sæculum distraxit, ita et auctor Vitæ S. Leopardini ex eodem capite eosdem reges quoque confudit, et S. Portianum cum fratre Leopardo sæculo fere serius, quam par erat, vixisse verosimilius statuit.

atque adeo, quidquid hic in contrarium asseritur,

**C** 15 Acta S. Leopardini, ex Mss. Abbatæ S. Iulii Claramontani excerpta et ad nos a D. Geroult, Abbatæ S. Sulpicii Bituricensis alumno, transmissa, Annotationem in illa adnexam habent ad calcem, ex Chronico seu Historia ejusdem abbatæ petitam, qua S. Leopardinum S. Portiani fratrem non fuisse; sed in abbatia, cui S. Portianus præfuit, monasticæ vitæ rudimenta hausisse, et ad S. Sulpicii tempora pervenisse, contenditur his potissimum de causis: quod Gregorius Turonensis, sub annum 594 defunctus, nusquam S. Leopardini, nec ibi quidem, ubi de S. Portiano agit, meminerit, non neglecturus tamen aliquo Popularem suum: quod ab omni ævo indubitatum sit, Leopardinum in virtute et vita monastica in Navensi seu Bituricensi S. Sulpicii monasterio institutum fuisse a S. Sulpicio: denique quod ab omni pariter ævo Navariense S. Leopardini monasterium Navensis directioni subjacuerit. Sed Gregorius nec omnia de Portiano scripsit, quæ de illo scribi potuerant, ut ex ejus verbis, num. 5

recitatis, colligi videtur posse, nec de omnibus omnino Arvernæ Sanctis scripsit, alias enim nec S. Fidolum, de quo num. 14, silentio involvisset: ab omni autem ævo indubitatum fuisse, tum S. Leopardinum a Sulpitio, nimirum II, monasticæ vitæ præceptis fuisse imbutum, tum Vicariense monasterium Navensi perpetuo et ab ipso sui exordio subjacuisse, ut amplius ambigendum non esset, quæ memoratæ Annotationis conclusio est, indubitatis, antiquioribusque forte, quam Chronici S. Sulpicii Bituricensis, cujus ignoramus ætatem, aut diplomatis, sæculo dumtaxat 11 conscripti, probandum erat testimoniis. Quod autem laudatum diploma attinet, vide, quæ infra num. 55 et seq. dicentur.

16 Unde quidem inter annum 511 et 555, quibus Theoderici I regnum circumscibitur, vixisse mihi S. Leopardinus videtur: at nihil in promptu est, unde annum, quo aut natus, aut denatus sit, accurate definiam. S. Portianus Benedictinorum Calendariis inscribi solet; uti apud Wionem, Menardum et Bucelinum ad diem 24 Novembris videre est: illum Mabillonius inter prætermittos Sæculo I Benedictino præfixos retulit: at cum S. Maurus non nisi sub annum 545 in Gallias venerit, S. vero Portianus abbas jam senex fuisse videatur ab anno 525 ex dictis num. 6, Benedictinum institutum minime secutus videtur, nec proin S. Leopardinus, qui an senium attigerit, ac Portiano superstes fuerit, necne, certo non scitur. S. Leopardini quidem, velut sui Ordinis non meminit Mabillonius: Bucelinus tamen movere aliquid, ut Portianum suis adscribat, videtur velle ex eo, quod, ut Gregorius Turonensis scribit, oblatum sibi extra refectiois tempus a Sigivaldo potum, sumere noluerit, ex præscripto nimirum, ut addit Bucelinus, sanctissimæ Regulæ; sed ut fidem sibi faceret, addere et probare debuisset, id ex solius Benedictinæ Regulæ præscripto, nec ex privata pietate, qua sibi ipse potum sumere vetuerit ante solitas preces Deo persolutas, id abs illo fieri potuisse.

AUCTORE J. B.

sæculo potius vi Leopardini ætas assignanda videtur.

## § II. Sancti Martyris genus, gesta, martyrium et cultus sacer.

**S**anctum Leopardinum divina bonitas non modo servili conditione exemit, et in libertatem filiorum Dei, quæ vera libertas est, asseruit, verum etiam ad beatam et immortalem Sanctorum suorum gloriam evehere voluit. Natum enim servili in Arvernia genere fuisse, utraque illius apud Labbeum Vita perhibet, uti et illius apographa, quæ inter Mss. nostra servantur, et supra memorata jam sunt. Arvernia, Galliæ provincia est, quæ Foresis ab Ortu, Velauno et Gevaudano a Meridie, a Septentrione Borbonensi tractu, et Lemovicensi et Petrocoriensi ab Occasu cingitur; in Superiorem et Inferiorem (Limaniam vulgo appellant) divisa: in hac, qua Borbonensi provinciæ confinis est, S. Porciani oppidum occurrit ad Sicaulam fluvium, in cujus vicinia natus videtur S. Leopardinus: illic enim S. Leopardini ætate Mirandense cænobium erat, quod deinde a S. Porciano, uti et ipsum oppidum cognomine, nomen invenit: quippe ad cujus abbatem, S. Leopardinum,

Natus servili genere,

AUCTORE  
J. B.

pardinum, heri sui molestis vexatum, continuo confugisse, ejusdem Acta perhibent. Prædicti S. Porciani frater, si Actis standum, S. Leopardinus, fuit, verum cum eadem S. Leopardini Acta, hunc S. Sulpitio Pio Bituricensi episcopo æqualem etiam, haud satis constanter, ut superiori § ostensum est, faciant, nec omnino liqueat, qua narrationis parte error cubet; nec certum esse potest, S. Porcianum et Leopardinum fratres fuisse, quamquam hoc ex dictis præ altero verosimilius videri possit.

et heri difficili  
servus.

18 Ut res sese habeat, ita eundem S. Leopardini junior ætas ab ejus biographis describitur, ut iis plane congruant, quæ de S. Porciani juniori ætate cap. 3 lib. de Vitis Patrum Gregorius Turonensis scribit. Refert ille de S. Porciano, genus illi fuisse servile, herum quoque difficilem ac molestum, studium serviendi Deo ab ineunte ætate perpetuum, quæ fere omnia S. Leopardo pariter ejusdem biographi uno ore adscribunt, diserte vero biographus brevior num. 1 his verbis: Huic (S. Leopardo) extitit frater germanus sanctus Portianus, quos prædices quidam tanquam vernaculos possidebat. Ii cum vicinum quoddam monasterium identidem frequentarent, concepto altioris vitæ proposito, attonsi in monachos ab abbate recepti sunt. Diserte item auctor Ms., a P. d'Ardes Rothomago ad Majores nostros transmissi, qui et modum occasionemque, quibus sancti Fratres in monachos attonsi fuerunt, dilucidius explicat: sed cum ea, quæ de illis hoc loco narrat, ex Gregorio Turonensi deprompsit, hunc potius loquentem audiamus. Sic ille de Portiano: Beatissimus igitur Portianus ab ineunte ætate Deum quærere cœli semper, etiam inter terrena servitia, conabatur.

monachis  
adscribitur

19 Sic enim servus fertur fuisse cujusdam barbari (id est, Franci, interprete Ruinartio) isque cum plerumque ad monasterium confugeret, ut eum domino suo abbas redderet excusatum, ad extremum fugiens, dominus ejus de vestigio sequitur, et abbatem calumniari cœpit, reputans, quod ipse eum seduceret, ne sibi suus famulus deserviret. Cumque de consuetudine, ut eum redderet, calumniando abbatem insisteret, dicit abbas Portiano: Quid vis, ut faciam? Et ille: Redde, inquit, me excusatum. Cumque excusatus redditus fuisset, et dominus ejus reducere domum vellet, ita cæcatus est, ut nihil penitus posset agnoscere. Cernens autem se gravibus doloribus affici; abbatem vocat dicens: Supplica, quæso, pro me Dominum, et accipe hunc servum ad ejus cultum; forsitan promerebor recipere lumen amissum. Tunc abbas vocatum Beatum ait: Impone, quæso, manus tuas super oculos ejus. Cumque ille refutaret, tandem abbatis devictis precibus, super oculos domini sui signum beatæ Crucis imposuit: statimque, disrupta caligine, et sedato dolore, pristinae redditus est sanitati. At vero exin B. Portianus, clericus factus, tanto virtutis cumulo est prælatus, ut, decedente abbate, ipse succederet. Hæc Gregorius de solo Portiano, e servo in monachum recepto, ne minima quidem de S. Leopardo mentione injecta: fueritne S. Leopardinus Portiani in his rebus comes simul et particeps, quod citati Ms. auctor ait, dubium omnino atque incertum, non modo ob dubium fraternæ inter utrumque Sanctum necessitudinis vinculum, verum etiam, quod, illo concesso, fratrem suum imitari postmodum potuerit,

ac ab hero, jam ob receptum oculorum usum mitigato, ingrediendi monasterium facultatem impetrare.

20 Gregorius neque monasterium, in qua monachum proferi Portianus, forte cum Leopardo fratre, cepit, neque abbatem, qui utrumque forte suis adscripsit, nominatim expressit: verum, quod ad monasterium spectant, cum S. Portianum, in eodem monasterio, abbate, qui illum receperat, mortuo, ad abbatis munus ob virtutum præstantiam electum fuisse, verbis supra adductis innuat, dubium non videtur, quin id Mirandense fuerit, S. Portiani postea dictum; quod oppido circumjacenti, ut Ruinartius in hunc Gregorii locum annotat, nomen cedit, in Arvernorum finibus versus Burbonenses etiam nunc subsistit, amisso ab annis 1000 abbatæ titulo, in prioratum redactum, et monasterio Trenorchienensi subjectum. Trenorchienis monachis anno 1000 sæculari toga donatis, monasterium S. Porciani sub regulari ordine permansit, quod anno 1045 congregationis S. Mauri monachis reformandum commissum est. Transtulit ad S. Philiberti monachos S. Portiani monasterium sæculo nono Carolus Calvus, ut liquet ex instrumento anni 875 inter Monumenta Historiæ Trenorchienis, auctore Petro Juenino pag. 95, ubi inter ceteras abbatæ illius possessiones numeratur cella S. Portiani in hunc modum: Et in comitatu Alvernico cellam S. Portiani, cum omnibus appendiciis suis, quæ ipse (Carolus Calvus) solita pietate, causa confugii, monachis sanctæ et intemeratæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Filiberti, inclyti confessoris, ob vitandam Marchomannicam severitatem contulerat, anno, ut scribit Jueninus, 871.

in Mirandense, nunc S. Portiani, canobio

21 Quod autem ad abbatem, qui utrumque Sanctum, vel certe Portianum monachorum numero adscripsit, attinet, sunt, qui putent, ut tradunt Gallix Christianæ auctores scriptores t. II, col. 572, dictum fuisse Protasium; eum, ni fallor, quem S. Portianum salutaribus adversus demonis, illum sub visibili forma adorti, insidias ac præstigias monitis munisse, Gregorius Turonensis narrat in ejusdem S. Portiani Vita, quem et inter Sanctos, quorum nescitur natalis aut cultus dies, retulit Castellanus in Martyrologio Universali pag. 883. Verba Gregorii sunt: Idque (demonis adversus S. Portianum fallacia) statim revelatum est beato Protasio, qui tunc apud Canbidobrense monasterium habebatur reclusus. Canbidobrense monasterium idem, quod Mirandense, S. Portiani monasterium post appellatum, credidit Sirmondus; quo posito, verosimile esset, B. Protasium, deposita abbatæ sarcina, S. Portiano, tunc abbati, salutaria ista monita suggestisse: verum neque S. Portiano, jam abbati, ista contigisse, Gregorius scribit, nec vivo, sed mortuo abbati, qui monachis illum adscripsit, successisse videtur tradere verbis num.

forte ab abbate Protasio.

49 citatis. Porro nec idem fuit Canbidobrense, quod Mirandense monasterium, ut ipsa Gregorii verba videntur innuere, ita de illo loquentia, ut altero ab alterum dissitum fuisse videatur: nec enim aliquin revelatione, ut, quid S. Portiano contigisset, resciret Protasius, opus fuisse videtur: Canbidobrense monasterium idem fuisse Ruinartius putat, qui prioratum, dictus hodie vulgo Combronde, Menatensi monasterio Ordinis S. Benedicti subjectus, qui octo circiter leucis ab oppido et monasterio S. Portiani distat: ut adeo abbas Mirandensis, a quo S. Portianus, uti et forte S. Leopardinus

E

F

A S. Leopardinus in monachos recepti fuerint, in ambiguo nomen maneat.

E Mirandensi  
cenobio

22 S. Portianum, monachis in Mirandensi monasterio adscriptum, eximia virtutis laude fulsisse; testem habemus Gregorium Turonensem: idem de S. Leopardo tradunt Vitæ ipsius Mss. singula, passim quidem paucis, at paulo pluribus Ms. Rothomagense cap. 2, eujus, quod singularia nonnulla contineant, huc verba transcribo: Libertate suscepta, inquit illius Ms. auctor, novitiis adscribuntur: quanta animi contentione in id, quod optimum est, incubuerint, quam serio ad virtutem animum appulerint, quam denique omnibus se probaverint, vel hinc scias, quod statim post eorum professionem, abbate mortuo, nullus repertus sit dignior, qui succederet, quam frater Portianus. Qui suscepta mandræ (seu monasterii) administratione, omnium in se animos oculosque convertit mirabili quadam sanctitatis gloria. Confluebant ad eum undique, quos infirma quælibet valetudo tentabat, spe recuperandæ salutis; neque spem fallabat eventus. Verumtamen ne reddite sanitatis existimationem subiret; totam hujus rei laudem in Leopardinum fratrem suum refundebat; propterea, quod eum socium adhibebat ad preces (quas) pro infirmis fundebat. Leopardinus vero nequaquam sublimius de se sentiens curationes omnes fratris sui meritis adscribebat. En S. Portianum non modo virtutis laude celebrem, sed etiam prodigiosarum curationum, de quibus tamen Gregorius silet, gloria; en ejusdem gloriæ participem S. Leopardinum; qua de re omnino tacent Mss. cetera vetustiora. Merito itaque verendum est, ne hæc pro arbitrio a recentiori Rotomagense Ms. auctore excogitata sint atque asserta.

S. Sulpitium,  
Bituricensem  
episcopum,  
adit.

23 Idem porro sic pergit: Qui quidem (S. Leopardinus) sui sollicitus, ne importunus cenobii (inanis gloriæ) telis pateret diutius, hominum vitare conspectum decrevit, atque ne quid temere aggrederetur, B. Sulpitium, cujus fama sanctitatis longe lateque dimanarat, consulere. Re itaque cum fratre suo communicata, Biturigas venit, causamque peregrinationis sancto præsul aperuit. S. Leopardinum, postquam tempore aliquanto cum fratre versatus in monasterio fuerat, bona ejusdem, jam tunc forte abbas, venia, Biturigas ad S. Sulpitium abiisse, habent etiam vel innuunt Mss. cætera: at discessus hujus causam fuisse, ne ex prodigiis curationibus, quæ suis, et fratris sui precibus frequenter accidebant, inanis sibi gloria obreperet, nusquam in illis legitur: imo Vita brevior S. Leopardinum Bituricensem episcopum adisse ait, amplioris rei (seu majoris perfectionis) spe evocatum. Hæc itaque, etsi non falso fortasse asserta, fidem tamen auctoritatemque non habent. Adierint vero S. Leopardinus S. Sulpitium, cognomine Pium, licet in id consentiant Mss., quæ penes nos sunt, singula, pariter incertum est, quin et illa secum hac in re pugnare, ostensum est § superiore, ut adeo ibidem dicta hic repetere non sit necesse.

a quo dein  
discedens

24 S. Leopardinum apud Bituricensem episcopum, sive S. Simplicium, sive S. Sulpitium is fuerit, seu quivis alius, jam aliquamdiu (nec enim commemorationis Bituricensis durationem Acta expriment) versatum ac omni virtutum genere probe instructum, solitariæ vitæ desiderium cepit: sic tamen, ut nusquam, nisi intra diocesis Bituricensis terminos, sedem figere ac vitæ reli-

quum transigere ratum haberet: sancto Viri voto obsecundans episcopus facultatem illi fecit, quo vellet, abeundi, ac impertita benedictione eum dimisit. Ita fere. Acta S. Leopardini proluciora: sed breviora, et Ms. Rothomagense addunt, S. Sulpitium abeundi Leopardo non modo propositi sui felicem exitum, sed et Martyrium prædixisse, quæ magis ex auctorum mente et opinione, quam ex probatis monumentis, certisve auctoribus dicta, existimo. Digressus a S. Sulpitio (ut quidem Acta loquuntur) fratrem Portianum revisit, ac propositi sui certiores fecit. Probavit illud quidem Portianus, sed id sibi concedi postulavit, ut ne nimium a sese abscederet. Placuit Leopardino fraterna petitio: quapropter Albiniaci sedem figere statuit: est autem Albiniacum, Gallicæ Aubigny, vicus in Borboniensi pago sub diocesi Bituricensi in hujus et Claramontanæ diocesis confinis situs.

25 Erat in Albiniacensi vico fundus quidam, Vivaris dictus, in eoque conditum S. Symphoriani oratorium: locum hunc S. Leopardinus solitariæ illic degendæ vitæ non ineptum ratus, illius dominum, nomine Ardeum, precatus est, ut solitas in eo oratorio laudes Deo persolvere sibi liceret; quod illi non modo libens annuit Ardeus, sed et oratorium S. Symphoriani, fundumque Vicariensem donavit, ut fusius in Actis videre est. Bituricensi episcopo (Sulpitio Pio, ut aiunt Acta, sed forte Simplicio, aut alteri cuicumque) S. Leopardinus sibi donata subjecti, eoque in loco cellam edificavit, quæ, aucto sociorum ejus numero, in monasterium evasit, quod Navensi seu S. Sulpitii Bituricensis Ordinis Benedictini abbatiæ subjectum jam olim fuit; sed quo primum tempore id factum sit, plane incertum: forte enim post S. Leopardini tempora Navensi cenobio principis alicujus in S. Sulpitii monachos favore subjectum fuerit; etsi a sæculo xi creditum fuerit, S. Sulpitio Pio ab origine sua fuisse subjectum; quod jam tum subjectionis illius exordium ignoraretur. Ulut sit, cenobii Vicariensis e Mabillonio ad annum 1040 num. 24 brevem hanc accipe notitiam: Hæc cella S. Leopardini, inquit, sita duabus leucis a Borbone Archebaldi (Gallis Bourbon l'Archebauld) hactenus sancto Sulpitio (Bituricensi) subjacet, sancto Symphoriani primitus, dein etiam sancto Leopardo sacra.

26 De rebus a S. Leopardo in Vicariensi suo monasterio gestis Vitæ ejus scriptores pauca memorarunt; quamquam minime sit ambigendum, quin, qui a teneris unguiculis virtuti se divinoque obsequio dederat, eundem quoque per omnem ætatem justitiæ pietatisque callem constantissime triverit: hinc inde tamen in Actis ejus nonnulla occurrunt, unde sancti Viri ecclesiæ S. Symphoriani, cujus administrationem curamque susceperat, jura tuendi non segniter ardor: eximia pietas, qua rebus divinis operari quotidie solenne illi erat; insignis, qua in proximum erat, charitas, et ingens pro Dei causa patiendi desiderium commenduntur; ut ejus Acta percolventi manifestum fiet. Nullus etiam dubito, quin plura, eaque præclara de S. Leopardo dici scribique potuerint, modo nactus fuisset scriptores ætati suæ propiores, nec temporis diuturnitas gestis ejus tenebras offudisset. Sed hæc obiter dixisse sufficiat, et ad martyrium ejus, quod tamen accurate satis descriptum, properemus, unde summa tantum capita delibabimus, lectori reliqua in ejus Actis infra eandem legenda relicturi.

AUCTORE  
J. B.

Vicariense  
Ardei muni-  
scientia cenobium condit:

E

F  
virtuti hic  
et rebus suis  
incumbit:

AUCTORE  
J. B.  
sed Blitildis  
Ardei uxoris  
jussu

24 Vivariensem fundum, sibi ab Ardeo liber-  
liter pieque donatum, pro viribus S. Leopardinus  
excolebat, ut inde S. Symphoriani oratorio, sibi,  
suisque necessaria compararet: et vero labori par-  
fructus respondebat. At idem fundus, qui sancto  
Viro victum suppeditabat, quodammodo concevit  
et mortem. Egre nimirum tulerat Blitildis seu  
Bichildis, Ardei conjux, mariti in S. Leopardi-  
num munificentiam: quare invidia stimulis acta,  
in agrum quemdam, ecclesiae S. Symphoriani  
allari addictum, in seio vel forte peregre versante  
Ardeo, avara mulier violentas manus injectit:  
monita identidem ab illum repente Leopardo,  
ne aliena diutius retineret, neve S. Symphoriani  
in se vindictam provocaret, scelus non emendavit,  
sed scelere auit atrocior: quippe, concepto  
S. Leopardinum e medio tollendi proposito, Pla-  
cidum quemdam, quem Vir sanctus alebat in  
monasterio (hoc enim illum sensu S. Leopardini  
nutritium in Actis dictum reor) ac familiarem  
habebat, primo corrumpit; a quo aliquando edo-  
cta, S. Leopardinum ad monasterium aliquod,  
Vivariensi, ut apparet, vicinum, Collobero di-  
ctum, fratres ibi degentes visendi gratia iturum,  
B mox quatuor sicarios mittit, qui sanctum Virum  
in itinere interficiant, et occisi corpus clam  
occulant, ubi inveniri non possit: hi redeuntem  
adorti dirissime caedunt, et securi capiti impacta  
velut mortuum, ita nimirum disponente divina  
Providentia, relinquunt.

a sicariis

28 Paulo aliter, ac Acta S. Leopardini Lab-  
beana, haec narrat auctor Ms. Rotomagensis  
cap. 5. Erat Hardeo, inquit, uxor ferocissima, in  
cujus sinu tota se infuderat tenax avaritia:  
doluit illi, tam laeta cultaque latifundia ab ho-  
minibus nihili (ut aiebat) possideri. Augebat  
aegritudinem animi sedula cura Leopardini, et  
fratrum, quos regebat, industria, quam in ver-  
sanda terra adhibebant. Fructus par operi do-  
lorem non minuebat. Excogitat itaque modum,  
quo monachos arceat sua possessione. Imperat  
primum ganeonibus quibusdam, quorum audacia  
utebatur ad scelera, ut totam hereditatem  
deprædarent; tum demum fruges, antequam  
perfecte maturuerint, decerpant, profanosque  
in usus convertant. Quæ cum ex animi sententia  
sibi non successisse videt, convertitur ad  
deteriora consilia. Erat, nescio, quis pseudo-  
C eremita, cujus consiliis et opera utebatur fami-  
liariter Leopardinus. Huic Placido nomen erat,  
homo ad quævis flagitia natus etc. Agrum illum  
in proprios usus a Blitilde fuisse conversum, Acta  
quidem habent Labbeana Rotomagensibus anti-  
quiora; sed nihil de deprædationibus ejusdem  
nihil de rejectis frugibus nondum maturis ha-  
bent; unde hæc forte ex unico scriptoris recen-  
tioris genio, etsi fortassis vera, profecta sunt.  
Sed nec Placidus, S. Leopardini proditor, ere-  
mita, aut S. Leopardo a consiliis fuisse in illis  
dicitur; contra e famulorum numero fuisse vide-  
tur, utpote cui S. Leopardinus, ad vicinum mo-  
nasterium profecturus, præcepit equum sternere,  
et nutritii tantummodo nomen tributum sit in  
Actis Labbeanis prolixioribus, quæ consule  
num. 9. Quid porro S. Leopardo acciderit, nunc  
videamus.

e Nicernia  
ad suos re-  
diens obrun-  
catur.

29 Sicariis nondum ad dominam reversis, a  
vulneribus jam inde S. Leopardinus ope divina  
convalescerat: Blitildis vero aliud perdendi S. Leo-  
pardini tempus opperiri decrevit: nec multo post  
auduit, illum in Nivernensem pagum ad Matro-  
nam quamdam, quam suis precibus paralyti libe-

raverat, excursum meditari. Sicarios commodum  
peragendo sceleri obsidere locum jussit juxta ri-  
pam fluvii Elaveris, qua Borbonensium et Niver-  
nensium fines permeat. Quo cum jam redisset  
S. Leopardinus, subito in illum irruerunt et ab-  
scisso capite e visis abstulerunt, injecto occisi  
corpore, ne crimen proderet, altissimæ scrobi:  
sed quod terra texit, visum eo loci divinitus ac-  
censum lumen pastoribus prodidit. Vulgata in  
vulgus rei fama Blitildem terruit: quare illico  
misit sicarios, qui effossum corpus et dolio una  
cum saxis inclusum supradicti fluminis gurgitibus  
mergerent. Sed variis iterum prodigiis, quæ  
Acta fuscè describunt, detectum, integrumque re-  
pertum, linea tantummodo circulari purpurea in  
collo relicta, quæ martyrii genus indicaret, ma-  
xima concurrentis populi multitudine ac insigni  
honore tandem ad S. Symphoriani ecclesiam delat-  
atum est ac sepulturae mandatum. Blitildis vero  
in pœnam peractæ cædis, effusis in latrinam vi-  
sceribus, male periit. Atque hæc quidem sunt, quæ  
de S. Leopardo narrata inveni: reliquum est,  
ut de Fastis sacris, quibus inscribitur, deque  
cultu, sancto Martyri impenso, pauca dicamus. E

50 Hagiologium Franco-Gallicum Labbei, ex  
antiquo abbatiæ S. Laurentii Bituricensis Mar-  
tyrologio decerptum, ad diem 7 Octobris ita  
habet: In territorio Bituricensi monasterio  
Vivariensi natalis S. Leopardini sacerdotis et  
martyris. Castellani Martyrologium Universale  
Gallicæ: Prope Albiniacum apud Bituriges  
S. Leopardinus monachus a sicariis interfectus.  
His plura Martyrologia, quæ S. Leopardini me-  
minerint, hactenus non inveni. Sanctum Marty-  
rem a Vivariensibus coli ut patronum, ex verbis  
Mabillonii num. 23 adductis liquet: unde et il-  
lud monasterium S. Leopardini interdum audit;  
quo nomine appellatur in Actis Visitationis dia-  
cesis Bituricensis anno 1283 a Simone de Bello-  
loco, Bituricensi archiepiscopo, instituta apud  
Baluzium lib. iv. Miscellaneorum pag. 592. Actis  
S. Leopardini a domino Geroult, abbatiæ S. Sul-  
pitii Bituricensis monacho, ad nos transmissis  
subnectitur, in illius honorem procul dubio reci-  
tari solita, Oratio hujusmodi: Majestatem tuam,  
Domine, humili prece deposcimus, ut omnes,  
qui beatissimi sacerdotis et martyris tui Leo-  
pardini requirunt patrocinium, illius sacratis-  
simis precibus suorum omnium mereantur  
consequi veniam delictorum. Per Christum Do-  
minum etc. In codice Beneficiorum diæcesis Bi-  
turicensis, anno 1626 Parisiis excuso, vicum  
S. Leopardini dictum, reperio, pag. 15 in archi-  
presbyteratu Borbonensi; uti et apud Blaevium  
in Tabula Geographica Bituricensis ducatus; sed  
in Tabula Borbonensis corrupte S. Labardin  
dictum. Utrobique vero in vicinia Albiniacensi  
non procul Elavere (Gallis l'Allier) collocatur.

51 Ad Sancti nostri cultum etiam facit, quod  
de Aymone Bituricensi episcopo in Patriarchio Bi-  
turicensi apud Labbeum tom. II Bibliothecæ libro-  
rum Mss. pag. 87 legitur hæc verbis: Quinqua-  
gesimus octavus præfuit dominus Aymo, inter  
ceteros generis dignitate sublimis et vitæ san-  
ctimonia præclarus. Hujus frater vocabatur Ar-  
chimbaldus, strenuissimus princeps et comes  
Borbonensis; ad cujus instantiam idem vene-  
randus pontifex exhumavit corpus sancti Leo-  
pardini martyris apud monasterium Vivariense,  
et illud decentius collocavit in eminentiori loco  
ecclesiae dicti monasterii. Meminit etiam ejusdem  
corporis S. Leopardini elevationis, ut supra mo-  
nui,  
et corporis it-  
lius elevatio.



A *nui, Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum 1040 num. 24, uti et Archembaldi comitis in Vivariensem S. Leopardini prioratum munificentia, ea occasione exhibitæ, ex instrumento; quod, prout apud Mabillonium existat, huc transfero: Sic habet: Francorum piissimo Heinrico imperii gubernacula moderante, in archiepiscopatu Biturigæ civitatis, urbis metropolitanæ, Aymone, fratre principis Archembaldi, præsidente, abbatiam vero S. Sulpicii abbate Humberto regente, atque prioratum Vivaris Andrea monacho disponente, ipse præfatus princeps Archembaldus, omnesque proceres Borboniensium ad sanctissimum cœnobium Leopardini congregati esse dignoscuntur, gratia videlicet relevandi de telluris sinu almi corpus Leopardini, atque honorabilis locandi.*

ex charta sæculi xi,

B 52 Quibus omnibus congregatis, Aymo archiepiscopus intimavit, qualiter Ardeus, vir nobilissimus, jussu et laude Theoderici regis, omne alodum Vivaris, quod sui juris erat, beato donavit Leopardino, et sancto Sulpicio, et monachis ei servientibus. Qui prædictus princeps Archembaldus plurima ex rebus propriis dona monachis S. Leopardini dedit, et concessit, quæ hic non piguit, sed potius placuit, inserere sedule. In primis concessit ipse benignus princeps Archembaldus, laudante Arnulfo atque Giraldo, Firmitatis principe, domino sancto Leopardino ipsius loci feram (*nundinas*) annualem, et feras omnes de cunctis hominibus ad feram venientibus, totum districtum in ipsa fera. Et post multa, *inquit Mabillonius*, jubet princeps, ut hæc terra «*quieta semper maneat, sicuti in auctoritate thenticis Francorum regum præceptis omnis sancti Sulpicii terra quieta esse præcipitur*» id est, *interprete Mabillonio*, immunis. His litteris, *pergit Mabillonius*, apposita signa principis, et filii ejus Arnulfi, et Gilberti fratris ejus, atque aliorum. *Dein refert hujusmodi litterarum clausulam: Actum est in festivitate sancti Leopardini, regnante Heinrico, Francorum rege. Denique et diplomatis Arnulfi, Firmitatis principis, quo prædicta confirmantur, hæc verba refert: omnem vicariam, tam in burgo, quam extra burgum in terra sancti Leopardini, sicut Archembaldus Borbonensium princeps et Arnulfus avus meus atque Gislebertus frater ejus (supra memorati) prædictam vicariam in revelatione beati Leopardini monachis, ibidem Domino servientibus, dederunt. Actum est regnante Philippo rege Francorum.*

in quam nonnulla

C 55 Unde antiquitus cultum apud Borbonienses fuisse S. Leopardinum, satis liquet; at non item, ut dictum supra est, Ardeum et S. Leopardinum S. Sulpitii Pii ætate vixisse, ut ab ipso sui exordio Vivariense monasterio dicto sancto episcopo subijci potuerit, ob nimiam sæculi xi a sæculo sexto vel septimo distantiam. Quia tamen hæc opinio, nec tum recens nata fuisse videtur, fecit illius antiquitas, ut S. Leopardini ætatem sæculo sexto vel septimo sub Commentarii initium cum disjunctione illigandam putarim, quod non desint rationes satis probabiles, ob quas credi possit, eam opinionem, licet antiquam, ex Clotariorum et Theodericorum Franciæ regum confusione suam duxisse originem. Et hoc quidem propterea probabilis existimo, quod ipsum hoc instrumentum erroris suspicione non caret: dicitur enim in illo Ardeus Vivariensem fundum donasse S. Sulpitio et Navensi monasterio Jussu

et laude Theoderici regis, nempe Burgundiæ, ut volunt. Atqui tamen, ut Gallia Christiana auctores scribunt tom. II, col. 126, Navense cœnobium non nisi sub Clotario II conditum fertur; sub Clotario, inquam, totius Franciæ imperium anno 614 post Theoderici, Burgundiæ regis, obitum adeptum: alioquin enim non sub Clotario, sed sub Theoderico conditum diceretur.

54 Ad hæc, si S. Leopardini Actis fides habenda hic observantur, hic Vivariense monasterium subjectum voluit.

S. Sulpitio, cum jam factus esset Bituricensis episcopus; id vero non prius contigisse, quam e vivis Theodericus abierat, et Clotarius jam toti Franciæ imperare cœperat, Acta ejus ab auctore cœvo conscripta tom. II Januarii pag. 168 et seq. legenti manifestum fiet: itaque non potuit Theodericus, S. Sulpitio, jam Bituricensi episcopo, Vivariense monasterium auctoritate regia confirmare. Quod si dicas, S. Leopardinum monasterium suum subdidisse S. Sulpitio, nondum quidem episcopo Bituricensi, abbati tamen Navensis cœnobii; respondeo, id pariter valde incertum esse. S. Sulpitium clero aggregavit S. Austregisilus, ita scribente S. Sulpitii biographo: Cumque repente fama longe lateque respersa, præcipue in parte, quæ sub axe ponitur Occidentis, peragrans evolasset, poposcit Austregisilus Bituricæ urbis episcopus Theodericum principem; ut sibi licentia daretur participationem docendi ei (Sulpitio) in ecclesia tradere, eo quod ad ipsum doctrinæ gratia multitudines convolarent. Nec mora: regia deferretur auctoritas, ut, decisa cæsarie, clericatus susciperet onus, et succedentibus gradibus anno et eo amplius præponens eum cæteris, Leviticam sortem indeptus, ecclesiæ ministravit. Austregisilus vero Bituricensis factus est episcopus anno 612, uti in Commentario ad ejus Vitam prævio tom. V Maji ad diem 20 ejusdem mensis num. 5 videre est. Anno autem postero Theodericus exstinctus est: nullo autem ex capite liquet, S. Sulpitium anno 612 aut proxime sequenti in Navensi monasterio abbatis munere fuisse perfunctum. Secundum S. Sulpitii Vitæ auctorem, vivente adhuc Theoderico, ab Austregisilo clericis adscriptus fuit, et succedentibus gradibus anno et eo amplius præponens eum cæteris, Leviticam sortem indeptus, ecclesiæ ministravit. Non igitur ante annum 615 sacerdotio initiatus fuit: inde vero in castra Clotarii evocatus est, ut abbatem ageret; atque adeo sub Clotario tantum monachorum Institutum amplexus videtur. Interea magis magisque signorum gratia ingebatur. Et cum a fidelibus Clotario principi fuisset suasum, illico episcopum (Austregisilum) poscit, uti pro salute sua ac exercitus sui licentia daretur, ut vir beatus (S. Sulpitius) in suis castris abbatis officio potiretur, pergit idem S. Sulpitii Vitæ scriptor. Scio quidem hæc auctori Vitæ S. Austregisili, qui Sulpitii II decessor fuit, a cœtaneo pariter auctore conscriptæ (Vide tom. V Maji pag. 251 num. 10) adversari; sed potius hæc in re assentiendum videtur ei, qui dedita opera ipsius Sulpitii res gestas prosequitur, ut tom. II Januarii pag. 167 num. 16 Commentarii, in S. Sulpitii Vitam prævio, dicitur.

AUCTORE J. B.

ACTA

AUCTORE  
ANONYMO.

## ACTA

## S. LEOPARDINI MONACHI

*Ex Mss. codice Silviniacensis  
cænobii apud Philippum  
Labbeum tom. II Biblio-  
thecæ Mss. Librorum, a  
pag. 415 excusa.*

## CAPUT I.

*Refertur sancti Martyris  
vita et martyrium.*

*S. Porcianus  
et Leopardi-  
nus fratres,*

*a  
b*

*c*

*d*

*et in Arcernia  
nati,*

*e*

*f*

*g*

**S**apientia Dei Patris, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter *a*, illud celestis satietatis *b* convivium multis et innumerabilibus relucere facit splendoribus Sanctorum. Qui, licet in diversis sint dissep-  
rati terrarum locis, in illa tamen summæ Trini-  
tatis unitate propter testamentum Domini et  
leges paternas permanent in amore fraternitatis,  
et sic unus spiritus retinet eos semper, et una  
fides. Talem itaque laudabilis unanimi-  
tatis conjunctionem ille spiritus veritatis et unitatis  
perficit, quem solliciti semper servant illi in  
vinculo pacis, quibus unum corpus et unus  
spiritus efficitur in una spe vocationis æternæ,  
a quibus unus Dominus sapitur, una fides col-  
litur, unum baptisma tenetur. Quibus est enim  
unus Deus et pater omnium, qui supra omnes  
et per omnia et in omnibus præsidet. Hoc *c*  
istam enim regiam veritatis et salutis viam firmo  
et libero cursu cucurrerunt beatissimi verique  
Dei cultores, Porcianus *d* et Leopardinus. Hi  
enim carnali adjuncti propinquitate fraternita-  
tis, uterque elaborabat voluntarius, ne in fine  
dierum perderent laborum suorum salutare  
fructus.

**¶** Hi enim beatissimus Porcianus et Leopa-  
rdinus Arvernensis patria sunt nati et procreati,  
et pueritiæ suæ tempora quodam maturioris  
ætatis senili reddebantur *e* moderata, et succe-  
scentem dierum suorum numerum quotidianis  
sanctificabant incrementis virtutum, adhaerentes  
Domino Jesu plena fide, et constanti spe, et  
perfecta charitatis dulcedine. Patriæ namque  
Arvernensis lata et spatiosa amplitudo ab ipsis  
non solummodo captabat meliorationis et emen-  
dationis exemplum, sed etiam multi et innume-  
rabiles populi de longissimis aliis regionibus  
veniebant ad eorum laudationis famam, quam  
majorem esse laudabilioremque acclamabant,  
quam audissent, dum ad propria revertebantur.  
Multis namque et innumerabilibus fidelibus Do-  
mini proficientes ipsi ad exequendum æternæ  
felicitatis donativum, venientes veniebant cum  
exultatione, reportantes manipulos *f* celestis  
regenerationis *g* cum maxima laude.

**¶** In hoc tali laudum studio insimul laborantes  
beati, Deoque dilecti Porcianus et Leopardinus,  
tandem beati Leopardini placuit animo, ut illi  
Dominico obediret præcepto : « Exi de terra  
» tua et de generatione tua *h*. » Hic etenim  
beatus Leopardinus de terra et de generatione  
sua, Arvernensi videlicet, exiit, qui in terra  
demonstratæ obedientiæ, illud antiquæ bene-  
dictionis donativum recipere promeruit, quo  
dicitur : « Benedicens benedicam tibi et multi-  
» plicabo te *i*. » Audiens namque veridicæ rela-  
tionis quotidiana certitudine, quia tempore  
Theodorici regis *k*, Biturigis præsidet in archie-  
piscopali sede beatus magnusque, totius religio-  
nis decus, Sulpicius, Pius *l* laudis nomine, ad  
eum veniendi viam assumpsit *m* devoto corde :  
quem post aliquantos dies inveniens, magna ab  
eo susceptus est dilectione, et cum eo aliquan-  
diu commoratus, indicibili conjunctus est animi  
familiaritate. In ipsa mutæ dilectionis senten-  
tia permanet ille sanctus Sulpicius, pietatis et  
misericordiæ eminens columna, et ille sanctus  
Leopardinus, felix advena. Continuabant diem  
et noctem in Dei servitio, cœlesti per hoc com-  
placentes magisterio. Una autem dierum sanctus  
Leopardinus cordis sui desiderium sancto  
patri Sulpitio aperuit, indicans ei, numquam se  
velle foras ejus episcopii terminum habitatio-  
nem eligere, vel alicubi remanere; unde daretur  
ei locus in ejusdem confinio, ubi secure et  
fiducialiter posset servire omnipotenti Deo.

**¶** Cujus sanctissimam probitatem reverendus  
sanctus Sulpitius recognoscens, dignum sæculi  
memoriale, dixit ei : Vade, et, ubicumque vo-  
lueris in nostro habitare episcopii termino,  
securus remane, et cœlesti consolatus adjutorio  
vive *n*. Accepta autem paternæ benedictionis  
licentia, ad illum prædictum Portianum repa-  
travit : cui jungebatur non solummodo spiri-  
tualis, sed etiam carnalis dilectione et fraterni-  
tate *o* : cui et itineris sui vias, et prosperitatis  
suæ causas aperuit, et qualem et quantum animæ  
et corporis sui advocatum beatum invenisset  
Sulpitium *p* insinuavit, et qualiter idem præ-  
fatus pontifex in suo episcopio eum commanere  
permisisset, demonstravit. Qui beatus Portia-  
nus, fratris sui Leopardini congaudens prosperi-  
tati, gratias reddidit Deo omnipotenti, vel quia  
post aliquanta dierum spatia recepisset eum cum  
alacritate maxima, vel quia donata fuisset ei  
licentia commanendi, ubicumque ei placuisset  
in patria Biturigensi, unde idem beatus Porcia-  
nus fratri suo Leopardo multis precibus suasit,  
ne prolongatæ a se stationis sedem eligeret, sed  
talem, ut uterque alter alterum in proximo vi-  
dere potuisset.

**¶** Huic præcordiali fraternæ suasionis præ-  
catui sanctus vir Leopardinus assensum præbuit,  
et in Borbonensi vico *q* valde habitum et dele-  
ctabilem locum, Vivaris *r* nomine, expetiit :  
qui fundus erat cujusdam principis, nomine  
Ardei, secundum Deum et secundum seculum  
multa reverentia digni. Hic nobilitatem suæ  
magnæ potestatis humiliabat sub manu Dei  
omnipotentis. Unde cuilibet Christianorum  
fidelissime complacebat expetere illius conso-  
lationis manum cum beneplacito animo. Au-  
diens autem sanctus Dei Leopardinus præ-  
dictum fundum a variis *s*, ipsius Ardei *t* esse  
potestatis, supplex eum adiit, deprecatusque est  
eum, ut in oratorio, quod erat in honore Dei  
et

*D*  
sanctam ali-  
quamdiu una  
vitam degunt:

*h*

*i*

*k*

*l*

*m*

*E*

*dein Leopa-  
rdinus S. Sul-  
pitiū adiit,  
a quo ad Por-  
tianum ve-  
dux,*

*n*

*o*

*p*

*f*

*Vivariensi  
fundo dona-  
tur ab Ardeo*

*q*

*r*

*s*

*t*

**A** et sancti Symphoriani u consecratum, liceret ei persolvere Domino quotidianæ laudationis canticum. Quam petitionem, ut erat benignus, benigne suscipiens, non solum, quæ præcabitur, consentit; verum etiam post comprobatam sancti viri Leopardini stabilitatem, totum ipsum Vivaris fundum cum omni integritate eidem Beato tradidit, et condonavit sub testamento legum et chartarum, et sub principali stipulatione regum.

quem Sulpitio  
subjecit et suis  
suorumque  
virtutibus  
illustrat.  
x

**B** 6 Ipsius autem fundi donativum idem beatissimus Leopardinus sanctissimo post Deum suo advocato Sulpitio x condonavit, qui et idem beato Viro auctoritate episcopali prædictum fundum commendavit, et ad ipsum locum Vivaris exhortatum et honoratum repatriare permisit: ubi idem beatissimus vir Leopardinus postea libere et fiducialiter cum quibusdam fratribus Deo omnipotenti servivit, multosque pro Dei amore sudores ad effectum salutarem perduxit. Erat autem in divinorum operum studiis sedule deditus, orationi invigilans, misericordiæ actibus insudans, admonitionis Euangelicæ non immemor, qua primum regnum Dei quaerere jubetur, et justitiam Dei y, quotidianas cum mortificatione carnis et peccati Christo Deo hostias immolabat, eidemque opere non contraibat, quia mortuus mundo et sæculo remanebat, nam ut justitia ejus in seculum sæculi permaneret, pauperibus, viduis et orphanis dispertitor et donator necessitudinum suarum manebat hilaris. Per hæc virtutum incrementa incedens et crescens Dei misericordia, bonam suæ laudis famam circumquaque terrarum effulgurabat, illumque, sui fidissimum amicum, prædictum Ardeum, in omnibus lætificabat.

Bonus auctus  
ab Ardeo,

**C** 7 Unde ab eodem Ardeo magis semper honoratus beneficiis beatus vir Leopardinus omninoque cultui honoris annumeratus ex hoc maxime eidem viro habebatur admirabilis, quia pro oblata sibi honorificentia quantitate se in omnibus humiliabat et secundum Psalmistam se clamitabat miserum et inanem, dicens: « Ego autem mendicus sum et pauper z. » Illius nempe sanctæ Scripturæ medicamentum retinens et quasi in se quoddam antidotum superinliniens, quo dicitur: Quanto magnus es, humilia te in omnibus et invenies gratiam a Domino Deo aa. Gratiam namque a Domino Deo omnipotenti idem beatus vir Leopardinus magnam tenuit, qui per justitiæ certamina immarcessibilis gloria coronam bb de manu Domini recipere in fine dierum suorum promeruit. Hic etenim beatus vir Leopardinus in prædicto juris sui alodo Vivaris se exercebat interius, et exterius elaborabat, ut fratribus, qui in eodem loco Christo Domino serviebant, victus necessaria non deessent. Illud enim Apostolicum quotidie replicabat in animo præceptum, quod dicitur: Qui non laborat, non manducet cc. Cui et illud Propheticum promissum fidem sibi vendicabat, ut labores manuum suarum manducaret dd, de quibus in æterna satietate debriatus, et super aquam refectionis educatus, beatus esset, et bene ei in perpetuum succresceret.

in hujus usoris incurrit  
invidiam,  
ee

**D** 8 Inter cetera enim illius prædicti Vivaris alodi prædia quidam bene erat amplitudinis campus positus in Albinensi parochia ee, qui in propriis altaris usus S. Symphoriani devenerat antiquo legum sancitu. Hunc dum Vir Domini excoleret maximo cultu, et pro justis laboris recompensatione labor impositus labori

Octobris Tomus III.

ad præoptatos multiplicaretur sumptus, quædam mulier, miserrimarum miserrima, invidiæ stimulis accensa, nomine Blitildis, in propriis usus, oblita justitiæ, præsumit computare. Quam sæpius vir Domini Leopardinus a præsumptionis suæ tortitudine monuit cessare debere, ne provocaret S. Symphorianum ad injuriarum suarum incitamentum, dum suæ hæreditatis ei tolleret alodum, sed despecta exhortationis et deprecationis sancti Viri assiduitas eidem Blitildi in fine generavit ampliatis pœnas. Nam infructuosam ficulneam sicut maledixit Dominus, sic et hanc Blitildem fertur, quam maledixit S. Leopardinus ff.

AUCTORE  
ANONYMO.

**E** 9 Permanens itaque eadem Blitildis in maliarum suarum nodis, postea cepit disquirere occulte, quomodo beatum virum Leopardinum potuisset perdere. Nam in aperto hoc nec audebat facere, vel pro mariti sui Ardei timore, cujus erat conjux, vel pro nimio aliorum amore, quo idem Vir Domini vinciebatur. Unde Jesabelis infecta antiquo maledicto, infecti quondam \* deceptionis suæ instinctu etiam ipsum sancti Viri nutricium gg, vocabulo Placidum, valde nominis sui contrarium, qui per aliquot dierum spatia male postulati virus in corde suo celans zizaniam, sancto viro Leopardo, quantum occultiores, tantum graviore disquirebat insidias; in tantum scilicet, ut persuasrici hh malitiæ Blitildi in omnibus complacens per omnia assensum præberet, illamque simplicitatis et innocentia columbam, sanctum scilicet Leopardinum, perderet. Quodam namque die post peracta Missarum solemnia, quod sancto viro Leopardo quotidianus erat usus, eidem prædicto Placido commendavit, ut præpararetur sibi caballus, quo posset Colobero ii ecclesia visitare fratres velocius. Qui, corde infecto malitia, præcepto quidem sancti Viri obtemperat; sed et ad illam nequitiarum amatricem Blitildem celerius appropriat, motum ejus et viam insinuat, adesse voti sui perquisitam fortunam annuntiat, quo poterit sanctum Dei virum Leopardinum perdere, si non negligat super illud opus invigilare. Adjungit quoque ille subdolos nutricius magnæ falsitatis conventum kk, esse apud S. Symphoriani ecclesiam multarum pecuniarum quantitatem, quæ in ejus deveniret partem, si idem Vir haberet ultimum diem vitæ. A tali igitur male persuasionis nuntio animus Blitildis ignescit illico, ingenium perficiendæ nequitia excogitat, quæ sibi ille milleformis artifex præparat, qui se in angelum lucis multoties transfiguratur.

ff  
cujus jussu

\* quodam  
gg

E

hh

ii

kk

F

a scariis in  
via multis  
afficitur vul-  
neribus,

ll

**F** 10 Quatuor denique malefici discipulatus sui subselliones evocat eadem Blitildis, et conceptam et diu ruminatam animi sui rubiginem eis denudat, quibus promittit, quia, si eum eraserint perficiendo sua jussa, non remanere eos ultra in servulorum loco, sed in carorum filiorum numero. In præsentia tamen numerosam acciperent pecuniarum quantitatem, ut non fastidirent precantis dominae opus, et ut accelerarent ejus jussa perficere velocius, insinuat, et motionis illius hora eis insinuat, quia in proximo transiret per lacum, qui vocabatur Salgorus ll. Postquam insinuat transitus viæ ejus, commendat eis, ut pertranseuntem Dei Virum arriperent, mortique ac celerrime traderent, ossa quoque præmortui corporis sic in profundum terræ transponderent, ut in perpetuo inveniri non possent. Assumunt plorandæ præcepta

AUCTORE  
ANONYMO.

præcepta dominæ, et ad prænotatum locum arripiunt viam concite. Et pertransiit inde sanctus Dei Leopardinus sacerdos, Colobero in gratiam charitatis fratres, ut dictum est, visitaturus. Unde quodam die revertens, et iuxta locum sui itineris prædictos ministros obdormisse, videns, pertransiit et in uno proximo locorum, quid agere vellent, expectavit. Surgentes vero a somno, dum sanctum Dei Leopardinum redisse cognovissent, in lamentis et doloribus permanentes, et super somnolentiæ et pigritiæ suæ torpore multa conquerentes inrecuperabilis consolationis afficiebantur dolore. Quam quidem pro sui pigritia potuisset eos Sanctus Dei revertens derisui habere; sanctus vero Domini Leopardinus insanientium debacchationi auditæ condolens, martyriique coronam sitiens, eosque adpropians, illud Dominicæ Passionis pro se responsum reddidit dicens: « Ego sum, quem quæritis *mm*. » Tunc ministeriales imperatæ perditionis Sanctum Dei afficiunt pœna acerrimæ cædis. Securim quoque capiti infigunt, et sic videlicet, quasi emortuum, relinquunt.

*mm**a quibus prodigiose convalescit:**\* lege subsequentem*

B

11 Post peractæ igitur tantæ impietatis officinam, dum læti revertuntur ad Blitildem dominam suam, sanctum Domini Leopardinum cœlesti antidoto sanatum, eosque a longe subsequentes \* aspiciunt, laudes Domini acclamantem, hilarem et angelicum vultum habentem. Dumque iterum totis nisibus dolo pleni et fallacia repleti ad Dei Sacerdotem redire conarentur, ut gladio eum trucidarent nefando, tantus subito illorum mentes invasit timor et tremor, ut nemo eorum ipsum auderet respicere; sed unus post unum fugam accipiens incerti, et profugi per sylvas et concava montium huc illucque discurrerant. Tandem fessi et dilaniati corpore et veste adsistunt conspectibus dominæ. Cui aperiunt, qualiter sanctum Dei Leopardinum post multa corporis flagella, manibus et pedibus ligatis, dimisissent mortuum, securi caput percussum graviter; et qualiter eos expavisset, eosque pro sui pavore fugam inire compulisset. His vero auditis, in iram conversa illa Blitildis malevola diversis flagellis eos torqueri commendat. Sed inter flagella promittunt, in proximo satis placere voluntati dominicæ *nn*, si eis daretur locus et terminus, quo sanctum rursus invenire possent Leopardinum. Huic probrosæ promissione attestantes, se daturos inquisitionem, dimittuntur, dehinc, in deceptionem sancti viri Leopardini astutioris insidiæ causas machinantur. At omnipotentis Dei virtus et sapientia inter agendum talia beatum Leopardinum in Nivernensi pago *oo* maxima extulit celebritatis gratia.

*nn**at dein a Nivernensi matrona evocatus,**pp*

12 Erat quædam matrona in eodem pago Nivernensi, satis potestativæ dignitatis exuberans numero, et per multa dierum spatia, perditio omnium membrorum officio, solius linguæ particula fidei et necessitatum suarum partem edicere valebat. Quæ suæ domus famulos prece monuit attentius, ut trans Aleris flumen *pp* quendam eximie sanctitatis Virum perquirent, nomine Leopardinum, qui pro Christo multis affectus fuerat pœnis, pro quibus resumpturus esset in fine dierum coronam perennitatis. Insinuat eis et perfecti et habilis corporis qualitatem vultumque cum canicie capitis hilarem et angelicum: mores quoque ejus totius religionis, sanctitatis et pietatis plenu-

dinis \* insignes. Hunc tamen nunquam se vidisse, vel de eo aliquid ab hominibus didicisse, asserebat; sed ille Spiritus Domini, qui ubi vult spirat *qq*, illum talem Virum pro sui salute inquirere insinuat: exquisitæ pietatis et religionis præoptata persona invenitur, et precantis et transmittentis dominæ summa necessitas aperitur. Quam deprecationem sanctus Vir, et causa magistralis humilitatis, nec præsumptiosa suscepit; et tamen devictus innatæ sibi pietatis dulcedine in longum non distulit. Redire nuntios ad dominam jubet, illico se subsecuturum promittit in proximo; ad consueta Missarum solemniam interim præparatus \* belligerator inclytus, et inter immolatæ Redemptionis gaudia illi præmortuæ mulieri advenit sanitas diu desiderata.

D  
\* An plenitudine?*qq**\* An præparatur?*

15 Dehinc peracto oblatis sacrificii mysterio, fratribus suis et cæteris fidelibus pacem et ultimum Vale tribuit, et sui agonis cursum et terminum vitæ, spiritu Dei edoctus, appropinquare innotuit, dicens: Appropinquat mihi vitæ meæ finis, quia callida invectione Blitildis illum nostrum nutricium, nomine Placidum, deputatum *rr* ecce doleo: initium virum suarum bonæ spei fructu consecrans, oblitus fructuosæ disciplinæ, oblitus moderatæ reverentiæ, finem dierum suorum expectat in posterum gemens et ululans, quam quidem super casum nostri interitus multos perquirat argumentationis anfractus. Post commendatos igitur Deo et Spiritui ejus filios, post ordinatam monasterii Vivaris necessaria, post annuntiata passionis suæ qualitatem, ad prædictam in Nivernensi pago venit mulierem. Hanc miserentis Dei misericordia invenit super adeptæ salutis et sanitatis jocundantem vota, eamque Dominici Corporis viatico muniens, et in omnibus lætam et alacrem dimitens ad consequendam victricis bravii palmam idoneam talem Dei Servus invenit viam.

*prædicta necesse sua.*

E

*rr*

14 Transmeato igitur Aleris flumine, prospicit ille S. Leopardinus, amator veritatis et justitiæ, illos veterosque impietatis ministeriales, quos pro interfectionis sui peccatis, prece et imperio quondam conduxerat Blitildis malivolo animo, quos super suæ interfectionis argumentum cupidus et stibundus recognoscens, eorumque rabiem non expavescens, imitator illius, qui dixit « Ego sum via, veritas et vita *ss*, » inchoatam viam non dimisit, a veritatis tramite non omittit \*, sed pro ea \* in futurum ad vitam perennitatis feliciter pervenit. Sic illa miserorum effera rabies illum Dei amicum, concivem angelorum, magnamque solamen hominum, sanctum scilicet Leopardinum comprehenderunt, durisque loris vincientes a conspectu pertransentium hominum abduxerunt, et tetris profundissimæ sylvæ locis transposuerunt, ubi stibundam vesaniam insanientis animi cædibus, verberibusque, flagellis et distortionibus in Sancti corpore superimpositis exsaturantes, illud pretiosum capitis margaritum Nonas Octobris pene reddiderunt truncatum. Defendebat *tt* autem caput tamen in exanimi corpore jam in cælestem \* regis insertum diademate. Sic ille sectator Dei egregius Leopardinus martyr est palmam consecutus, et in illorum numero adseiscitur coronatus, qui Jezabelis et Herodiadis reprehendentes præsumptionem, mercati sunt perpetuam ad \* gloriæ et honoris coronam per æquissimum recompensatorum meritorum Dominum nostrum Jesum Christum.

*in reditu fœde occiditur.**ss*F  
*\* lege: recessit, vel quid simile per eam**\* lege: caele-**\* Abundat.*

ANNOTATA

A

## ANNOTATA.

- a *Lib. Sap. cap. 8, v. 1.*  
 b *Ms. Saviniacense apud Borbonienses, a Chesno suppeditatum* : Societatis.  
 c *Ms. Saviniacense rectius* : per istam enim etc.  
 d *Colitur die 24 Novembris in Arvernia, Galliarum provincia, in qua prioratus Ordinis modo Benedictini et oppido nomen dedit.*  
 e *Ms. Saviniacense* : reddebatur, minus recte.  
 f *Psalm. 125, v. 6* : Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.  
 g *Ms. Saviniacense* : Repromissionis.  
 h *Ita fere Gen. 12, v. 1.*  
 i *Sic fere partim eodem cap., v. 5; partim 17, v. 2.*  
 k *Theodericus, Clodovei filius, regnavit ab anno 511 usque ad annum 555, sub quo S. Portianus floruit, ex num. 6 Commentarii prævii* : Theodericus alter, Childeberti filius, ab anno 596 usque ad annum 615.  
 l *Pius dicitur, ut secernatur a Sulpitio Seniore, Bituricensi item episcopo* : sedit autem Biturica, quæ cognominis in Gallia provinciæ (le Berry) caput est, Bourges Gallis dicta, secundum Galliarum Christianarum auctores scriptores tom. II ab anno 624 usque ad annum 644. Acta ejus habes tom. II Januarii a pag. 167.  
 m *Sed qui S. Leopardinus, S. Portiani, qui anno 525 sentum attigerat ex num. 6 Commentarii prævii, frater, ut Acta habent num. 1 sub finem, ad annum 624 vel Sulpitii Pii, jam Bituricensis episcopi, ætatem pervenire potuit? Qui ad Theoderici Junioris, anno 615 defuncti? Aperta igitur hic est contradictio; videturque Theoderico Juniori substituendus Senior, de quo ad lit. k; Sulpitio vero Pio S. Simplicio aut alius quisquamque illius ætatis Bituricensis episcopus. Vide dicta in Commentario prævio num. 10.*  
 n *Addit Vita Brevior, S. Sulpitium abeuntis S. Leopoldino prædixisse martyrium.*  
 o *Parum constanter hic SS. Leopoldini et Portiani ætas cum S. Sulpitii Pii ætate copulatur* : quare aut S. Leopardinus S. Porciani frater non fuit, aut cum Sulpitio Pio versatus non est. Videntur autem probabilis S. Leopardinus et Porcianus fratres fuisse et S. Sulpicio Pio seniores. Vide dicta num. 9 et seqq.  
 p *Imo forte S. Simplicium. Vide supra lit. m.*  
 q *Galliarum provincia, quæ Arvernis, Foresis, Burgundis, Nivernensibus et marchia Lemovicensi cingitur.*  
 r *Loci hujus notitiam vide num. 25.*  
 s *Lege Vivaris, ut habet Ms. Saviniacense.*  
 t *Hic aliunde mihi non est notus.*  
 u *Martyris, ut reor, Augustodunensis, qui colitur die 20 Augusti, et tum Biturica, tum in Arvernia, et per Gallias alibi plures suo nomini consecratas habet ecclesias.*  
 x *Imo forte S. Simplicio, aut alteri Bituricensi episcopo ejusdem fere ætatis. Sæculi xi instrumentum, in quo idem asseritur, habes num. 51 et seq. : verum erroris suspectum. Vide num. 55 et 54.*  
 y *Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus. Matth. 6, v. 33.*  
 z *Psalm. 59, v. 18.*  
 aa *Eccles. 5, v. 20.*  
 bb *Ex Epist. 1 Petri cap. 5, v. 4.*

cc *Ad Thessalon. 2 cap. 5, v. 10* : Quoniam si quis non vult operari, nec manducet.

dd *Labores manuum tuarum quia manducabis* : beatus es et bene tibi erit. *Psalm. 127, v. 2.*

ee *Gallice Aubigny. Vide num. 24, ubi loci hujus notitiam habes.*

ff *Id de Viri sancti mansuetudine non erat tam facile suspicandum.*

gg *Id est, alumnus, seu cui vitæ necessaria Leopardinus suppeditabat* : eremitam fuisse, ait recentior auctor *Ms. Rotomagensis, nec ipse fidei admodum magnæ.*

hh *Persuatrix habet Plautus* : criminis stimulatricem intellige.

ii *Ignotum hodie monasterium* : forte quod Gallice Columbier D. Beaumier in Tabula Archiepiscopatus Bituricensis vocat, et ad Carum fluvium (la Cher) inter S. Amantii cenobium et Burbonem Archembaldi (Bourbon l'Archembald) collocat, a Vivariensi monasterio non admodum remotum.

kk *Lege* : Commentum, ex *Ms. Saviniacensi.*

ll *Locus mihi ignotus.*

mm *Ex Evangelio Joannis cap. 18, v. 4 et 5.*

nn *Seu Domine, ut in Ms. Saviniacensi.*

oo *Galliarum provincia et urbs* : Bituriges ad Occasum, Borbonios seu Bojos ad Meridiem habet : e Vivariensi monasterio Nivernum euntibus superandus est Elaver fluvius, de quo littera proxime seq.

pp *Alias Elaver, Arverniam et Borboniensem provinciam rigans et infra Nivernum in Ligerim cadens* : Gallis l'Allier.

qq *Evangelium Joannis cap. 5, v. 8.*

rr *Depravatum legitur rectius in Ms. Saviniacensi.*

ss *Evangelium Joannis cap. 14, v. 6.*

tt *Ms. Saviniacense melius* : Dependebat.

AUCTORE ANONYMO.

## CAPUT II.

## Quæ Martyris necem sint secuta.

Ministri igitur officinæ illius immiserabilis exsaturati et inebriati sanguine martyris S. Leopardini, fossam suffodiunt altissimæ profunditatis, ut inibi ita S. Leopardini martyris corpus celaretur, ut nunquam inveniretur. Sed illi miseri nescientes, quia non est potestas, non est consilium contra Dominum, quantum celare contendunt perversitatis suæ tyrannidem, tantum id manifestatur per totum orbem. Quanti denique sanctus idem Vir in vita sua apud Deum fuerit, testantur multa et admiranda miracula, quæ facta sunt in pretiosi corporis sui demonstratione et inventione sanctissima, quæ cuilibet fideliori vel fidelissimo, si fuerint admiranda, non erunt tamen incredibilia. Quoniam quidem, dum scierit scriptum, « Omnia possibilia sunt » credenti a » credulitatis suæ frontem sustentabit fiducialiter ad illum verum lapidem, qui, positus in caput anguli b, Veteris et Novæ legis arcana declarat impenetrabilibus augmentis jocundi prodigii.

16 Denique vir Domini Leopardinus sub profundissimo telluris aggere sepultus, dum eum nec

F Sancti corpus serobi infectum,

a

b

sed insolito lumine proditum,

ACTORR  
ANONYFO.

c

nec sui, nec vicinorum proximi reperiunt, disponente largitate Dominica, tali se præmonstrari voluit mysterio. Nam quilibet pastores pecorum minare volentes emissum sibi peculium *c* ad nota et consueta passionis pascua, cogente cælesti Artificio, illud opus evincere non valuerunt ullo modo. Unde illa numerositas quadrupedum per montes et concava vallium, per lata et invia quæque locorum ad illum properat nesciens thesaurum, quem fraudulenta malignitas servorum, jussu antedictæ Blitildis, nimia profunditati commiserat terræ. Circa hæc tenebrosa et densissima sylvæ loca depascens adventitium peculium inconsueti loci gramina, et custodes pecorum huc illucque oberrantes, mirantur vastæ et amplæ solitudinis secretum, id acclamantes, accidisse pro aliquo prodigio signorum. Inter hanc angulosam disquisitionem amica curiositatis, dum in quodam circum adjacentis sylvæ loco vertunt oculos, dexteram sancti adeo *d* dilecti martyris Leopardini super terram conspiciunt, magnumque luminare ad caput et ad pedes ejus adesse vident. Hujus admirandæ visionis signo expavescunt pastores, et in loco inusitatæ habitationis positi relinquunt pascua illa, fugiunt loca inhabitabilia, prædicant omnibus coacta negotia sui itineris et annunciant cunctis visa miracula cujusdam sepulti corporis: hujus admirandæ visionis fama, sicut lætificavit fidelium Dei corda, sic perterruit illam malæ curiositatem Blitildis. Quæ, ut suspitosus numquam requiescit, sic numquam requievit propter suam maliciam in sanctum Dei Leopardinum diu longèque retentam.

in lacum  
Ardei uxor  
demergi ju-  
bet:

e

17 Tali nuncio perterrita Blitildis subselliones suæ evocat malitiæ fautores, tum procrastinata hora *e* edicit eis pastorum viridicum nuntium super sancti martyris Leopardini corporis demonstrationem, et replicat populi gaudium, et veretur suæ exprobrationis notam, si hujus rei non evacuaverint famam. Et precatus *f* eos, ut accelerent ad suæ notitiæ locum, quo sanctum projecerat corpus, et de eo subtraherent interfecti cadaver effossum. Cui alligetur gravissima ponderis mola, sicque in profundis Hiauræ *g* gurgitibus demergeretur sine mora. Cui detestabili imperio quasi secundæ Jezabelis obtemperantes, et ad suæ certitudinis locum prope-  
*h* rantes, audita comprobant visa *h*, nam dexteram sancti martyris Leopardini foris terram, et magnas vident ad caput ejus et ad pedes ardere candelas, sed felle amaritudinis inebriati, et timori Domini in omnibus contrarii, sicut eis jussum fuerat, extrahunt ab elemento terræ sancti Martyris corpus venerabile, et sic projiciunt illud in aliud elementum Hiauræ aquæ, quasi inde non possit cum omnipotens Deus famulis et fidelibus suis ostendere vel reddere. Demerso denique sancti Martyris corpore in aquarum altissima profunditate, quasi securo et quasi victricis laboris palmam assecuta esset Blitildis, sed consilium et securitatis ejus momentum divinæ pietatis est magisterio deturbatum.

cum vero Ar-  
deo, eo loci  
forte versanti,  
Sanctus ap-  
paruisse,

18 Nam ille magnæ dignitatis Ardeus, qui semper sancto viro Leopardino manserat familiarissimus, a cujusdam senioris sui curte revertebatur, et pro exercitii et jocunditatis usu, et pro delectationis suæ apparatu obambulabat uno die secus Aleris flumen cum suo accipitre, si forte aliquam avem posset captare; et dum

huc atque illuc jocundando discurreret, accessit *D* ad prædictum lacum Hiauram, qui non longe positus erat ab Alerico flumine, et ecce, videt subito B. Leopardinum super ripam prædicti lacus residentem et sustentem in scapulis nimii candoris duas columbas. Eum quoque illuminabant altrinsecus duo luminaria supra candelabra posita. Quod postquam Ardeus vidit, oblitus joci sui, oblitus accipitris sui, intremuit, et obstupefactus fugit, regredienteque quantocumque domum, visa est illi claritas super se rutilare continuatim. Vox quoque cælestis emissa, quæ diceret: Sacerdos Domini Leopardinus in paradiso exultat letus, hodieque Blitildis igne torquetur infernali. Hoc cælesti magisterio ipse Ardeus edoctus, quod malivolo scilicet instinctu conjugis suæ Blitildis sanctus Dei Leopardinus coronam gloriæ recepisset de manu Domini, domum subintrat, ut, si ita esset rei veritas, disceret. Perquisita itaque Blitildis conjux de salute et de sospitate sancti viri Leopardini, elatiori fastu respondit, nec scire, nec curare illius inepti claritatem: nec qualemque vitam vel mortis habeat discrimen. At ille amator Dei non infimus Ardeus, quem *E* sancti Viri succendebat zelus, superbienti mulieri indignans, caput ipsius baculo, quem manu tenebat, percussit, et audita et visa illi replicavit.

19 Quæ nimium despexit, et hæc verba indignans evomuit: Scire pro certo poteris, quia si aliquod virtutis signum per illum Virum unquam factum fuit, tuum amicum, Leopardinum, statim vilioris mei mancipii quantalacumque persona in Sanctorum fortissimorum transnumerabitur numerum, et gratiam S. *f* superbientis et indignantis mulieris falsiloqua responsa eidem genuerunt imposterum animæ damna et corporis morticina. Interim audito visionis talis signo, et doloris sui augmentum celans Blitildis in animo, suæ impietatis fautores evocat, et magnis pecuniis eos obligat, et majora promittendo horatur eos, ut ad certas Hiauræ lacus profunditates veniant, et exinde Martyris corpus tam mirabiliter se demonstrantis abstrahant: non dispares igitur jubentis dominæ imperio ad prædictum locum veniunt, et tunc contis et uncinis, aliorumque instrumentorum artificis Sancti corpus abstrahunt. Aliud quoque quasi sapientius commentum celandi exegitant. Paratur quoddam vas, quod dicitur Tonna, ubi Sancti reponuntur membra, et in vecta simul multa congerie lapidum in Aleris fluminis projiciunt profundum. Talis officinæ ministeriales post peracta jussa redeunt ad dominam suam alacres, quasi scilicet tunc ubi *\* esse* consilio sapientiori invento, quod vivere eos faceret cum quiete, et domina coram lætaretur pro sancti corporis perpetuali absconsione. Gavisa tali nuntio Blitildis, subintrat domum hilaris, festivum gaudium in animum inducit, quod in proximo deposuit. In se ipsa comprobans, quod dicit auctor: « Ante ruinam exaltatur cor *k*. » Nam ad purgationis locum residens, et sancto viro Leopardino detrahens, Atriæ pœna damnata, malitiarum et inventionum suarum ultima habuit consilia. Prædicta itaque Blitildis obiit cum sui probrosa memoria.

20 Quantus postea beatus martyr Leopardinus effulserit miraculorum prodigiis, nec enarrare est nostræ possibilitatis ex toto: sed in ejusdem

illa Sancti  
corpus, una  
cum saxis do-  
lio inclusum,  
rursus demer-  
gi jubet et  
morte puni-  
tur;

\* lege: usi

sed, monachi  
cujusdam  
cucullo,

A ejusdem sancti Martyris confidens post Dominum adiutorium appono dies præmeditanti, stilum assumo timidus perscribendi. Eundem autem sanctum Dei Leopardinum in profundissimis Aleris fluminis gurgitibus projectum divinæ Pietati placuit revelare tali signo, nostris temporibus non frequentius usitato. Apud S. Symphoriani martyris ecclesiam Vivaris loci quidam erat simplex et innocens monachus, qui inibi omnipotenti Deo serviebat devotus: hic pro sancti Viri amore, ejusdem oratorii locum debita colebat servitute, jejuniis et orationibus vacans, et in lege Domini invigilans, ad magnæ perfectionis ascenderat tramitem, qui, audito sancti Viri termino vite, audito passionis ejus martyrio, implacatissimo dolore cruciabatur. Quandoquidem laborum suorum sic inesperto perdidit levamen magistrale, decrecebat *l* illi quotidianus et continuus doloris stomachus, quia nesciebat, quoquo locorum sancti Patris sepultum esset corpus, perquirebat hoc indeficientissimo cordis desiderio, solumque in investigatione sua illud Canticorum ei delectabatur canere discursu assiduo: « Surgam et circuibo » civitatem, per vicos et plateas quæram, quem » diligit anima mea; quæsiivi illum et non in- » veni *m*. »

*m* *super Sancti corpore immobiliter hærente, detegitur.*

*n* **B** 21 Sed consuetudinario bono animæ investigantis sui desiderabile idem simplicitatis monachus assuefactus, dum in terris perdit viarum suarum discursus, a supremis *n* remanet perfecte consolatus. Hic post consuetæ orationis lassitudinem in somnis videt votis suis congruam visionem. Evigilans enim prædicat, apparuisse sibi in somnis quandam virum miri decoris et pulchritudinis, qui sanctam vestem, quæ cuculla dicitur, quam eidem monacho sanctus vir Leopardinus pro charitatis signo dederat, in Alarico flumine cum devotione jubet mittere. Cælesti visione utpote sitibundus tali negotio fidem accommodans, vestem assumit commendatam, et ad locum properat demonstratum, et secus ripam fluminis profundos cælesti pietati orationum et lachrymarum fundit gurgites. Orat quoque, ne privetur desiderii sui fructu, et ne visionis alacritas vanæ et inani adscribatur illusioni. Assumptis denique pennis fidei, quæ transponit montes de loco ad locum secundum veridicum dictum Evangelii *o*, vadit prædictus monachus ad insinuatum locum, et jactat cucullam in flumine. Hæc in mediis fluctibus, angelicis deducta manibus, ubi sanctus Leopardinus erat, ostendit, et monachum lætum reddidit. Ipsa denique vestis per aliquot horarum spatia super sancti Viri corpus manebat immobilis, prædicens, eo loci adesse thesaurum incomprehensibilis pretii, qui desideratus diu fuerat, multis quoque delectabilis manebat.

*o* *et sponte ex imo fluminis ad ripam appellitur;*

*p* **C** 22 Quod ille simplicitatis videns monachus, multusque utriusque sexus populus, super stupendi miraculi signum sentiunt diversi diversum, conjicientes quidam et eundem Sanctum Dei velle locum inhabitare, ubi vestem religioni deputatam vidissent tam leniter et tam morose remansisse. Sed ille, cui non inerat temporaliter scire, quod regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud *p*, fide tamen devicit, quod terreno artificio non potuisset, si ad illud opus se vertisset. Nam terram lachrymarum replens rivulis, pectus tundens pulsibus assidue divinæ exauditionis fontem aperit, qui sub

momento sancti martyris Leopardini corpus a profundissimis aquarum abstractum gurgitibus ad ripam transposuit. Quod adhuc nullo artificio in vase, superius *tonna q* nominato, reconditum erat, et ubi illa malæ suasionis subsellio consentanea nimium Blifildis malignitas transposuerat, aperit illico vas prædictum et invenitur intrinsecus cælestis Imperatoris margaritum, sic adhuc illæsum atque mundum, tamquam ipso die fuisset reconditum in antro ipsius tonnæ: signum vero sui martyris *\* solummodo* circa collum apparuit in modum filii rubei. Extrahentes denique sancti Martyris corpus de illius receptaculi speciebus *r* miri odoris suavitas emanavit, quæ cinnamomi et balsami evinceret et exuperaret delectationem, omnemque transcenderet terreni boni odoris suavitatem.

AUCTORE ANONYMO.

*q*

*\* lege: martyrii*

*r*

*quod cum inde honorifice reducitur*

**E** 25 Etenim divinæ Providentiæ credimus complacitum fuisse, ut ad inventionem corporis sancti ac Dei dilectoris Leopardini multus et innumerabilis convenisset utriusque sexus populus, qui, regressus in suam patriam, enarraret visa miracula, Deum quoque benediceret mente devota, ipse denique laudabilis memoriæ Ardeus cum omni familia sua cognationisque suæ multitudine maxima ad implendum sancto corpori obsequium advenit, omnem quoque honorificentiam curam exhibuit, quæ sibi possibilitas administravit, et quantum affectum dilectionis et amoris reseraverit S. Leopardino adhuc viventi in carne, demonstravit anxius dolor et lachrymarum continua irrigatio fusa propter obitum sancti Viri. Inter multiplicia tamen honorificentiam donaria, quæ beato Viro ante consecutum finem dierum ejus obtulit, isdem Ardeus cum devotione maxima etiam de illo prænominate fundo Vivaris eidem testamentum donationis reiteravit, et ampliatis mancipiis, et adjunctis multorum prædiorum adjacentis legalibus scriptis astipulavit.

*et terræ mandatur.*

**F** 24 Post solemniam veneratione sancto corpori exhibita, dum ejusdem Martyris corpus ad sepeliendum portaretur, quod quidam advenit attendens et expectans suffragium Sancti, qui perditus erat pedum officio, et damnatus manebat oris alloquio. Nam huic nec plantæ, nec genua adjuvabant ad peragendum aliqua itineris officia, et ad incrementum miseriarum suarum et perditum habebat oris alloquium. Hoc duplex namque membrorum posse perditum restituit fides, quæ mortua est sine operibus secundum Apostoli dictum *s*, reservans *t* tamen ei vivendi thesaurus, ex quo multa et innumerable miracula per beatum Martyrem quotidie videbat fieri: incitant eum ejusdem Sancti expetere suffragium, et dum officio auditus reservato sibi cælitus intonant ejusdem Sancti miraculorum prodigia et pietatis, concalescit cor ipsius illud experiri iter salutis. His geminis sensibus sospitatis adjuncta fides pauperis submonet eum, ut adductus feretrum, quo sanctum corpus positum erat tangeret: et dum inter multam populorum turbam extensis brachiis et erectis manibus pallium, quo Sancti corpus coopertum erat, tetigit, ad sanitatem rediit, et, diruptis infirmitatum omnium nodis, hinc currere plantis, hinc Deum laudare cepit, formato sermone linguae et oris.

*s t*

**S** 26 In gestatorio namque feretri positus sanctus martyr Leopardinus præclara et spectabilia miraculorum prodigia in terris profunde-

*Sanctus interrim*

bat

AUCTORE  
ANONYMO.

bat instantius. Inter multiplicia tamen unum quoddam adjungimus speciosissimum, quod utinam nec vilitate componentis, nec rusticitate fastidiat sermonis. Sarcophagum namque ligneum, ubi sancti Martyris reponerentur membra, quidam ministri vadunt facere in quadam sylva, quæ erat scilicet in prospectu ipsius Vitaris fundi, expectantibus interim illud opus multorum populorum turbis. Dum autem ad tale negotium faciendum prospectant et circumspiciunt ministri, sicubi maneat conveniens arbor, subito vehementi ventorum impulsu una quædam abradicatur, revellitur a profunda, circumcirca autem remanentibus aliis in radicatione suæ soliditatis. Ipsam denique arborem in usus perficiendi sarcophagi tota deliberatione deputant animi; unus eorum in loco, quo submotus est arbor, introspicit apertissimæ et quantitatitatis et pulcherrimi decoris lapideum sarcophagum. Tunc vero demonstratæ benedictionis munus sodalibus suis ostendens, lætos omnes et alacres reddidit, tam pro suscepti laboris fine imposito, quam pro cælestis doni munere præmonstrato.

variis prodigiis

26 Hoc namque laudabile signum miraculorum subsequitur non dissimile, quod nos illud æternæ promissionis credere admonet Euangelicum, quo dicitur: « Quia nec capillus de capite illius peribit, qui in patientia animam » suam possidebit. » Victicris etenim patientiæ palma sanctum Dei Leopardinum consequi fecit æternæ hæreditatis gaudia, qui per justitiæ et veritatis gradus vias non metuit subire gloriosi martyrii poenas. Quanti etenim apud illum æquissimum Retributorem meritorum et laborum sanctus iste martyr Leopardinus fuerit, et per eum patrata miracula produnt, et specialiter admirabilis inventio ejus sanguinis demonstrat: a demonstrato namque lapideo sarcophago, dum antedicti carpentarii cooperculum similiter lapideum submovent, intrinsecus ampullam inestimabilis speciositatis aspiciunt, sic recenti repletam sanguine, ac si profusus inibi fuisset eodem die. Hunc namque eundem sanguinem fortitudo angelicæ administrationis, providente et dispensante divina dignatione, eo loci transposuit, dum beatus Vir capitalem sententiam temporaliter subiit. Hic tumulationem suam sanctus vir Leopardinus in gestatorio adhuc positus feretri et multa prodigia miraculorum peragit memoria digna. Nam hoc sarcophagum, quo tumularetur, divinitus præparatum demonstrat, et sui martyrii sanguis sic mirabiliter inventus affirmat. Illud autem sarcophagum ad ecclesiam S. Symphoriani apportant et in convenienti loco ad sepeliendum collocant.

illustratur.

27 Hic tantis famulantibus miraculorum signis transponitur gleba sancti martyris Leopardini in eodem sarcophago divinitus invento, et in sui tumulatione qualiter æternæ Luci complaceret, ostendit *y*: nam dum superimponitur sarcophago cooperculum, quidam cæcus inter cæterum residens populum inveteratæ cæcitatit inibi deposuit tenebras merito sancti martyris Leopardini, et assumit videndi præoptatas vias. Qui anxios miseriarum nostrarum languores interventu consuetæ pietatis in perpetuum sanet, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen *z*.

ANNOTATA.

D

a *Marci* 9, v. 22.b *Marci* 12, v. 10 et alibi.c *Id est*, Pecora.d *Ms. Saviniacense*, A Deo.e *Ms. Saviniacense* Auræ. *Videtur his verbis indicari, Blitildem postridie, quam rumor detecti S. Leopardini corporis vulgari cæperat, famulos, quos in Viri Dei adhibuerat necem, misisse, ut illud effoderent, ac alibi occulerent.*f *Recte Ms. Saviniacense*: Precatur.g *Lacus juxta Elaverem fluvium: vide num. seq.*h *Ms. Saviniacense*: Visu.i *Ms. Saviniacense*: Gratia superbientis. *Nescio, quid turbati hic est.*k Contritionem præcedit superbia: et ante ruinam exaltatur spiritus. *Proverb. 16, v. 18.*l *Saviniacense Ms.*: Accrescebat.m *Canticorum* 5, v. 2.n *Ms. Saviniacense*: A supernis.o Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, et transibit. *Matth. 17, v. 19.*p *Matth. 11, v. 12.*q *Seu dolio.*r *Lege Specubus: sic rectius Ms. Saviniacense.*s *Jacobi* 2, v. 26.t *Ms. Saviniacense*: Reservatus.u *Lege*: Aptissimæ, *ut in Ms. Saviniacensi.*x Et capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Lucæ 21, v. 18 et seq.*y *Anno 1040 honoratiori loco donatum fuit, et elevatum ab Aymone, Bituricensi episcopo. Vide num. 50 et seq. Commentarii prævii.*z *Cum de scriptore Actorum, ejusque ætate haud constet, est sane, cur, ne prodigia, quæ admodum frequentia hoc capite circa corpus S. Leopardini narrat contigisse, plus æquo auerit falsaque iis admiscuerit, merito vereamur.*

F



ACTA



## ACTA

## BREVIORA

## S. LEOPARDINI MON. MART.

*Ex veteri Ms. Lectionario  
Abbatie S. Sulpitii apud  
Philippum Labbeum t. II  
Bibliothecæ libror. Mss.  
pag. 424 et seq.*

S. Leopardi-  
nus e servo  
monachus  
factus.

a

b

B

c

d

e

f

cum suis in  
S. Symphoria-  
ni ecclesia Deo  
servit, cujus,  
cum ablata  
bona repe-  
ret.

C

g

Beatus Leopardinus, Arvernensis territorii accola, Clotarii a Francorum regis temporibus floruit. Huic extitit frater germanus sanctus Portianus b, quos prædives quidam tanquam vernaculos possidebat. Li cum vicinum quoddam monasterium identidem frequentarent, concepto altioris vitæ proposito, attonsi in monachos ab abbate recepti sunt c. Ubi cum per aliquot annos Deo pari mentis serviissent affectu, Beatus Leopardinus, audita S. Sulpitii d, Bituricæ civitatis archiepiscopi, fama, amplioris rei spe evocatus, obtenta fratris facultate, ad eundem venerabilem transit patrem, cum quo in Navensi cœnobio e non paucos transegit dies. Cum vero quodam tempore Leopardinus Sulpitio voluntatem agendæ in anachoresi pœnitentiæ insinuasset, approbata, pius pater, tam cari Sodalis voluntate, Vivariensem ei offerens fundum, et, quæ ipsi ventura erant, pronuntians, Vade, inquit, Dilecte Domini, de illius securus adjutorio : equidem ejusdem loci benevolum reperies possessorem : perfcies quoque, quod mente tractasti : verumtamen non hæc eadem absque vitæ tuæ dispendio conservabis f.

2 Egressus autem a sancto præsule ad fratrem suum venit, quem illius monasterii jam abbatem reperiens, eidem quomodo omnia ex animi sui sententia obvenissent, exposuit. Unde vero abscedens cum illic, quo tendebat, pervenisset, pro reverentia almi præsulis Sulpitii a clarissimo principe Ardeo dignissime susceptus, desiderii continuo sui compos efficitur. Ubi tantis postea refulsit virtutibus, ut in brevi fratrum multitudinem in extructa ibidem S. Symphoriani g basilica congregaret. Hæc autem ecclesia cum opportunis quibusque rebus liberalitate fidelium dotata foret, inter alia ipsius prædia, quidam erat magnæ amplitudinis campus, quem idem Sanctus cum fratribus, ut inde vitæ sibi necessaria compararent, excolebat. Bichildis vero, memorati principis uxor, nihil a mulierum detrahens ingenio, inscio absenteque viro, prædictum campum in suos suorum-

que deputat usus. Quem cum Vir sanctus re-  
peret studiosius, illa, necem ejus machinata;  
quendam ex monachis, Placidum nomine, in  
suam traxit sententiam. Cum ergo quadam die  
fratres, qui Colobero h residebant, visitasset,  
in reditu Bichildis ministros, in suam perni-  
ciem destinatos, offendit, a quibus de equo  
præceps in terram actus, lorisque graviter mul-  
tatus, ac demum impacta in caput securi non  
mediocriter vulneratus est, sed divina illico sa-  
natus ope ad monasterium citius rediit.

AUCTORE  
ANONYMO.

h

5 Post breve rursus tempus rogatus a vidua  
quodam, ut sanitatis sibi conferendæ gratia Ni-  
vernensis territorii i quantocius tenderet fines,  
licet suum jam imminere cerneret interitum,  
petenti tamen, profecturum se maturius, re-  
promisit. Convocatis itaque fratribus, singulos  
ad observanda, quæ tradiderat, vitæ instituta  
animavit, injunxitque præterea, ut quæ, Deo  
propitio, et auctore sancto Sulpitio in eisdem  
partibus susceperat a præfato principe, Navensi  
monasterio jure perpetuo possidenda trans-  
irent. Indulta igitur huic mulieri viduæ sanitate,  
cum jam reverteretur, sævissimos, sicut prius,  
passus est insidiatores, qui, impetu facto, di-  
versa eum membrorum laceratione vexarunt,  
nullaque tormentorum asperitate contenti, cap-  
tæ tandem ipsius præciderunt k.

invidiæ mulie-  
ris jussu oc-  
ciditur.

i

E

k

## ANNOTATA.

a Verosimilius hujus nominis I: vide dicta  
num. 9 et seqq. Commentarii prævii.

b Colitur die 24 Novembris: vixit tempore  
Clotarii I et Theoderici I: fuerint S. Leopardi-  
ni frater, ob Acta sibi ipsis contraria haur  
satis certum.

c Hæc Gregorius Turonensis, sæculo sexto de-  
functus, de solo Portiano narrat lib. de Vitis  
Patrum cap. 3.

d Nempe Pii seu Junioris: sed hujus ætas cum  
Portiani ætate componi non potest. Vide dicta  
num. 7 Commentarii prævii.

e In Bituricensi cœnobio, a S. Sulpitio Pio;  
ut ferunt, condito: sed incertum, quo anno; vel  
certe, quo Sulpitius illi, ut abbas, præesse cape-  
rit. Vide dicta num. 54 Commentarii prævii.  
Nunc S. Sulpitii dicitur.

f Hanc Sulpitii Pii prophetiam non memorat F  
Vita prolixior.

g De Vivariensi monasterio, cujus conditor  
S. Leopardinus fuit, vide num. 25 Commentarii  
prævii: de S. Symphoriano Annotata in cap. 1.  
Vitæ alterius litt. u.

h Vide Annotata in caput. 1 Vitæ prioris  
litt. ii.

i Vide Annotata in caput 1 Vitæ prioris  
litt. oo.

k Verosimilius non sæculo vii, quo S. Sulpi-  
cius Pius floruit, sed jam inde a sæculo vi. Vide  
Commentarium præv. § 1 a num. 9 et § 2  
numm. 55 et seq.



AUCTORE  
C. S.

D

## DE S. AUGUSTO PRESB. ET AB.

APUD BITURICAS IN GALLIA.

## SYLLOGE.

EX MARTYROLOGIIS ET S. GREGORIO TURONENSI.

POST MEDIUM  
SÆC. VI.  
Hic Sanctus,  
in vetustis

**H**aud rara est hujus sancti Confessoris in antiquis æque ac recentioribus Martyrologiis hodierno die memoria, quorum aliquot præter Confessoris titulum etiam Presbyteratus Ordinem ei adjungunt. Ex vetustioribus Hieronymianis apographis auctis Epternacense apud Florentinum sic habet: Bituricas Augusti presbyteri; Corbeienſe vero apud Acherium tom. I Spicilegii secundæ editionis pag. 19 sic: Bituricas civitate, sancti Augusti presbyteri et confessoris: Gellonense autem ibidem p. 53 Augustum pro Augusto dicens, sic: Bituricis Augusti confess. Consonat antiquissimum Autissiodorensis apud Marteneum et Durandum tom. III Anecdotorum col. 1561 eodem die sic annuntians: Bituricas Augusti confessoris. Ex contractis item Hieronymianis, quæ Sollerius noster tom. VII Junii vulgavit, Richenoviense, illum Augustum appellans, sic inquit: Bituricas, Augusti presbyteri; Labbeanum vero ibidem: Bituric. Augusti confess. Cum Augusti item nomine, tituloque Presbyteri etiam legitur, sed velut additio alio characteri, ad calcem laterculi hujus diei in Vetustiori Lucensi apud Florentinum his verbis: Et in Gallia Bituricas civitate Augusti presbyteri. Vide etiam dicta hoc ipso die inter Prætermisſos ad voces Augustalis et Augustini.

ac recentioribus Martyrologiis hodie memoratus.

2 Consonabat pariter unum e quatuor apographis Martyrologii Adoniani, quibus Jacobus Mosander pro sua illius editione usus est, in quo similiter legebatur: Bituricas civitate, S. Augusti presbyteri et confessoris; verum hæc cum a tribus aliis codicibus absens, dubius, an Adoniana essent, laudatus editor asterisco notavit, ac consentientem habuit Heribertum Rosweydam nostrum, qui eadem in sua item ejusdem Martyrologii editione, velut ab aliis Adoniano textui adjecta, in Appendicem rejecit. Inter auctaria quoque Usuardina, a Sollerio nostro una cum genuino Usuardi Martyrologio excusa, ejusdem Sancti memoriam hoc die consignat Codex Bruzellensis et Molanus, prior sic: Apud civitatem Bituricas, depositio beati Augusti presbyteri et confessoris; alter vero sic: Bituricas Augusti presbyteri. Ut mittam alios, Molanum secutus Petrus Galesinius, atque hunc Baronius, illum ad hunc diem 7 Octobris Romano Martyrologio inscripserunt his verbis: Apud Bituricas sancti Augusti presbyteri et confessoris. Haud dubie ista non legerat Bailletus, dum in Vitæ Sanctorum ad hunc diem in S. Augusto, quem Augustus vulgo appellari ait, observavit, nullam illius memoriam in antiquis Martyrologiis haberi. Porro eorum omnium, quæ adduxi, communis in ipso ad hunc eundem diem signando consensus habet

pro argumento est cultus ei aliquando delati, cujus aliud indicium alibi non invenit.

3 At, quis iste, inquit, S. Augustus est? creditur abbas S. Symphoriani fuisse, Baronio consensisse dicendus est Castellanus in Martyrologio Universali, dum Baronianæ annuntiationi, Gallicæ de more versæ, in margine adscripsit, S. Augustum, Gallicæ saint Oûl, floruisse versus annum 560, ad quod tempus laudatus a Gregorio Turonensi Augustus presbyter et abbas re vera referendus est. Neque alium crediderunt Constantinus Ghinius in Natalibus sanctorum canonicorum hoc die, Claudius Robertus in Serie archiepiscoporum Bituricensium pag. 29 in S. Desiderato, Dionysius Sammarthanus t. II Galliæ Christianæ in veteri monasterio S. Symphoriani apud Bituricas col. 120, uti et Mabilonius in Annalibus Benedictinis ad annum 557.

4 Solus, quem ego quidem legerim, Andreas Saussayus, Augustum presbyterum, hodierno die sacris Fastis inscriptum, diversum esse credit ab abbate, apud Turonensem memorato. Proinde ad diem 7 Octobris martyrologos secutus, hæc habet: Bituricis depositio sancti Augusti, presbyteri et confessoris, qui totus charitatis igne inflammatus Dei gloriam in hominum salute sollicite exquisivit, sanctæque conversationis fragrantia redolens operum suorum dignam a Christo, quem dilexit super omnia, mercedem adeptus est. Hæc ibi satis recte; at deinde eundem, velut alterum, repetit in Catalogo Sanctorum, Beatorum, Piorumque, qui (ut ait) proprias historias vel natales non habent, sed in gestis Sanctorum, in eodem Martyrologio Gallicano ejusque supplemento conscriptorum, cum laude commemorati fuerunt. Ibi itaque sequentia annotavit.

5 Augustus venerabilis abbas Bituricensis, cui S. Ursinus, monens de corporis sui repositione, sæpe sæpius apparuit. In Ursino ix Novembris. Quæ Saussayus ad diem 9 Novembris de S. Ursini apparitionibus, translatoque corpore opera Augusti abbatis memoraverat, ea Ursini gestorum scriptor hausit ex mox citato S. Gregorii Turonensis loco, in quo Augustus ille non solum abbas, verum etiam presbyter fuisse narratur. At Saussayus scilicet, cum ista non legisset, aut non meminisset, Augustum in ejusdem S. Ursini gestis laudatum omnino diversum putavit ab eo, quem cum solo presbyteri titulo in Martyrologiis consignatum noverat. Hinc etiam factum est, ut, cum de Augusto illo in Martyrologiis annuntiato nihil præter nudum nomen cum presbyteri

non recte putavit Saussayus:

A sbyteri confessorisque titulis nosset, coactus fuerit breve illi, multis sanctis presbyteris commune, ac sine ullo peculiari facto elogium texere; abbatem vero inter eos, quorum cultum cultusve diem nesciebat, reponere, ac pauciora de eo dicere, quam ex Turonensi nota sunt.

floruit autem post medium sæculum vi.

6 *Ætas, qua hic S. Augustus floruit, manifesta fit ex tempore sedis Probiani, qui S. Desiderato, anno 550 mortuo, in Bituricensem episcopatum successit, anno 553 secundæ Parisiensi synodo, annoque 737 tertiæ subscripsit atque anno 568 obiisse creditur. Hoc enim episcopo Bituricis sedente, apparuisse Augusto, tum monasterii S. Symphoriani abbati, S. Ursinum, primum ejusdem urbis antistitem, suumque mandasse corpus et terra levare, tradit laudatus S. Gregorius Turonensis, ut hujus verbis mox referemus. Huic translationi etiam adfuisse ibidem dicitur S. Germanus jam Parisiensis episcopus, circa annum 555 ordinatus, ante quem propterea annum eadem translatio non contigit; quæ si, ut Dionysius Sammarthanus tom. II Galliæ Christianæ col. 4 ait, et apud nos ad diem 1 Novembris in S. Ursino examinandum veniet, anno 558*

B *illigari recte soleat, inter hunc annumque 568, quo Probianus obiisse videtur, reponenda erit; quoto tamen anno post S. Augustus decesserit, omnino incompertum est. Cetera in Annotandis ad S. Gregorii Turonensis verba exponemus.*

Corpus S. Ursini quod diu latuerat,

7 *Hic sanctus historicus in libro de Gloria Confessorum cap. 80, quod de S. Ursino Biturigum episcopo inscribitur, in editione Theoderici Ruinartii ad propositum nostrum hæc habet: Bituriga vero urbs primum a S. Ursino, qui a discipulis Apostolorum episcopus ordinatus in Galliis destinatus est, verbum salutis accepit, atque ecclesiam Biturigensem primum instituit, rexitque; qui migrans a sæculo, in campo inter reliqua sepulcra populorum sepulturæ locatus est. Non enim adhuc populus ille intelligebat sacerdotes Domini venerari, eisque reverentiam debitam exhibere. Unde factum est, ut, incrementente terra, plantata desuper vinea omnem memoriam de primo urbis sacerdote convelleret, et usque ad tempus illud, quo Probianus episcopus urbis est subrogatus, nullus de eo sermo haberetur.*

S. Augustus gemini loci abbas,

C 8 *Fuit autem quidam, Augustus nomine, de domo Desiderati, quondam episcopi, cujus manus ac pedes ita contraxerant, ut non aliter, nisi de geniculis atque cubitis sustentaretur, si alicubi processurus vellet incedere. Is, inspirante Deo, de elemosynis devotorum apud Brihas vicum in honore sancti ac beatissimi Martini antistitis oratorium ædificavit, cujus cum in ipsum reliquias detulisset, statim directis membris, sanus effectus est. Deinde, conlectis secum paucis monachis, sub regula monasterii degens semper orationi vacabat. Unde factum est, ut in sequenti accessit ab episcopo abbas ordinaretur in basilica sancti Symphoriani, quam memoratus pontifex fabricaverat ante conspectum muri Biturigi. Nec tamen monachos, quos prius congregaverat, relinquens, sed instituens eis præpositum, ipse utrasque cellulas gubernabat.*

et S. Germanus, in somnis monitis

9 *Denique, cum apud hanc basilicam moraretur, adparuit ei sanctus Ursinus per visum noctis, dicens: Defossa humo, inquire corpusculum meum. Ego enim sum Ursinus, hujus urbis primus episcopus. Qui ait: Quo ibo, aut*  
*Octobris Tomus III.*

ubi quæram sepulcrum tuum, cum ignorem locum, ubi sis positus? At ille adprehensam ejus manum duxit ad locum, et ait: Sub harum vitium radicibus corpus meum habetur. Expergefactus abbas narravit hæc sacerdoti suo: sed ille parvipendens, quæ a presbytero dicebantur, nullum inquirendi studium posuit. Interea beatus Germanus, Parisiæ urbis episcopus, adfuit susceptusque ab episcopo, post cœnam domus ecclesiasticæ cum se sopori dedisset, adparuit utrique per visum, episcopo simul scilicet et Abbati, duxitque eos ad locum sepulcri, deprecans, ut auferrent eum a loco illo. Expergefacti simul ad vigilias conveniunt in ipsam sancti Symphoriani basilicam, explicitisque Officiis matutinis, refert episcopus Abbati, quæ viderat; confessusque est et ipse, vidisse similiter.

AUCTORE C. S.

10 *Igitur insequenti nocte accedentes illuc cum uno tantum clerico, qui cereum ferret, venerunt ad indicatum locum, eumque fodientes usque in profundum, sepulcrum reperiunt: quo detecto, amotoque opertorio, viderunt sanctum corpus, tamquam dormientis hominis, nulla putredine resolutum; quod admirantes, et iterum opertorium componentes, indicarunt episcopo data die, quæ viderant. Tunc ille, convocatis abbatibus et clero, cum honore atque psallentio levaverunt beatum sepulcrum; et quia vetes illi, quibus ferebatur, valde longi erant, cum venissent ad porticum, non poterant deflecti in ingressu ejus, ut ad ostium ædis sine labore accederent. Tunc beatus Germanus, elevata voce ait: Sancto Dei sacerdos, si voluntas tua est, in hanc basilicam ingredi, sentiamus levamen adjutorii tui. Et statim, amisso pondere, ita in summa levitate factus est sarco-phagus, ut, relictis vectibus, pauci manibus ferrent, quem usque ad locum illum multi detulerant. Et sic, celebratis Missis, gaudente populo, juxta altare sepelitur, multis se deinceps virtutibus manifestans.*

inveniunt et cum Probiano episcopo transferunt.

11 *Hæc, quæ sola de S. Augusto novimus, nostras observationes addamus. In primis pro fide narratis firmanda universim observasse juverit, Gregorium hæc synchronum vixisse. Notior est Bituriga, Bituricæ, seu Biturigum civitas, Aquitanicæ primæ metropolis, vernacule Bourges appellata, quam ut illustratione egeat. De illius primi episcopi, S. Ursini, in Galliis missionis tempore variant scriptores, quorum controversia expendenda veniet ad diem 9 Novembris, quo ille colitur, et Romano Martyrologio inscriptus est. Probiani, cui aliqui titulum Sancti adjungunt, ætatem jam exposui num. 6. Ruinartius ad hunc ipsum S. Gregorii Turonensis locum de eodem ait: Laudatur a Fortunato in Vita S. Germani Parisiensis, ubi hæc ipsa Translationis (S. Ursini) historia habetur. Ruinartium secutus hic est Dionysius Sammarthanus tom. II Galliæ Christianæ in S. Ursino ac Probiano: verum ego de hæc nihil invenio in laudata Vita, quam Mabillonius inter Acta Sanctorum Sæculi i Benedictini, et Henschenius noster ad diem 28 Maji ediderunt. S. Desideratus fuit proximus Probiani in eadem Bituricensi sede decessor, cujus obitum anno 550 illigavit Henschenius noster ad diem 8 Maji; quid tamen de ejusdem ibidem data Vita censendum sit, nihil attinet hic examinare. Vide Cointii de ea sensum in Annalibus ad annum 549 num. 70 et seqq.*

Annotationes nostræ de personis præemoris,

F

AUCTORE  
J. G.  
uti et de S.  
Martini ora-  
torio, quod  
Sanctus con-  
didit,

12 Quod spectat ad oratorium, quod a S. Augusto sub invocatione S. Martini in loco Brivas ædificatum rectumque Gregorius Turonensis testatur, observat Ruinartius, pro Brivas alibi legi Brias, additque: Habetur in archipresbyteratu Exoldunensi locus DE BRIVIS, BRIVES dictus, ubi cum ecclesia parochiali exstat prioratus, Dolensi olim monasterio subjectus, qui fortasse hic designatur. In Catalogo quoque beneficiorum diocesis Bituricensis, anno 1648 edito, in eodem archipresbyteratu Exoldunensi parœcia DE BRIVIS, BRIVES L'AUMOSNERIE; ac Prioratus de Brivis L'AUMOSNERIE DE BRIVES leguntur. Catharinus in Patronatibus Bituricensibus scribit, prioratum illum olim quidem conventualem, at suo tempore simplicem (ut vocant) fuisse, atque in gemina civitate Bituricensis, extra cujus muros situs est, anni 1412 et 1362 obsidione destructum fuisse, locumque, in quo exstabat, Dryas (forte Brias voluit dicere) appellatum.

alteroque S.  
Symphoriani,  
cui præfuit,

15 De altero, cui S. Augustum præfuisse diximus, monasterio Dionysii Sammarthani inter vetera diocesis Bituricensis monasteria sic ait: S. Symphoriani monasterium apud Biturigas auctorem agnoscit Probianum, episcopum ecclesie Bituricensis, aut Desideratum, ejus decessorem: id enim obscurum est in Gregorio. Obscuritas hæc oritur ex verbis num. 7 et 8 a me relatis, quibus et Probiani et ejusdem decessoris Desiderati, Bituricensium antistitem, mentio fit; unde dubitari potest, ad utrum referri debeant ista de S. Symphoriani ecclesia dicta: Quam memoratus pontifex fabricaverat ante conspectum muri Biturigi. Philippus Labbeus in Elogio historico ejusdem civitatis eadem de S. Desiderato interpretatus est; Catharinus vero, supra laudatus, ejusdem ecclesie fundatorem, nescio, quo argumento, utriusque decessorem S. Arcadium, de quo apud nos ad Kalendas Augusti breviter actum est, nominavit: quod certe Gregorio refragatur.

14 At multo antiquior eam eandem fecit auctor Patriarchii Bituricensis a Labbeo editi tom. II Bibliothecæ Mss. librorum, cap. 22 in eodem Arcadio, ubi ille ait: Idem gloriosus pontifex Archadius... ex hac luce subtractus Kalendis Augusti feliciter migravit ad Christum; cujus sacratissimum corpus cum debita venerationis honore traditum fuit sepulturæ in basilica Symphoriani martyris, ubi usque nunc gloriose quiescit juxta corpus S. Ursini, primi ejusdem Biturigæ civitatis episcopi; quam quidem ecclesiam fuisse olim constructam per eundem divum Ursinum, testatur Gregorius Turonensis capitulo LXXX libri in Gloriam Confessorum. Ita quidem huic auctori, qui sæculo XVI scripsit, videri potuit ex allegato Turonensis loco, quod in ejusdem exordio sanctus ille Ursinus memoratur; sed advertere debuisse, non potuisse S. Arcadium mox ab obitu in ecclesia S. Symphoriani juxta corpus S. Ursini sepeliri, quod idem Gregorius in eodem capite expresse affirmat, in eandem primum illatum fuisse a Probiani episcopo; uti et ipsemet Patriarchii compilator pramiserat in S. Ursino, ac deinde etiam repetit in Probiani, quem eodem Arcadio post S. Desideratum successisse statuit.

13 Ceterum, hæc ecclesia (ita notavit Ruinartius ad dictum locum Gregorii) nunc intra urbis muros, mutato nomine, S. Ursini appellatur, collegio canonicorum et parochie titulo insignis. Consentit Dionysius Sammarthanus tom. I Gallie Christianæ col. 120: Jam pridem, iniquiens, monasterium S. Symphoriani conversum est in collegium canonicorum secularium, nunc S. Ursini vulgo appellatum. Canonicos illos primo Regulares fuisse scribit Catharinus, sed anno 1178 a Guarino archiepiscopo communis vitæ onere exemptos; quod laudatus Sammarthanus col. 36 eodem anno ab illo factum docet, postquam frustra conatus fuerat eosdem ad communem vitam revocare, ut proinde isti jam ante ab ea observantia descivisse dicendi sint.

## DE S. PALLADIO EPISC. CONF.

### MEDIOLANI SANTONUM IN AQUITANIA II.

#### COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I, Sancti cultus a sæculo saltem XI stabilitus; Lectiones Breviarii Santonensis ei propriæ: ejus in quibusdam Martyrologiis annuntiatio et apud varios scriptores, ut vere sancti, memoria.

FORTE SUB  
ANNUM DC.  
Antistes nos-  
ter, etsi ali-  
quando, teste  
Gregorio Tu-  
ronensi, de-  
liquit, de-  
que ejusdem  
conditore;

Quos ab universa, at vel maxime a particulari aliqua ecclesia pro Sanctis haberi, Cælitumque honoribus officii cernimus, eos non ad unum omnes usque adeo innoxiam semper exegisse ætatem, quin humani aliquid passi sint, imo et vel animi perturbatione, vel naturæ vehementio-

ris impetu, subinde gravius deliquerint, cum non uno in nostro Opere demonstratum est luctuoso exemplo, tum et suo hic commonstrabit Palladius, Santonensis episcopus, quem indigenæ Saint Pallade et Saint Palais vulgo appellant. Nimirum et is homo fuit; nec ab eo proin res humanæ alienæ fuerunt. Quæ tamen censendæ non sunt, aut illius, aut aliorum Cælitum, qui lapsi in terris quandoque

A quandoque sunt, veræ sanctitati derogare, quotiescumque eas sincera penitentia exceptit, hancque eximia virtutes ornarunt, ac denique pretiosa in conspectu Domini mors coronavit, uti factum in Palladio esse, infra dicenda palam facient. Illius variis locis meminit S. Gregorius, Turonensis episcopus, atque, ut virtutes ejus intactas non reliquit, ita et, uti sincerum decuit scriptorem, delicta ejusdem, vel se vivente vel præsentem, admissa minime dissimulavit; tametsi tamen, quod hic in antecessum dicere liceat, nonnulla illius facta, ab eo scriptore notata, aliquid justæ excusationis habere non immerito queant. Hunc ego Historiæ Francorum aliorumque Operum scriptorem, utpote Palladio synchronum, multarumque, quas refert, rerum oculatum testem, tam presse ducem sequar, ut ab eo, nisi quædam prætermissa, ex aliis fontibus eruenda, aut aliqua, parcius ab eodem tradita, evolcenda latius aliunde sint, discessurus sim nuspam.

saltem ab anno 1047 ac deinceps publicum cultum habuit.

2 A Palladii ecclesiastico cultu, ac vel idcirco potissimum, quod is propter historicorum martyrologorumque longe plurimum silentium non sat certus videri posset, stabiliendo illustrandoque exordium sumo. Ac primo quidem, quod Gregorius Turonensis supra laudatus nuspam Palladio Sancti titulum adscribat, nec verbum unum de ecclesiastica ejus veneratione habeat, id vero nemini mirum videri potest, cum ille Palladio superstes non vicerit, imo contra biennio saltem ante eum excesserit et vivis; ut adeo Palladium annumerare Sanctis non poterit, nedum de cultu, qui vere Sanctis non statim ab obitu semper redditur, vel obiter meminisse. Quod autem ad classicos martyrologos rerumque Gallicarum Palladio suppare scriptores attinet, non est pariter, cur a nemine illorum eum Sanctis annumeratum esse, miremur; cum ei, uti mihi quidem videtur, vel multo serius deferri cultus cæperit, vel saltem is adeo solennis eorum ætate non fuerit, ut extra Santonensis diœcesis limites etiam increbresceret, ac speciali memoria dignus tunc foret. At vero, jam tum saltem ab anno 1047, quo charta foundationis percelebris abbatiæ S. Mariæ apud Santonas data est, præsul nostro Sancti nomen adhaesisse, atque ad ejus cultum, seu, ut tom. II Gallix Christianæ auctæ inter Instrumenta col. 482 alterius chartæ verba habent, ad serviendum S. Palladio canonicos aliquot constitutos fuisse, ex editis ibidem a col. 479 documentis, ad Santonensem ecclesiam pertinentibus, omnino manifestum est. His adde, quod tum in eisdem, tum aliis ibi excusis instrumentis modo ecclesia S. Palladii, modo parochia S. Palladii, aliæ ejusmodi nomina occurrant, ex quibus, sacras ædes sancti Præsulis nostri venerationi dicatas jam tunc existisse, indubium evadit.

uti varia ostendunt documenta,

5 Adhæc, cum, teste Dionysio Sammarthano laudato tom. II Gallix Christianæ auctæ col. 1039 et seq., veteres rituum codices, haud dubie ipsi visi, diserte testentur, capsam reliquiarum S. Palladii nostri olim gestatam in publicis supplicationibus fuisse ad implorandam de celo pluviam, consequens et hinc fit, ut jam pridem cultu ecclesiastico sanctus Præsul gavisus fuerit, tametsi nulla nos doceant monumenta, quo anno sæculove ejus exordium statui debeat. Porro antiquum hunc S. Palladii cultum nulla lapsu temporum detrimenta sensisse, at contra potius non vulgari modo increvisse, Santonensis ecclesiæ Breviarium, anno 1342 excusum, ejus excer-

ptum apographum ex Sammagloriana bibliotheca Parisiensi Oratorii D. N. J. C. mihi humanissime transmisit R. D. Thierry, sat liquido ostendit. Quippe non tantum in præfixo ei Calendario Nonis Octobris Palladio episcopo Officium 9 Lectionum præscribitur; sed et in Litanis, in eadem ecclesia concini pridem solitis, inter sanctum Trojanum, Santonensem episcopum, sanctumque Leontium, proximum nempe sui in Santonensem cathedram successorem, medius statuitur invocaturque S. Palladius, haud secus atque S. Hieronymus aliique indubii Sancti, seu exteri seu indigenæ confessores, quorum suffragia in Litanis illis Santonensis ecclesia suppliciter postulat.

4 Denique folio cxlix ejusdem Breviarii præscriptum in Calendario novem Lectionum Officium, quod saltem duplex minus tunc fuit, integrum exhibetur; quod, quatenus Sancto proprium est, hic transcribere visum fuit. Antiphona ad Magnificat in Vesperis ita habet: O Palladi egregie! O confessor præcipue! O fulgens gemma præsulum! O et Sydus eximium. In omnibus amabilis et in cunctis laudabilis, sis nobis clemens ubique, nunc et in omni tempore. Hanc excipit Oratio, his concepta verbis: Deus, qui in Abrahe, famuli tui, gremio eximium confessorem Palladium dignatus es collocare, illius salutifera supplicatione uranice patrie civibus nos interesse concede. Per Dominum etc. Mox subditur, quod tum temporis ad Matutinum Officium concinebatur Invitatorium, ita sonans: Agmina Christi pangite: adsunt enim celebria Patris nostri solemnia: Jubilemusque igitur Deo nostro unanimes, qui sibi Sanctum gratuito elegit Palladium.

3 Dein subsequuntur ternæ, quæ Sancto propriæ sunt, secundi Nocturni Lectiones, infra discutiendæ, quorum prima, quæ totius Officii quarta est, ita se habet: Palladius, Eutropii discipulus et ab eodem in fide instructus, presbyteratus ordinem suscepit. Et quomodo sanctissime se gesserit, acta ejus demonstrant: nam post mortem sancti Eutropii Santonensis ecclesiæ ordinatur. Tu autem etc. Quæ vero secundi Nocturni secunda est, æque succincte, at præ prima veritati multo conformius, his verbis Sancti gesta refert: Qui ecclesiam optime regens, Christianos tam opibus, quam monitis ac verbis salutiferis satiabat, fovebat et hortabatur: corpusque sancti Eutropii transtulit in novam basilicam, quam ipse construi fecerat. Tertia denique his verbis concepta est: Idemque Palladius Vasium, juvenem Santonicum, pro Christi fide martyrizatum, a Christianis tumultum cognoscens, basilicam eidem Vasio consecravit: in qua abbatem et monachos ordinavit, ut diu noctuque divinis inservirent obsequiis. Tandem Palladius virtutibus et miraculis plenus obdormivit in Domino. Hactenus Lectiones propriæ, quæ de constanter exhibito jam pridem S. Palladio cultu, eoque minime vulgari, dubium relinquunt nullum.

6 At, inquit, qui a Santonensi ecclesia antiquo constantique cultu afficitur Palladius, is septimo ad Lectiones Responsorio, quod ei proprium quoque est in eodem Breviario, ab omni asperitate fellis semper immunis existisse asseritur, et, quod caput est, Lectione quarta S. Eutropii, qui sæculo III pro Christi nomine martyr occubuit, discipulus, proximusque, ut verba innunt, statuitur in cathedram successor; quæ cum in Palladium nostrum, teste S. Gregorio, ab

AUCTORE  
J. G.

ipsumque Santonensis ecclesiæ Breviarii,

E

\* id est cælestis

e quo lectiones propriæ recitantur;

\* supple episcopos

\* fortasse operibus

F

quæ non alteri, quam Palladio nostro,

in

AUCTOR  
J. G.

asperioris animi noxa subinde non immunem, ac sæculi dumtaxat sexti antistitem, nequaquam cadant; necesse fit, ut non Palladius noster, sed alius quidam ei homonymus Santonensis præsul ecclesiastico apud Santones cultu gaudere asseratur. Ad hæc respondeo, cum Santonensis ecclesia in Officii sui Lectione quinta Palladium in novam basilicam, quam hic construi fecerat, S. Eutropii corpus transtulisse affirmet, quod factum ex S. Gregorio Turonensi Lib. 1 de Gloria Martyrum cap. 36 desumpsit, apertissime ostendit, non de alio Palladio se hoc loco agere, quam de quo sanctus ille scriptor citato cap. sermonem habuerat, qui utique Palladius omnino noster est. Accedit, quod eadem ecclesia S. Vasio, qui sub Alarico Gothorum rege interfectus fuit, basilicam a Palladio suo consecratam fuisse, Lectione 4 asserat, quod certe alteri, quam nostro, convenire nequit.

ut non una in his sit hallucinatio, attribui posse ostenduntur.

**B** 7 Postrema cum Palladius ille, quem Santonensis ecclesia inter sanctos suos antistites Trojanum et Leontium medium statuit, procul dubio noster sit, hunc pariter, et non alium Officio suo ecclesiastico colere indubie dicenda est; præsertim, cum alter S. Palladius, Santonensis itidem, ut vulgo placuit, episcopus, et S. Eutropii discipulus, in rerum natura existisse non probetur, uti tom. II Gallix Christianæ auct. col. 1054 etiam tradit Dionysius Sammarthanus. Erraverit igitur in eo Officii ecclesiastici auctor, quod vulgi errorem, aut minus accuratum loquendi modum secutus, Palladium fecerit S. Eutropii discipulum; fueritque etiam ultra quam fas est, sancto suo Præsuli indulgentior, cum etiam ab omni asperioris animi culpa illum eximere nixus fuit; at non ob geminam hæc auctoris hallucinationem diversus a nostro dici debet Palladius Santonensis præsul, quem hoc die ecclesia illa Officio celebrat satis solemniter, et cui soli, ut dicenda monstrabunt, cetera conveniunt omnia, quæ in Officii illius Lectionibus referuntur, quæque variis scriptoribus commemorata existant.

Eum quoque variis scriptores et Fasti ecclesiastici

**C** 8 Nec vero Santonense Breviarium dumtaxat, sed et variis ecclesiasticis Fastis, contra ac Bailletus ad hunc diem col. 105 contendit, Palladium nostrum Sanctis annumerant. Testantur id generatim Benedictini, Operum S. Gregorii Magni editores, tom. II col. 828 in suis ad S. Gregorii Papæ Epistolam quadragesimam nonam Annotationibus, et Bouquetus tom. II Scriptorum rerum Gallicarum pag. 552 in suis itidem Annotationibus ad Gregorii Turonensis libri VIII Historiæ Francorum caput quadragesimum tertium. Ex his autem ecclesiasticis Fastis duos, quos mihi videre non licuit, Dionysius Sammarthanus cit. tom. II Gallix Christ. auct. col. 1039 nominatim recenset, vetusta nimirum Lemovicensia et Santonensia Hagiologia, in quibus Sanctus noster verbis hæc annuntiat: Nonis Octobris apud Santones S. Palladii episcopi et confessoris. His præter Martyrologium Gallicanum, auctore Saussayo, cujus verba infra dabimus, consonat Burdegalensis ecclesiæ Usuardinum Martyrologium, quod apud Sollerium in Auctariis ad diem 7 Octobris Palladium nostrum ita memorat: Xantonas civitate, sancti Palladii episcopi et confessoris; ut adeo merito laudatus Sollerius in suis ad Usuardi Auctaria Observationibus pag. 585 miratus sit, cur Sanctus hic a Castellano fuerit prætermittus; nec minus mirum sit, cur in recentiori Martyrologio Parisiensi non fuerit memoratus.

9 Ipsam nunc Saussayi annuntiationem, prioribus multo uberiorem, Sanctique honorifica gesta commemorantem audiamus: Ipso die (ita ad 7 Octobris pag. 697 loquitur) in civitate Santonensi sancti Palladii episcopi et confessoris, qui, Didymo meritorum suffragiis succedens, sanctitatis et doctrinæ gloria cathedram, cui insedit, illustravit. Decoris domus Dei amator et Cælitum cultor egregius, sancti Stephani basilicam, cujus decora pangit Fortunatus, miro opere extruxit. Ecclesiam insuper condidit insignem in honorem beatorum Apostolorum Petri et Pauli, nec non sanctorum Martyrum Laurentii et Pancratii, quorum reliquias misso ad sanctum Gregorium Magnum Luparico presbytero, Apostolico munere, cum elogio pietatis Roma receptas, in eadem basilica omni cum veneratione collocavit; singulorum ipsorum Cælitum pignoribus propriis altaribus attributis, quæ in eorumdem memoriam consecravit. Et ita novem aris, quas in eadem basilica constituit, proprios tutelares cum patrocinii singulorum assignavit. Multis pressuris pius Antistes postea (imo multo verisimilius antea) exercitus est: sic Deo volente, ut, qui Sanctorum merita honorabat, vestigia teneret, et ita præmia eorumdem consequeretur.

D ac ceteris prolixius Saussayus, ex quo elogium

10 Tum ita concludit: Tandem igitur cum S. Eutropii, gloriosi pontificis et martyris, Reliquias ævo et hominum oblivione non minus, quam humo sepultas, cælesti beneficio reperisset, emeritæ in Christi obsequio militiæ et ipse demum percepit donativum. Hactenus contextum a Saussayo Sancti nostri elogium eademque expressum litterarum forma, qua is indubius Sanctos certoque cultu affectos in suo Mri. commemorare solet. Ceterum, ut, quantum fieri potest, præstitus jam pridem, nemine contradicente, S. Palladio ecclesiasticus cultus extra controversiam ponatur, itaque rationem reddam, cur eum Saussayi exemplo, nullo discrimine, contra ac Bailletus fecit, indubius Sanctis annumerem, joverit hic recensuisse, quæ Hadrianus Valesius tom. II Rerum Francicarum pag. 521 candide accurateque de Palladio scripsit, hæc nimirum verbis: Hic igitur adeo dissimilem priori novissimam partem ætatis exegit, totque ac tantis virtutibus eminuit, (cum nempe ætate esset provecior) ut post mortem ab ecclesia Sanctis annumerari meruerit, et ecclesiam eidem extra Sanctonorum muros, multasque alias in variis pagi Santonici vicis posterorum pietas nuncuparit.

E

ejus describitur, Valesius item,

11 Ex his duos nominatim exhibet Codex benesficiorum Burdegalensis, Santonensis aliarumque diocesium, anno 1648 typis editus, nempe parochias in archiepiscopatu Bouttevilano diocesis Santonensis sitas, quarum alteri vulgo nomen est Saint Pallais des Combes, alteri Saint Pallais de Verrieres. Porro idem, quod Valesius, universim etiam testatur Dionysius Sammarthanus supra laudatus, ita col. 1059 scribens: Eum (S. Palladium nostrum) agnoscent patronum plurimæ diocesis ecclesiæ parochiales, quæ adeo solito ecclesiarum more solemniter Patronorum ritu sanctum Palladium venerantur. An vero die 6 Septembris, uti ibidem subdit laudatus auctor, in nonnulli ex his ecclesiis re vera Sanctus noster colatur, edicere pro certo nequeo, cum is sui pro hoc die asserti nullum vadem adduxerit, ac ne unam quidem ex his ecclesiis, quæ, pro die 7 Octobris, eum die 6 Septembris venerantur, nominatim

aliquæ, ut vere sanctum celebrant,

**A** nominatim designet. Ut sit, certe in sua cathedrali ecclesia hoc die 7 Octobris S. Palladius antiquum cultum habuit; ut proin merito de illo ad hunc diem agamus.

**§ II. Antistitis nostri illustres natales : aditi episcopatus epocha sat prope definita. Interest Parisiensi synodo anno 573; Santonensi vero anno 579 verosimillime interfuit: Gundobaldi, in Francorum regem a quibusdam levati, jussis plus æquo paruit.**

**B** **S**tabililo illustratoque sancti Antistitis nostri ecclesiastico cultu, cuius, ut superiore § num. 2 monui, nec meminit, nec meminisse potuit S. Gregorius Turonensis, ad hunc ducentem meum, uti ante pariter spopondi, nunc redeo, ut Palladii natales gestaque prosequar. Ac primo quidem, quod ad familiam ejus attinet, testis est laudatus Gregorius Turonensis lib. de Gloria Confessorum, editionis Ruinartianæ, qua utor, cap. 60, eum ex genere quondam divitis Palladii atque adeo, uti apparet, de illa Palladiorum stirpe descendisse, qui, teste S. Sidonio Apollinare in præclara sua ad Bituriges Oratione tom. I Operum Sirmondi col. 600, aut litterarum aut altarium cathedras cum sui ordinis laude tenuerunt; quales in primis fuerunt Palladius Rhetor sæculo IV; Palladius poeta et philosophus, Æmilianus insuper dictus, sæculo V; interque Bituricenses antistites ambo Palladii, quorum alter 4, alter V sæculo floruit. Antistitem nostrum patre genitum fuisse Palladio, quondam comite Gabalitano, qui, ut Gregorius Turonensis lib. IV Historiæ Francorum cap. 40 fusius narrat, vano timore perterritus, ne a Sigiberto rege interficeretur, se ipse miserum non minus, quam mirum in modum suo gladio confodit, Bailletus ad hunc diem col. 105 conjectando adstruit; at minus probabiliter, mea quidem sententia.

**C** **15** Etenim cum anno 567, prout Cointius vult, vel anno 566, ut Ruinartius habet, miserandus Palladii illius interitus contigerit, paucisque adeo dumtaxat annis, antequam S. Palladius Santonensis episcopatus consecratus est; consecrarium fit, ut Palladius, quondam Gabalitanus omnes, si Sancti nostri, jam tum annis 50 aut pluribus nati, pater sit, quinquagenarius saltem exstiterit, utque proin ejus mater, quæ, teste S. Gregorio, interitum filii præcavere nitelatur, ac dein veluti exanimis ad occisi corpus cucurrit, matrona fuerit septuagenaria; quam propectam mulieris ætate, utpote spectatis adjunctis omnino memorabilem, verbulo indicaturus fuisse Gregorius Turonensis omnino videtur; cum tamen eam altissimo silentio involverit. Malim itaque credere, Sanctum nostrum omnino diversum a præfato comite parentem habuisse, antiquo illustrique Palladiorum ortum stemmate, in cuius proprium nomen, utpote nec a Gregorio Turonensi nec ab

aliis coævis, quos consului, proditum, operosius inquirere visum non est.

**14** Quo loco, quove tempore natus sit S. Palladius, imo quo determinato anno Santonensem cathedram ascenderit, silet Gregorius Turonensis, quod nempe Vitam ejus ex professo non scriberet. Est tamen, unde episcopatus ejus initium sat prope definiatur. Quippe cum Heraclius, ecclesiæ Burdigalensis presbyter, a Leontio, Burdegalensi metropolitano, post depositum Emerium ad cathedram Santonensem propectus, uti ex Gregorio Turonensi lib. IV Hist. Franc. cap. 26 et ex tomo II Galliæ Christianæ auctæ col. 1057 liquet, circa annum Christi 566 adhuc in vivis fuerit, eique successerint S. Concordius et Didymus, quorum prior sub annum 568, posterior circa annum 570, ut sat verisimile est, mortem obiit; consequens fit, ut non citius, quam sub eundem annum 570, S. Palladius ad Santonensem cathedram promotus fuerit. Ex adverso autem non serius; quam anno 575 ad diem 11 mensis Septembris propecto, ejus episcopatus exordium statui posse, manifestum fit ex concilio Parisiensi IV, eodem anno 575 celebrato, cui concilio Palladius, jam tum Santonensis episcopus, interfuit ac subscripsit, quemadmodum apud Labbeum tom. V Conciliorum col. 919 et seq. videre est. Oportet igitur, ut tempore inter annum Christi 570 et 575 medio ad Santonensem cathedram Sanctus noster evectus fuerit.

**15** Quæ porro causa exstiterit, cur Palladius una cum octo sanctitate inclytis aliisque multis præclaris episcopis Parisios ad celebrandam synodum evocatus fuerit, ex ipsis partim concilii Actis non abs re erit hic commemorare. Cum Carnotini territorii presbyter quidam, nomine Promotus, qui, relicta sine episcopi sui litteris cellula sua, illicite et contra canonicam disciplinam ordinatus fuerat episcopus, Carnotinæ diocesis parochiam, in provincia Lugdunensi quartam sitam, cui vocabulum Duno est, (Chateau-Dun nunc vocant) ejusdemque parochiæ facultates, quasi sub nomine episcopatus, invasisset; Pappolus, Carnotensis episcopus, apud Chilpericum regem, cuius imperio Carnotum suberat, de illata sibi sacrisque canonibus injuria conquestus fuerat. At vero, cum Castrum Dunense, etsi diocesis Carnotensis parochia, Sigiberto regi pareret, isque Promotum, subditum suum, tueri constituisset, non poterat non hinc grave scandalum in ecclesia oriri, interque ambos principes recrudescente dissensio. Guntramnus igitur, pius ille Burgundionum rex pacisque amantissimus, quo huic malo iret obviam, de Chilperici et Sigiberti consensu synodum Parisiis in S. Petri basilica, nunc S. Genovefæ dicta, habendam curavit, qua ortæ inter illos reges controversiæ et privatorum querelæ per sanctissimos episcopos dirimi et ex æquo componi possent.

**16** Ad hanc itaque synodum cum 51 episcopis unoque presbytero, vice Ricomeri Aurelianensis episcopi fungente, S. Palladius anno 575, non mense Novembri, uti apud Longuevallium tom. III Historiæ Eccles. Gallic. pag. 55 errore, ni fallor, typographico legitur, sed vel ante mensem Septembrem, vel certe ante diem 5 Idus ejusdem mensis Septembris, Parisios advenit, auditisque Pappoli justissimis querelis, una cum reliquis patribus auctor fuit, ut illa synodi, quam habes apud Labbeum tom. V Conciliorum col. 919, ederetur Constitutio, ad Egidium, Rhemensem episcopum, directa, qua Promotus, omissa severitate

AUCTORE  
J. G.

sub annum  
570 Santonensem  
cathedram ascen-  
dit.

E

et Parisiensi  
synodo, cujus  
cogendæ occasio  
refertur.

F

anno 575  
mense Septem-  
bri cum 15  
episcopis inter-  
fuit.

non tamen,  
ut videtur,  
ex Palladio  
Gabalitano  
comite natus.

AUCTORE  
J. G.

ritate canonica, ab eodem Egidio temere consecratus episcopus, de sui gradus dignitate depositus declaratur, quaque illi, qui deinceps ejusdem Promoti benedictionem aut expetent, aut accipere contenti essent, a communionis consortio vel ab ecclesiae liminibus arcerent forent. Auctor quoque cum iisdem patribus fuit S. Palladius scriptor ad Sigibertum regem epistola, qua, ut hic Promoti causam tueri desinerent, vere episcopali libertate gravitateque injunctum fuit, ne alias ipse rex divinam contra se provocaret iracundiam.

ubi et canonam prescripta egregie cum ceteris tulatus est.

17 Et quamquam tam synodi prudentissime concepta Constitutio, quam scripta ad Sigibertum regem Epistola, omniumque patrum signata nomine, optatum exitum confestim non habuerit, uti ex Gregorio Turonensi lib. iv. Historiae Franc. cap. 48 et lib. vii. cap. 17 colligitur; imo licet reges illi, peccatis facientibus, uti idem Turonensis cit. cap. 48 scribit, episcopos recta suadentes audire distulerint, nihilo propterea minori laude dignus fuit S. Palladius aliorumque octo Sanctorum ac ceterorum episcoporum zelus, quo sacrorum canonum prescripta tutari, scandalum longe ab Ecclesia propellere, ortasque inter Chilpericum et Sigibertum dissensiones componere omni studio et opera enixi sunt. Quae post solutam hanc synodum, recrudescentibus invicem Brunichildis et Fredegundis reginarum nec non Sigiberti et Chilperici regum odiis, exorta sunt bella, unde pejor, uti Gregorius Turonensis lib. iv. Hist. Franc. cap. 48 fere loquitur, in multis Galliarum ecclesiis genitus fuit, quam tempore persecutionis Diocletiani, hujus loci non est ob oculos ponere. Quapropter ad alium episcoporum seu sacerdotum primi ordinis conventum, cui S. Palladius verisimillime interfuit, ac fortasse etiam praesedit, jam gradum facio.

Santonensi synodo anno 579 verisimillime etiam interfuit.

18 Habitus hic fuit in ipsa Sancti nostri episcopali urbe, atque, uti Labbeus cit. tom. V. Concil. col. 965 et Cointius tom. II. Annal. Eccl. Franc. pag. 159 tradunt, anno Christi 579, occasione nimirum Nantini, comitis Engolismensis, quem Heraclius, non Santonensis, uti Longuevallius pag. 133 tom. III. Hist. Eccl. Gallie in Notis perperam tradit, sed Engolismensis praesul cit. tomo Galliae Christ. col. 980 memoratus, ob illatas sibi, unigue c suis clericis injurias, in vasasque ecclesiae facultates a fidelium caetu arcuerat. Is, aut ecclesiastico fulmine, quo percussus fuerat, terribus, aut criminum suorum atrocitate vel infamia motus, horumque vel vere penitens, vel veram callide penitentiam simulans, ea, qua polebat, civili dignitate auctoritateque, precibusque forsitan et melioris vitae promissis, episcopos aliquot induxit, ut in eorum conventu, qui in Santonensi urbe habendus erat, non modo se sistere posset, sed et eorum deprecatione et opera ab episcopo suo publice reciperetur in ecclesiam. Credibile est, S. Palladium, qui pro suo animarum zelo Nantinum comitem, ut ovem deperditam, ad Ecclesiae ovile reducere satagebat, postulatis ejus lubenter annuisse, ac vixis penitentiae ejus signis, auditisque in ipso episcoporum caetu promissis, quibus se Nantinus, teste S. Gregorio Turonensi lib. v. Hist. Franc. cap. 57, omnes ecclesiae res, quas sine ratione abstulerat, redditurum, seque suo antistiti demisse subjecturum pollicebatur, in primis suasisse Heraclio, Engolismensi episcopo, ut et ipse omnia, quae ab eo petebantur, supplici comiti concederet.

19 Ut ut haec habeant, concessit Heraclius,

comitem in charitate recepit Ecclesiaeque restituit; sic tamen, ut, licet ipse horrendi a Nantino commissi criminis panam non exigeret, presbyteri tamen, teste eodem Gregorio, a Nantino conto vulnerati, ac dein crudeliter suspensi, causam Deo commitendam censeret. Ita solutus est Santonensis conventus, in quo, num praeter jam memorata, quidquam aliud gestum fuerit, incompertum mihi est. Ceterum, quod hic obiter dictum sit, etiamsi Palladius ceterique antistites episcopalis clementiae laudem ea in re promeriti sint; spe tamen sua misere se delusos paulo post ingemuerunt, cum Nantinus domum reversus ea de novo scelera patravit, ob quae rursus ab episcopo suo Heraclio fidelium communionem exclusus fuit, eaque demum morte miserima occubuit, quam, uti Gregorius Turonensis jam sapissimae laudatus observat, omnes obstupescant, admirentur et metuant, ne inferant injurias sacerdotibus, quia ultor est Dominus servorum suorum, sperantium in se.

D  
in qua Nantinus comes communioni Ecclesiae restitutus est.

20 Ad annum usque 584 S. Palladius pascendo regi suo unice intentus, nullam veri antistitis partem officii praetermiserat, Deo dilectus ac hominibus, cum mense Novembri ejusdem anni Gundobaldus seu Gundovaldus quidam magnus in Gallia turbas excitavit; quarum occasione non una in infelicem nostrum Antistitem redundavit calamitas. Res paulo alius repetenda est. Gundobaldus ille, uti fere S. Gregorius Turonensis lib. vi. Hist. Franc. cap. 24 narrat, cum natus esset in Gallis et diligenti cura nutritus, ut regum istorum mos est, erinum flagellis per terga demissis, litteris eruditus, Childeberto regi, Seniori scilicet, Childeberti, anno 584 regnantis, patruo, a matre sua representatus fuerat, dicente ea: Ecce nepotem tuum, Chlothacharii regis (seu Chlotarii I) filium: et quia invisus habetur patri, suscipe eum, quia caro tua est. Hunc Childebertus Senior, eo quod sibi filii non essent, accipiens, retinuerat secum. Quae cum nuntiata essent regi Chlothachario, misit is fratri nuncios, quibus puerum dimitti atque ad se venire curavit; cui ad se adducto comam tonderi jussit, negans a se genitum esse. At post hujus regis obitum Gundobaldus a Chariberto rege susceptus fuit; verum et a Sigiberto accersitus, iterum capite tonsus est, missusque Coloniam Agrippinam; unde dilapsus, demissis iterum capillis, ut Francorum principum mos erat, ad Narsetem, qui Italiae tunc praerat, confugit, ibique uxore accepta, filios procreavit.

Palladius Gundobaldum, cujus historia ex S. Gregorio Turon. referatur.

21 Hinc Constantinopolim profectus, post aliquam in ea urbe moram, inde ut veniret in Galliam, invitatus, Massiliam in Provincia appulit, ubi a Theodoro episcopo susceptus fuit, acceptisque dein ab eo equitibus, Mummulo patricio et duci conjunctus est, qua quidem in re, uti Turonensis notat, nihil Theodorus fecit, quod ei per epistolam, manu majorum Childeberti regis subscriptam, atque a dominis suis et senioribus imperatum non fuerat. Cum vero aliquo tempore Avenione cum praefato Mummulo et Desiderio duce moratus fuisset, una cum iisdem in agrum Lemovicensem profectus est, et ad Briciam Curetiam, vicum, (Brive-la-Gaillarde indigenae vocant) parvae impositus, uti lib. vii. Hist. Franc. cap. 10 idem auctor testatur, rex est levatus; ivit dein, eodem teste, per civitates in circuitu positas, atque, ut cap. 26 narratur, in civitatibus, quae Sigiberti regis fuerant, ex nomine regis Childeberti sacramenta suscepit; in reliquis vero,

a nonnullis in Francorum regem levatum, pro legitimo principe



A vero, quæ aut Guntchramni aut Chilperici fuerant, nomine suo, quod fidem servarent, jurabant. Suscepit pariter Engolismæ jurejurando, Tolosæque admissus, Burdegalam tandem advenit, cui urbi antistes tum præerat Bertchramnus, Guntchramni regis ex matre consanguineus, a quo præsulè Gundobaldus idem majorem in modum diligebatur.

agnovit, aut saltem ejus jussis præter Canonum ordinationem paruit:

22 Dum autem, uti cap. 51 Turonensis refert, in hac urbe morarentur, Gundobaldus nempe ejusque sectatores, Faustianum presbyterum Aquensi urbi (vulgo D'Acqs sur l'Adour) episcopum ordinari præcipiunt. Nuper enim in Aquensi urbe episcopus obierat, et Nicetius comes loci illius, germanus Rustici Vici-Julienensis episcopi, præceptionem ab Chilperico elicerat, ut tonsoratus civitatis illi sacerdos daretur. Sed Gundobaldus destruere nitens ejus decreta, convocatis episcopis jussit eum (Faustianum nempe) benedici. Bertchramnus autem episcopus (Burdegalensis supra memoratus) qui erat metropolis, cavens futura, Palladium Santonicum injungit, qui eum benediceret. Nam et oculi ei eo tempore a lippitudine gravabantur. Fuit autem ad hanc ordinationem et Orestes Vasatensis episcopus: sed negavit hoc coram rege. Haecenus Turonensis; ex quo discimus, Gundobaldum a Bertchramno et hujus exemplo a Palladio nostro, uti et infra magis adhuc patebit, variisque aliis episcopis virisque Galliarum primariis pro vero Chlothacharii filio, suoque legitimo rege habitum exceptuntque fuisse, ejusque etiam mandatis morem ab iis gestum esse, et ultra quidem, uti jam nunc dicemus, quam sacri Canonis legitimo regi morem geri sinebant. Etenim cum Aquensis episcopatus Burdegalensi metropoli ex antiqua provincialium divisione non subesset, sed contra subjiceretur metropoli Elusanæ; nec Bertchramni erat Palladio injungere, ut alteri metropolitæ subditum episcopum consecraret; nec Palladii erat, ea in re, non consentiente Elusano metropolitæ, Bertchramni ac Gundobaldi jussis parere.

potest tamen prius ejus ex his duobus factum

25 Verum nihilne est, quo geminum hoc Palladii factum, cujus causa Guntchramnum regem adeo sibi ille infensum habuit, pessimeque apud quosdam audiit, excusari jure merito possit? Quod attinet ad Gundobaldi, tamquam legitimi Chlothacharii filii verique principis agnitionem, mihi quidem ea sedet sententia, si æqua lance res tota, uti supra ex Gregorio Turonensi relata est, expendatur, nihil criminis hic coram Deo admittit a Palladio fuisse. Ut autem ita existimem, hæc me præter alia impellunt. Primo quidem non constat ullo ex capite, Palladium turbas in Gallis, aut res novas molitum esse, ejusve consilio aut opera Constantinopoli evocatum fuisse in Galias Gundobaldum. Adhæc indubitatum apparet, eundem Præsulem non ante Gundobaldum pro Chlothacharii genuino filio veroque principe habuisse, quam is a Mummolo patricio et Guntchramni duce ac Desiderio item duce rex esset levatus, ac pro tali a plerisque vicinis regionibus etiam fuisset agnitus.

de omni coram Deo crimine excusari.

24 Accedit, quod, etsi Guntchramnus rex Gundobaldi illius patrem, non regem Chlothacharium, sed modo molendini gubernatorem, modo lanarium fuisse, contendisset, hæc regis Guntchramni dicta Palladius facile ignorare potuerit, aut, si ea non ignoravit, Gundobaldi matri ac Chlothacharii conjugii, Childeberto Seniori et Chariberto regibus, multisque Galliarum optimitibus, potiore fidem, quam non satis sibi in spe-

ciem coherentibus Guntchramni verbis habendam, merito existimare potuerit. Denique, cum causam Theodori episcopi Massiliensis, qui Gundobaldum primus magnifice exceperat, a rege Guntchramno discussam, et hunc, teste S. Gregorio lib. vi Hist. Franc. cap. 24 in nullo inventum crimine fuisse, indubie inaudisset; judicare meritissimo jure potuit Palladius, a se quoque sine ullo crimine honorifice excipi et pro Chlothacharii filio agnoscere posse eum, qui, teste Gregorio Turonensi, lib. viii Hist. Franc. cap. omnem principatum Galliarum se testabatur accipere, et cui suus ipsemet metropolitæ, licet Guntchramni consanguineus, lubens parebat. Error igitur Palladii, quo matris Gundobaldi, duorum Francorum regum, multorumque optimatium exemplo et auctoritate motus, Gundobaldum pro Chlothacharii genuino filio habuit, innocens certe ac sine noxa coram Deo fuit.

AUCTORE  
J. G.

25 At non sic omni culpa liberari potest idem Præsul, dum ejusdem Gundobaldi et Bertchramni jussu Faustianum episcopum Aquensem ordinavit. Quippe, tametsi sub Gundobaldo in Novempopulania, in Aquitanica secunda atisque vicinis provinciis res admodum perturbata essent, et Burdigalensi metropolitæ parere cogentur alterius metropolis episcopi, qui Burdegalensi vicini erant; imo vero, etiamsi ille, qui omnem principatum Galliarum se testabatur accipere, ipseque etiam Bertchramnus, metropolitæ Burdegalensis Faustianum ordinari episcopum præcepissent; nihilominus tamen, cum Aquensis ecclesia antiquo jure Elusanæ metropolis subderetur, essetque per sacros Canones expresse vetitum, ne quis alterius provinciæ episcopum, hujus contempto metropolitæ, aut saltem sine ejus consensu, consecrare præsumeret; hinc sacrorum Canonum præscripto potius, quam Gundobaldi et Bertchramni jussis obtemperare Palladius, omniaque proinde potius mala subire debuit, quam sine Labanis, Elusani metropolitæ, canonico consensu Faustianum ordinaret Aquensem episcopum. Quod igitur Palladius, etsi non parum renitens, contrarium fecerit, perperam certe fecit, quamquam et hoc ejus factum, spectatis temporum rerumque adjunctis, non adeo grave, nedum enorme dici debeat, præsertim si, licet non ultro-neus quidem ac plane canonicus, qualiscumque saltem (nec enim de opposito omnino constat) Elusani metropolitæ assensus affuerit, aut hujus ab eo præstandi plausibilis existimatio. Quocumque modo hæc se habuerint, erroris humanæque fragilitatis culpa potius, quam perversi animi vitio legumve ecclesiasticarum contemptu hic laborasse videtur Palladius. Ceterum quo pacto admittæ culpæ penam luerit, suus infra erit dicendi locus.

at non item facta ab eo Faustiani episcopi consecratio.

E

F



AUCTORE  
J. G.

§ III. Palladius a Guntchramno rege acerbe increpatur: ter ei non pejerasse ostenditur. Contumeliam unam sibi illatam moderate fert; non item alteram. In Synodo Matisconensi ob Faustiani ordinationem mulctatur: clericos sui obtrectatores severe castigat: indigne rursus et immerito vexatur.

Palladius  
Aurelianus  
accitus,

**C**um eodem anno Christi 585, quo jam mox dicta contigerant, Guntchramnus rex adversus Gundobaldum ingentem misisset exercitum, eoque prope urbem Convenas occiso, ac deletis, qui ei adhaeserant, ducibus, Parisios esset iturus confestim Bertchramnum, Palladium, aliosque, qui misero Gundobaldo faverant, episcopos coram delegatis a se praesulibus optimatibusque adesse iussit, factorum suorum causam dicturos. Convenere acciti antistites Aurelianus, ubi Guntchramnus interim subsistebat, illicque ante reliquos omnes, uti S. Gregorius Turonensis lib. viii Hist. Franc. cap. 2 refert, Bertchramnus ac Palladius noster abs deputatis episcopis optimatibusque discussi sunt, cur Gundovaldum suscepissent, cur Faustianum Aquis episcopum ad praerceptionem ejus, quam levissimam iudices vocabant, ordinassent. Quae in eo episcoporum optimatumque conventu ambo attulerint rationum momenta, quae primum sibi objectum crimen diluerunt, nusquam citatus Gregorius memoria prodidit, seu quod hujus liti ordinationem tanti momenti non esse crederet, ut in Francorum, quam scribebat, historia enucleate recensenda esset, seu quod allatas in medium ab utroque illo antistite rationes in vulgus spargi, aut Guntchramnus rex aut ipsemet minime probaret. Ut haec sint, Palladio certe, uti supra numm. 25 et 24 dicta ostendunt, deesse non potuerunt spernenda minime rationum momenta, quibus in recipiendo Gundobaldo omnis coram Deo sceleris purum se fuisse, manifestum redderet.

factorum suorum causam dicit, at allegatis rationibus Guntchramnum non placat,

27 Quod vero ad causam ordinationis Faustiani spectat, hanc... Palladius episcopus (verba rursus S. Gregorii Turonensis sunt) a Bertchramno metropole suo auferens, super se devolvit, dicens: Oculi metropolis mei valde doloribus artabantur, et ego spoliatus et contemptus, invitus ab eo (Gundobaldo nempe, ut Valesius rerum Francicarum lib. 15 pag. 232 exponit) in eo loco adductus sum, non potui aliud facere, nisi quae ille, qui omnem principatum Galliarum se testabatur accipere, imperabat. Verum licet Palladius invitus a Gundobaldo Aquas Tarbellicas adductus fuisset; non propterea tamen, uti et supra diximus, in ordinando praeter Canonum praescriptum Faustiano, omni culpa immunis habendus erat; sed neque, quas in hujus

causa defensionem produxerat, rationes ejusmodi erant, ut inflammatum adversus se regis animum restinguerent. Hinc, teste rursus cit. Gregorio cap. 2, mirum non est, Guntchramnum, uli sanctum principem, cognito Palladii responso, valde commotum fuisse, ita ut (Gregorium rursus audis) vix obtineri posset, ut eos (Palladium nempe et Bertchramnum) ad convivium advocaret cum reliquis, qui Aureliis erant, Galliarum episcopis. At, seu solius S. Gregorii Turonensis, qui plurimum apud regem valebat, deprecatione, seu aliorum etiam episcoporum optimatumque, qui Bertchramni et Palladii praesertim erratum excusare nitebantur, patrocinio et hortatu paulo mitior redditus Guntchramnus, tandem utrique praesuli in conspectum suum venire et convivio interesse indulxit.

28 Prius tamen quam ad mensam suam eos admitteret, ironiis haece verbis, teste ibidem S. Gregorio Turonensi, Bertchramnum compellavit: Gratias agimus, quod sic custodisti fidem generationi tuae. Scire enim te oportuerat, dilectissime pater, quod parens (seu consanguineus) eras nobis ex matre nostra, et super gentem tuam non debueras inducere pestem extraneam (ita Gundobaldum vocat.) Cumque talia et his similia Bertchramnus audisset, eodem teste Gregorio, conversus ad Palladium rex ait: Nec tibi, o Palladi episcopo, nimium sunt gratiae referendae. Tertio enim mihi, quod de episcopo dici iniquum est, pejerasti, mittens indiculos dolo sitate plenos: a me excusabaris (seu, ut alii habent, et te excusabas) per epistolas, et germanum meum (nescio, an ironice Gundobaldus, an sincere Chilpericus rex hic designetur) cum scriptis aliis invitabas. Judicavit enim Deus causam meam, cum ego provocare vos semper, tamquam Ecclesiae patres, studui, et vos circa me semper egistis dolose. Nicasio autem et Antidido episcopis, Ecolismensi nempe et Aginnensi, Bertchramnum subsecutus, dixit: Quid vos, o sanctissimi patres, pro regionis utilitate vel regni nostri sospitate tractatis, edicite. Illis quoque tacentibus, ablatis rex manibus, accepta a sacerdotibus benedictione, ad mensam resedit, laeto vultu et hilaris facie, quae nihil de contemptu suo fuisset effatus.

29 Hactenus jam saepius laudatus Turonensis, ex cujus cap. 5 et 4 etiam discimus, non modo Guntchramnum regem ab episcopis omnibus, ac proin etiam a Palladio sacerdotalem, antequam mensae accumberet, benedictionem accepisse, sed et, post decantatum ab iisdem suo jussu Psalmum Responsorium, Childebertum, adoptivum filium suum, eorum precibus commendasse, haece nempe alisque, quae apud Gregorium eundem cit. cap. 4 exstant, verbis: Unum vos tantummodo, sacerdotes Domini, deprecor, ut pro filio meo Childeberto Domini misericordiam exoretis... Unde, si oratio vestra prosequitur, poterit hic, Domino annuente, regnare. Haec rege dicente, quotquot aderant, episcopos, atque adeo et Palladium coram rege orationem fuisse ad Dominum, ut utrumque regem divina misericordia conservaret; testis est, qui simul aderat, S. Gregorius Turonensis. Tam cito conversus Guntchramni regis animus, tanquam insignis in accumbentes secum antistites comitas, horumque propensa in eum voluntas ac sua pro regni ejus incolumitate preces non leve indicium, Palladium nostrum eosque, qui Gundobaldo adhaeserant, episcopos de perfidia quidem vel perjurio aliquando

ut contra non nisi egre, ac post acerbam a rege exprobrationem ad mensam ejus admittatur;

E

F

illic regi primum bene precatus, pro regni ejus incolumitate Deum orat;

A aliquando apud regem accusatos aut suspectos utcumque fuisse, minime tamen alterutro crimine fuisse vere obstrictos.

qua ex re uti et ex aliis indicis, re ipsa cum ter regi perjurum non fuisse, probatur.

50 Et sane, tametsi Guntchrammus primum sibi in animum induzerit, Palladium eo tempore, quo sui excusandi gratia indiculos seu epistolas ad se dabat, simul aliis litteris nunciis germanum suum ad se invitasse, itaque dolo ac fraudibus usum esse; in eo non minus ab adulatoribus suis antistitutumque inimicis delusum fuisse videtur, quam dum hisce credidit, S. Theodorum, Massiliensem episcopum, causam existisse cædis Chilperici germani sui, cum tamen antistes ille extra omnem noxam esset. Adhæc, cum in concilio Matisconensi, de quo infra, discuti debuerit causa Palladii, vereque etiam discussa fuerit, nec tamen ille alterius facinoris, quam illegitimæ Faustiani ordinationis, affinis fuerit inventus; dicendum omnino videtur, revera eum ter regi non pejerasse, contra ac Guntchrammus, plus æquo subinde credulus animoque commotus, ei ante conviviū acerbe exprobravit. Ipsa denique, iudice Gregorio Turonensi lib. viii cap. 20 Hist. Franc., divina providentia episcoporum, qui regi illi ob susceptum sine suo peccato Gundobaldum aliæ ejusmodi causas invisæ erant, innocentiam tueri visa est, cum eo tempore, quo multos eorum exilio mulctare cogitabat, gravissimum ei morbum immiserit, qui, quo minus episcopis, quibus iratus erat, noceret, omnino impedivit. Atque hæc dicta sufficiant, ut ne quis Palladium nostrum tribus etiam vicibus reipsa perjurum existisse, ob sancti quidem, ac tunc nimis creduli animoque commoti regis dicta, sibi induci patiat in animum.

B 51 Nunc, unde nonnihil digressi sumus, revertamur. Guntchrammus rex cum Palladio aliisque episcopis, qui Gundobaldum susceperant, eum in modum conviviū tempore egerat, ut eos omnes nulla in re, si Faustiani ordinationem excipias, coram Deo et adversum se deliquisse, aut, si quid contra se admissum erat, id venia dignum censuisse, dici posset: cum sequenti die Dominico, alicujus, ut credibile est, aulici, Palladio infesti, falsis sermonibus circumventus, ita in Palladium rursus exarsit, ac si hic objectis criminibus revera constrictus interque primarios suos inimicos habendus fuisset. Rem his verbis narrat S. Gregorius Turonensis cit. lib. viii, cap. 7: Adveniente quoque die Dominico, rex ecclesiam ad spectanda Missarum solemnia petit: fratres vero consacerdotesque, qui aderant, locum Palladio episcopo ad agenda festa præbuerunt. Quo incipiente Prophetiam, rex interrogat, quis esset. Cumque Palladium episcopum inhiisse pronuntiassent, statim commotus rex ait: Qui mihi semper infidelis et perfidus fuit, ille nunc sacrata verba prædicabit? Egrediar prorsus ab hac ecclesia, ne inimicum meum audiam prædicantem. Et hæc dicens, egredi cœpit ecclesiam.

Paulo post rursus regem sibi infensissimum exprobratur.

52 Tunc conturbati sacerdotes de Fratrū humilitate, dixerunt regi: Vidimus enim eum convivio tuo adesse, ac de ejus manu te benedictionem accipere; et cur eum nunc rex aspernatur? Si enim scissemus tibi exosum, declinasset utique ad alium, qui hæc agere debuisset. Nunc, si permittis, celebret, quæ cœpit: in posterum autem, si aliquid opposueris, canonice sanctionis censura finiatur. Jam enim Palladius episcopus in sacrarium cum grandi humi-

sed sibi illatam contumeliam moderate fert; at non item

litate discesserat. Tunc rex jussit eum revocari, et sic, quæ agere cœperat, expedit. Nimirum id jam Palladius, tantam moderate ferendo contumeliam, egregiæ virtutis suæ præmium movit, ut, donec ejus causa in synodo aliqua discussa fuisset, ipse interim velut omnium sibi obsectorum criminum insons, dignusque, qui coram rege celebraret, antistes haberetur. Atque utinam, dum vel eodem die vel sequenti ad regis convivium iterato adscitus fuit, pari æquitate animi humilitateque excepisset contumeliosa quædam verba, quæ in eum Bertchrammus, Burdegalsis metropolita, oggessit. At hominem rursus se hic sensit Palladius, atque, ubi vel ob solam regis præsentiam tacere æquum erat, in eum, qui malorum suorum omnium caput et origo erat, probra regerenda duxit; sic, ut non se adulterii, fornicationis ac perjurii, de quibus a Bertchrammo arguebatur, sed eum ipsum Bertchrammum horum omnium reum esse contenderet. Ita enim Gregorii Turonensis verba interpretanda esse suadet tum pia altas Palladii vita, tum dubia metropolitæ istius fama, tum mox subsequutus Matisconensem synodum hujus obitus, de quo segg. num. dicitur.

53 Nunc ipsum audiamus Gregorium cit. cap. 7: Cum iterato ad convivium regis Palladius atque Bertchrammus adsciti fuissent, commoti invicem multa sibi de adulteriis ac fornicatione exprobrarunt, nonnulla etiam de perjuriiis. Quibus de rebus multi ridebant, nonnulli vero, qui alacrioris erant scientiæ, lamentabantur, cur inter sacerdotes Domini taliter zizania diaboli pullularent. Discedentes itaque a regis præsentia cautiones et fidejussores dederunt, ut decimo Calendæ mensis noni ad synodum convenirent, subituri videlicet coepiscoporum iudicium. Adfuere stato tempore Matiscone Bertchrammus Palladius, aliique plurimi e regno Guntchramni antistites, horumve legati, a quibus Palladii causa canonice discussa fuit. At tantum abest, ut triplicis perjurii, de quo a Guntchrammo, aut adulterii fornicationisque, de quibus a Bertchrammo accusatus fuerat, declaratus fuerit nocens; ut contra in eo dumtaxat reprehensione dignus inventus sit, quod Faustianum Gundobaldi jussu Aquensem episcopum, ut supra diximus, consecrasset. Quid porro in hac causa definitum a Patribus fuerit, ex S. Gregorio Turonensi cit. lib. cap. 20 recitare lubet. Interim, inquit, dies placidi advenit, et episcopi ex jussu regis Guntchramni apud Matisconensem urbem collecti sunt. Faustianus autem, qui ex jussu Gundovaldi Aquensis urbis episcopus ordinatus fuerat, ea conditione removeatur, ut eum Bertchrammus, Orestesque, sive Palladius, qui eum benedixerant, vicibus pascere, centenosque ei aureos annis singulis ministrarent.

54 Hanc sibi a Matisconensi synodo impositam mulctam, dubium non est, quin ea, quæ piū factique pœnitentem episcopum decebat, submissione animi et accuratatione Palladius solverit, ut is, cui ablata sede Aquensi sercatus cum nomine episcopatus honos fuerat, honeste seu sine ullo episcopatus dedecore ali possent. Num vero etiam Bertchrammus, Burdegalsis metropolita, et illegitimæ ordinationis auctor, eandem sibi indictam mulctam aliquando persolverit, non immerito dubitari ex eo potest, quod, teste S. Gregorio Turonensi, multo ante elapsam annum, seu mox ut regressus ex Matisconensi synodo fuit, febre cor-

AUCTOR  
J. G.

E factam sibi a Bertchrammo falsam variorum criminum exprobationem.]

F

Ex Matisconensi synodo, ubi ob Faustiani ordinationem mulctatus fuerat,

AUCTORE  
J. G.

reptus sit, paucisque post diebus spiritum exhalavit, eorum, quæ tum in Guntchramnum, tum in Palladium deliquerat, supremo Judici jam rediturus rationem. Ceterum, quæ in hac Matisconensi synodo, anno Christi 383, ut Sirmondus ostendit, habita, sapienter utiliterque a Palladio æque ac ab aliis 61 episcopis et quindecim episcoporum legati definita sancitaque, quæque et hanc subsequuta sint, hujus loci non est recensere. Quare hæc viddat curiosus lector tom. V Conciliorum Labbei a col. 979, et cit. lib. viii Hist. Franc. a cap. 20. Unum tamen est, quod, utpote ad Palladium singillatim spectans, intactum prætermittere hoc loco visum non est.

55 Cum e Matisconensi synodo in suam diocesim reversus esset Præsul noster, jamque ante compertum haberet, multos e suis clericis, a Berthramno Burdigalensi corruptos, nonnulla conscripsisse, ob quæ non exiguum subierat contumeliam; censuit, extincto jam Berthramno, inimico suo, eorumque clericorum acri defensore, de commisso adversus se a suis clericis peccato æquas penas esse exigendas. Quapropter eos non modo comprehendit, sed et, teste laudato Gregorio

B cap. 22, graviter cædi atque exspoliari jussit. Est, qui ea in re eum non parum delicto penam sumpsisse, seu justæ animadversionis modum excessisse, contendit, hujusque suæ opinionis eadem citat Gregorium Turonensem. Verum, tametsi jam mox citatus Historiæ Francorum auctor, illos clericos, nostri Antistitis criminales, graviter casos, imo et exspoliatos fuisse affirmet; non propterea tamen consequens continuo fit, eos injuria contumeliosque, ac supra quam deliquerant, affectos supplicitis a Palladio fuisse; ut adeo ingratos rebellesque filios pro meritis castigasse potius, quam ulciscendæ injuriæ gratia crudelius in eos sævisse dici debeat.

56 Non hic criminum vivo nostro Antistiti afflictorum finis fuit. Quippe anno fere et medio postquam Mediolanum Santonum reversus esset; sequè totum ad virtutum cultum, sacrorum curam, et Matisconensi synodi decretorum in sua diocesi observationem impenderet, sparsa est per Gallias ac præsertim in Guntchramni regno mendax fama, non tantum quod Fredegundis regina, Guntchramno invida atque inimica, occultos in

C Hispaniam nuntios ad Lewigildum regem, Guntchramni ejusdem hostem, misisset, sed quod legatos illos Palladius, clam tecto receptos inde transmisisset in Hispaniam. Igitur Antestius, qui a Guntchramno Andegavos missus bona Boboloni, seu Beppoloni, referendarii Fredegundis, fisco addixerat, ac dein Nonnichium, Namnetensem episcopum, veluti cædis Domnolæ participem, lacessiverat, Santonas contendit, uti Palladium, velut violatæ rursus fidei reum, comprehenderet. Erant autem eo tempore dies Quadragesimæ sanctæ, uti Gregorius supra sæpe laudatus lib. viii Hist. Franc. cap. 45 scribit, et Episcopus (S. Palladius) in insulam maris, (puta Olarionem vel Radim) orationis causa secesserat. Secundum consuetudinem autem, dum ad Dominicæ cænæ festa ad ecclesiam suam, populo exspectante, rediret, ab Antestio in via vallatur. Qui \* nec discussa rei veritate dicebat: Non ingredieris urbem, sed exilio condemnaberis, quia suscepti nuntios inimicæ domini nostri regis.

57 At ille, Nescio, ait, quid loquaris. Tamen, quia dies sancti imminet, accedamus ad urbem, decursisque solemnitatibus sanctarum fe-

D stis, postea, quæcumque volueris, oppone, rationem a me accipies: quia, quod reputas, nihil est. At ille: Nequaquam, inquit, sed non attinges limina ecclesiæ tuæ, quia infidelis adparuisti domino nostro regi. Quid plura? Tenetur in via Episcopus, domus ecclesiæ describitur, resque diripiuntur. Cives cum homine \* obtinere non queunt, ut saltem vel celebrata solemnitate Paschali discutiatur. Hisque supplicantiibus, et illo renitente, tandem patefacit vulnus, quod latebat in pectore. Si, inquit, domum, quam intra territorii Biturici terminum habere dignoscitur, meæ ditioni facta venditione subdiderit, quæ flagitatis, facio: alioquin non effugiet manus meas, nisi tradatur in exilium. Metuit negare episcopus: scripsit, subscripsitque, ac tradidit agrum: et sic datis fidejussoribus de præsentia sua ante regem, in civitatem ingredi permissus est. Transactis igitur diebus sanctis, ad regem pergit: adfuit et Antestius, sed nihil de his, quæ opponebat Episcopo, potuit adprobare. Episcopus autem ad urbem redire jubetur, et usque ad synodum futuram dilatatur, si forte aliqua de his, quæ opponebantur, evidentiis possint agnosci.

58 Hactenus laudatus jam sæpe Gregorius Turonensis, qui, cum nusquam aliquid inventum agnitumve fuisse prodatur, quo objectum Palladio crimen evinci poterit, haud obscure eum minime reum violatæ fidei fuisse, significat; idque et synodorum, in Galliis exeunte sæculo vi coactarum Acta, in quibus nulla pariter de evieto hoc ejus crimine mentio fit, non parum confirmant. Quid? Quod vel ex recitata jam mox Gregorii Turonensis narratione non immerito colligas, fuisse inter Guntchramni regis aulicos id genus hominum, qui non alio consilio se æquitati suoque principi addictissimos simulant, Ecclesiæ vero ministros aut violatæ regi fidei, aut aliorum facinororum reos agunt, quam ut addictæ ecclesiis bona invadendi occasionem nanciscantur, aut certe eorum partem aliquam, tanquam præstiti insignis obsequii præmium, in se derivent. Ceterum novam hanc, nostro Præsuli instructam calumniam, non esse, contra ac Dionysius Sammarthanus tom. II Galliæ Christianæ col. 1059 contendit, anno circiter 397 innecendam, ex eo liquido patet, quod S. Gregorius Turonensis, in hac certe re omni exceptione major testis, anno duodecimo Childeberti regis, qui cum anno Christi 387 concurrat, hoc factum illiget, uti initio præfati capitis 45 videre est. Perperam igitur idem Sammarthanus cit. loco mox subdit, eodem fere tempore hæc contigisse, quo S. Palladius ad S. Gregorium Papam Leuperculum seu potius Leuparicum, ecclesiæ suæ presbyterum, misit, ut ab eo peteret reliquias, et redditus voti composuit. Id enim anno demum 396 contigisse, sequenti §, quo novissimam, transactæque biennio ante longe dissimilem, vitæ Palladii partem prosequemur, ex ipsa S. Gregorii Papæ infra citanda epistola manifestum fit.

\* i. e. ab homine scilicet Antestio

E quam in rem nonnulla hic observantur.

Deviolata regi fide rursus accusatus,

\* alias Cui

indigne injusteque a regis aulico vexatur:



**§ IV. Reliquum vitæ tempus Sanctus eximie pietatis operibus impendit : varias exstruit ecclesias : sanctorum reliquias honorifice transfert. Ei S. Gregorius Magnus S. Augustinum, in Angliam directum, commendat. Ejus emortuale tempus nupsiam præcise definitum.**

**A** *Ad suos e Maticonensi synodo jam ante reversus Palladius, non modo Quadragesimali tempore, prout ex Gregorio Turonensi, num. 56 laudato, vidimus, orationis causa, sed et, uti dubitari via potest, sæpe etiam alias, agenda de admissis noxiis penitentia ergo vel in vicinam maris insulam, vel in alium ab omni hominum consuetudine disjunctum locum, sibi Deoque vacaturus, secessit. Neque his contentus, ampliando Dei Cæliumque cultui, exstruendis sacris ædibus, collocandis honorifice Sanctorum reliquiis, aliisque eximie pietatis operibus, quod sibi reliquum vitæ tempus erat, sollicitè juxta ac indefesse impendit. Hæc nos partim docent jam sæpissime laudatus Gregorius Turonensis, Venantius Fortunatus, S. Gregorius Papa I et Santonensis ecclesie Lectioes S. Palladio propriæ. Et quidem, quod ad divini cultus augmentum sacrarumque ædium erectionem attinet, testis est idem S. Gregorius Turonensis lib. iv de Miraculis S. Martini Turonensis episcopi, cap. 8 col. 1120, Palladium anno quatuordecimo Childeberti regis, seu anno Christi 589, in honorem S. Martini Turonensis basilicam apud Santones divino nomini exstruissè, atque, ut ea ejusdem Sancti ditaretur reliquiis, apud Turonenses precibus instituisse, nequaquam irritò, uti ex Gregorio Turonensi colligi potest, tam pio sanctoque ejus conatu.*

**B** *S. Palladius jam se totum pietatis operibus dedit.*

**C** *et S. Martino Ep. ecclesiam erigit, ejusque reliquiis datur.*

**40** *Ipsam hunc auctorem factum hoc enarrantem sisto. Præsentem vero anno (de anno quatuordecimo Childeberti regis, uti ex cap. 6 patet, Turonensis hic loquitur) Palladius, Santonicæ urbis episcopus, hujus sancti confessoris (S. Martini) reliquias petiit. Construxerat enim in ejus honorem basilicam, quam his pignoribus consecravit, meruitque ibi suscipere miracula, quæ sæpius urbs propria (Turonensis) habet experta. Nam post duorum aut trium mensium curricula litteras ejus accepit, in quibus indicavit, tres paralyticos contractis pedibus advenisse (nempe Mediolanum Santonum), qui statim ut in basilicam (a S. Palladio erectam) ingressi orationem fuderunt, directis vestigiis, sanitati sunt redditi. Duo cæci in eo loco lumen recipere, facta oratione, meruerunt, et amplius quam duodecim a febre frigoritica detenti, depulso tremore, convalescerunt. Ita illo ex datis ad se a Palladio nostro litteris, quibus hic, dum de transmissis ad Santonenses S. Martini episcopi reliquiis debitas grates egit, facta ad illas*

*opera Dei revelare et confiteri, honorificum duxit.*

**41** *Eodem circiter tempore, vel saltem post Maticonensem synodum, quidquid oppositum sentire videatur Saussayus, ædificatam a Palladio nostro fuisse S. Stephani apud Santones basilicam, vel idcirco probabilis existimo, quod ab ejus episcopatus initio, ac vel maxime sub Gundobaldo subsecutoque fere biennio turbulentior fuerit, vel Gallicarum, vel propriarum Palladii rerum status, quam ut exædificandis basilicis operam secure collocaret. Ut sit de ipso, quo S. Stephani basilica exstructa fuerit, anno; factum ipsum Venantius Fortunatus, Sancto nostro æqualis, Lib. 1, Carm. 5, quo et Sancti Protomartyris laudes simul celebrat, hisce versibus certum reddit.*

*Gloria celsa pios Domini circumdat amicos,  
Quorum diffusum vivit in orbe decus.  
Pertulit hic Martyr pro Christo Orientis in axe,*

*Ecce sub Occasu templa Beatus habet.  
Fundatus virtute Dei de morte triumphans  
Except lapides, cui petra Christus erat.  
Gens Judæa ferox, Stephanum, quem perdere*

*credis,  
Etsi carne, tamen nescit honore mori.  
Ille tenet palmam meritis, tu crimine pœnam;*

*Possidet ille polos, tu magis ima petis.  
Hæc sacra Palladius Levitæ templa locavit,  
Exstet ut inde sibi non peritura domus.*

**42** *Porro hanc S. Stephani ecclesiam Sammarthanus supra laudatus cit. tom. II col. 1095, eandem illam esse censet, quæ in Santonensi suburbio sita erat, in quam S. Eutropii, primi Santonensis episcopi et martyris, de quo apud nos ad diem 50 Aprilis a pag. 755 actum est, sacrum corpus translatum fuit, quæque postea S. Eutropii nomen obtinuit, atque in monasterium Ordinis S. Benedicti dein conversa est. Ast an hæc omnia recte? Ad stabilendam quidem primam, eamque, quæ huc facit, assertionem, laudat citatus scriptor Gregorium Turonensem lib. de Gloria Confessorum cap. 56; at perperam; cum illo libro ac capite altissimum de S. Eutropii ac S. Stephani ecclesia sit Gregorii silentium. Fortasse voluit Sammarthanus Gregorii caput 56 de Gloria Martyrum citare, ubi de S. Eutropii martyrio ecclesiaeque in ejus honorem erecta ex professo agit. At neque illic Gregorius quidquam indicat, unde S. Stephani ecclesiam in suburbio Santonensi a Palladio exstructam, aut illam cum S. Stephani basilica eandem esse, utcumque conicias. Accedit, quod ecclesiam, in quam S. Eutropii corpus ex obscuro, quo dilituerat, loco delatum fuit, non in S. Stephani sed in ipsius S. Eutropii honore ædificatum fuisse, S. Gregorius cit. cap. 56 de Gloria Martyrum discrete tradat; ac denique, quod cap. 54 de Gloria S. Stephani agens, nullam de erecta in ejus honorem basilica mentionem ingerat. Ut adeo nesciam, an non multo majori jure ecclesia illa, quam Venantius Fortunatus a Palladio nostro ædificatam celebrat, ab ea, de qua Gregorius, mox partim describendus, agit, basilica, omnino diversa esse statui possit.*

**45** *Ipsa modo Gregorii Turonensis verba, quibus, tum Palladio S. Eutropii mortis genus innotuisse, tum ab eo hujus sacrum corpus in ædificatam apud Santones in ejus honorem basilicam honorifice translatum, narrat ex cit. capite 56*

AUCTORE  
J. G.

eo verisimiliter tempore basilicam S. Stephano M. exædificavit.

que ab illa, quæ S. Eutropii nomen gessit, diversa videtur.

F

hujus S. Eutropii mortis genus cognoscit, corpus transferri curat;

AUCTORE  
J. G.

de Gloria Martyrum recitemus. Quia, inquit, eo tempore (quo nempe S. Eutropius martyr occubuit) instante persecutione, neque digno loco sepultus, neque a Christianis debito honore veneratus est, valde datum est oblivioni, eum (S. Eutropium) martyrem fore: quod hoc ordine traditur revelatum. Post multa annorum spatia (ex quo nempe martyrium subierat) in ejus honore basilica aedificata est, expletoque opere, Palladius, qui tunc sacerdotalis Ordinis cathedram regerat, convocatis abbatibus, sacros cineres in locum, quem praeparaverat, transferri studuit. Quod cum factum fuisset, duo ex abbatibus, reserato opertorio, sanctum corpus adspiciunt, contemplanturque cicatricem capitis, qua in parte defixum fuerat securis acumen. Sed ne praesens visio duceretur in inritum, etiam spiritualis haec doctrina commonuit, scilicet cum sequenti nocte stravissent sacerdotes membra quieti; apparuit per visum his duobus, dicens: Cicatricem, quam contemplati estis in capite, scitote, me per eam martyrium consummasse: et ex hoc, quod martyr esset, innotuit populis, quia non aderat Historia passionis. Ita laudatus jam saepe Gregorius, ex quo, quod hic obiter dictum sit, intelligimus, S. Eutropii ecclesiam, in quam expleto Palladius opere, inque locum, a se ad id praeparatum, sancti hujus martyris corpus deferri curavit, ab ea, quam Leontius Burdigalensis, teste Venantio Fortunato lib. 1 Carm. 15, Burdigalae renovavit, omnino esse diversam.

S. Martini  
abbatis sepul-  
crum decen-  
tiori loco non  
sine prodigio  
collocat.

44 Ad alia nunc S. Palladii pietatis documenta progrediamur. S. Martinus, Santonicae urbis abbas, (verbis S. Gregorii Turonensis lib. de Gloria confessorum cap. 37 fere utor) S. Martini, Turonensis episcopi, ut ferunt, discipulus, apud vicum urbis Santonensis in monasterio, quod ipse post magistri dogmata aedificarat, in pace sat dudum quieverat; jamque ad ejus tumulum quidam manus contractas deferens retulerat sanas; alius, qui exustis febre nervis, poplitis intortis, gressu caruerat, ut ad sepulcrum sanctum prostratus erat, novum robur sumens, ariditate sublata, incolumis fuerat relatus. Haec ergo aliaque forsane ejusmodi oblenta beneficia expendenti Palladio visum est non ferendum diutius, ut tam gloriosi abbatis sepulcrum antiquo minusque ei honorifico loco consisteret. Quapropter in decentiorem locum illud transferre pius Praesul decrevit, convocatis, qui illud secum perficerent, aut solemnem pompam interessent, compluribus dignitate praestantibus viris. At caeptis primum obstitit Deus; incertum, quae de causa. Tandem vero, ut laudatus Gregorius subdit, hujus sepulcrum Palladius episcopus, cum non valisset cum multis, opitulante adjutorio confessoris (S. Martini abbatis) cum quinque abbatibus movit, composuitque, quo voluit.

Duorum san-  
cte mortuo-  
rum tumulus,  
quem honesti-  
ori loco re-  
ponere nite-  
batur,

45 Simile quid Antistiti nostro eodem circiter tempore accidisse, idem Gregorius Turonensis eodem lib. cap. 60 testatur, ex quo rursus, quantopere Palladius diligeret decorem domus Dei, Sanctorumque cultus augmentum, intelligi datur. Rem totam ejusdem scriptoris verbis recenseo. Haud procul ab hujus (S. Troiani nempe Santonensis episcopi, de quo praecedenti cap. egerat) confessoris aede erat oratorium parvulum, et in angulo, unde arcus oriebatur, erat magnus sarcophagus, in quo ferebatur, sepultos

fuisse duos, sponsum scilicet et sponsam, (diversos ab iis, qui apud nos die 25 Maji SS. Duomantes vocantur) qui post baptismum in albis positi, a seculo discesserant: hos etiam affirmabat antiquitas, fuisse ex genere sancti Pictaven-  
sis Hilarii. Hoc ergo sepulcrum tali in loco situm, non modo pervium arcebat ingredientium, verum etiam, qualiter paries, qui ab stillicidio infusus fuerat, emendaretur, quia esset contiguus, inhibebat. Qua de causa Palladius, Pontifex civitatis, qui ex genere quondam divitis Palladii descenderat, removere ipsum a loco summo nitebatur studio, ita ut, conjunctis amplius trecentis viris, cum funibus trahere et vectibus impellere conaretur, positam jam lapidibus, super quos hic sarcophagus locaretur.

46 Denique impenduntur totae vires trahentium, sed non valent mutare \* sepulcrum: frons cuncta sudore perfunditur, sed opus validum non impletur: voces dantur hortantium atque dicentium: Eia, age, trahere funem, sed non movetur omnino sepulcrum. Quid plura? Lassantur omnes in opere, et, intercedente nocte, petunt cuncti dare quietem. Illicet ubi transactis nocturnis tenebris, novum inluxit mane, anxius cogitatione Sacerdos (S. Palladius) rogat iterum procedere suos ad oratorium, ipse anticipans cunctos; ingrediensque invenit ipsum super ipsos, quos composuerat, lapides, omni firmitate subsistere. Admiransque Dominum glorificat, qui potenti virtute perfecti, quod manus humana nequivit. Horum tamen nomina nulli sunt revelata. Haecenus Turonensis, in cujus postrima verba adnotat Ruinartius, nullam esse horum apud Santonas memoriam, ignorari quoque oratorii situm, sicut et ecclesiam S. Troiani, cujus nullum superest vestigium. At saltem bene habet, quod et hoc S. Palladii pietatis documentum S. Gregorius in litteras miserit, firmissimis quibuscumque aedificiis diuturniores.

divinitus  
transfertur.  
\* an non forte  
legendum  
movere?

47 Dum his aliisque sanctis operibus pius Antistes indefessus instabat, incessit ejus animum cupido insignem aliquam Santonensi in urbe in SS. Petri et Pauli nec non Laurentii ac Pancratii martyrum honorem exstruendi ecclesiam, in eaque collocandi tredecim altaria, quae ex jam tum antiquo ecclesiae more Sanctorum reliquias continerent, seu sepulcrorum vice iis essent. Igitur, uti ex Epistola S. Gregorii Magni, anno Christi 596 ad S. Palladium data, intelligimus, Leuparicum ecclesiae suae presbyterum, Santonensis Praesul Romam direxit, qui suo nomine ab eodem summo Pontifice praedictorum quatuor Sanctorum reliquias expeteret, dicandis Deo in eorum honorem altaribus inserendas. Annuit piis huius Palladii votis S. Gregorius Magnus atque eidem Leuparico epistolam ad eum perferendam dedit, quam huic loco integram inserere, abs re fore, non arbitror.

Insignem 15  
altaribus ec-  
clesiam erigit.

48 Hisce verbis tom. V Concil. Labbei col. 1240 concepta est: Gregorius Palladio episcopo Santonis. Veniens lator praesentium Leuparicus presbyter insinuavit nobis, fraternitatem vestram ecclesiam in honorem beatorum Petri et Pauli Apostolorum, nec non Laurentii atque Pancratii martyrum construxisse, atque illic tredecim altaria collocasse, ex quibus quatuor necdum dedicata comperimus remansisse, ob hoc, quod supradictorum Sanctorum reliquias illic collocare, Deo annuente, disponitis. Et quia reliquias sanctorum Petri et Pauli nec non Laurentii

In quibus  
Sanctorum  
reliquias  
collocat:

A rentii atque Pancratii martyrum cum veneratione præbimus, hortamur, ut eas cum reverentia suscipere et collocare, auxiliante Domino, debeatis; provisuri ante omnia, ut servantibus ibidem non debeant alimoniarum deesse suffragia. *Ejusdem argumenti epistolam per eundem Leuparicum ad Brunichildem, Francorum reginam, deferendam scripsit Gregorius Magnus, datam, uti Cointius ad annum Christi 596 et editores Benedictini tom. II Operum S. Gregorii Magni col. 828 recte docent, Indictione quarta-decima CPolitana, atque adeo anno Christi 596, ad mensem Septembrem nondum provento.*

in S. Vasii honorem ecclesiam et cenobium extruit.

49 *Eo circiter tempore aliud hæc eximie pietatis operibus non impar edidit Palladius, uti Officii ejus Lectio sexta et S. Vasii Martyris Acta tom. II Aprilis pag. 424 edita, affirmant. Sanctus ille martyr, quem et Vasionem, Vassium, Wasassium et Bassium etiam vocari, Henschenius cit. tom. pag. 424 adnotat, circa annum Christi 500 a cognatis suis, moleste ferentibus, quod bona sua pauperibus erogaret, subornatis eruentis ministris occisus fuerat; ejusque corpus cum a Naumancio inimico ejus igne cremari non potuisset, a quodam Francone, nobili et religioso viro, prope fluvium Carantonum, qui urbem Santonum alluit, juxta viam publicam fuerat tumulo conditum. Cum autem illic sæculo fere integro jacuisset, ejusque temporis decursu multa ad ejus tumulum patrata fuisse miracula, S. Palladius pro comperto haberet, inito cum Santonensibus consilio, noctem integram in Dei laudibus ad ejus sepulcrum traduxit; neve diutius loco minus digno sancti martyris corpus delitesceret, basilicam, suo rursus ære, ut ejus pinguis hæreditas munificentissimæ liberalitas fide dignum reddidit, ædificatam, supremo Numini in ejusdem S. Vasii honorem consecravit; utque diu nocteque divinæ laudes illic concinerentur, ecclesiæ huic cenobium, abbati monachisque incolendum, adjunxit, quod Dionysii Sammarthani tempore prioratus erat abbatie de Cellis diocesis Pictavensis, quem haud procul a Tallesburgo ad dexteram Carantoni fluvii ripam situm esse, citatus Henschenius pag. 425 adnotavit.*

Et S. Gregorius Magnus epistolam scripsit.

30 *Fecerunt haud dubie tam pia tamque multiplicia S. Palladii præclara opera, partaque jam non in Galliis tantum, sed et in Italia sanctitatis fama, ut S. Gregorius Magnus, S. Augustinum, Anglorum apostolum, cum sociis in Angliam a se missum, eidem Santonensi episcopo nostro commendandum existimavit. Nimirum, tametsi per Santonensem diocesim S. Augustinum fors non transiturum nosset Pontifex, tamen quia vel Palladium apud Theodoricum regem, Cabilone residentem, multum valere, vel directis a se in Angliam viris apostolicis plurimum consilio seu opera prodesse posse, reque ipsa profuturum, censebat, ad eum, ut Cointius ad annum 596 num. 14, pag. 445 recte docet, epistolam illam dedit, quæ cit. loco atque apud Chesnium tom. I Scriptorum pag. 893, apud Labbeum cit. tom. Concil. col. 1244 et in Duacena Operum S. Gregorii editione tom. IV col. 186, his verbis concepta est: Gregorius Palladio episcopo de Santonis, Pelagio de Turonis et Sereno de Massilia, episcopis Galliarum, a paribus.*

31 *Licet apud sacerdotes, habentes Deo placitam charitatem, religiosi viri nullius commen-*

dationis indigeant; quia tamen aptum scribendi tempus ingessit, fraternitati tuæ nostra mittere scripta curavimus, insinuantes, latorem præsentium Augustinum, servum Dei, de cujus certi sumus studio, cum aliis servis Dei illuc nos pro utilitate animarum, auxiliante Domino, direxisse. Quem necesse est, ut sacerdotali studio sanctitas vestra adjuvare, et sua ei solatia præbere festinet. Cui etiam ut promptiores ad suffragandum possitis existere, causam vobis injunximus subtiliter indicare, scientes, quod ea cognita, tota vos propter Deum devotione ad solatiandum, quia res exigit, commodetis. Candidum præterea presbyterum, communem filium, quem ad gubernationem patrimoniali ecclesiæ nostræ transmisimus, charitati vestræ in omnibus commendamus.

32 *Et quamquam in Mss. codicibus quos Benedictini Operum S. Gregorii Magni editores secuti fuerunt, Palladii nostri nomen non compareat, propterea tamen, hanc ad eum a S. Gregorio Magno epistolam scriptam non fuisse, consequens minime fit, quandoquidem alii Mss. codices supraque laudatæ editiones Palladium diserte referunt, magisque verisimile est, in Mss. codicibus, quibus usi sunt Parisienses Benedictini, aut libroriorum imperitia aut oscitantia omissum Palladii nomen fuisse, quam a variis aliis fuisse in epistolæ inscriptionem perperam ac dedita opera Palladium intrusum. Reliquum est, ut, cur in inscriptione epistolæ hæc scripta dicatur a paribus, causam exponam. Non posse eam propterea scriptam dici a paribus, quod hujus exemplar apud se retinuerit S. Gregorius, ne forte, uti antiquus quidam tom. II Operum S. Gregorii edit. Paris. col. 508 contendit, cassaretur vel corrumperetur epistola sua in itinere; ex eo liquet, quod, si hæc subsistat ratio, omnes omnino S. Gregorii Magni litteræ dici deberent scriptæ a paribus; cum tamen non, nisi paucissimæ, ejus epistolæ a paribus scriptæ notentur. Quapropter, uti Cangius in Glossario verbo Appar fere censet, existimaverim, his vocibus indicari, epistolam ternas pari tenore, seu eodem exemplo conscriptas fuisse, unamque singulis illis episcopis, Palladio nostro, Pelagio Turonensi et Sereno Massiliensi, quibus alias generatim in Registro epistolarum S. Gregorii inscribuntur, ab eodem Gregorio Magno fuisse missam, ut adeo, quæ a paribus scripta dicitur epistola, ab hodiernis encyclicis vix aut ne vix quidem differre dici queat.*

33 *Ceterum, quam diu post annum Christi 596 S. Palladius ecclesiam suam optime regere perrexerit, seu quo demum tempore, postquam gregem suum tam suis opibus, quam monitis verbisque salutiferis, fovisset, essetque jam non modo virtutibus, sed et, si Santonensi Lectioni sextæ fides est, miraculis plenus, obdormierit in Domino, nulla, quæ quidem vidi, definiunt vetera monumenta; imo nec quidquam indicant, unde ejus episcopatus finis sat prope erui vel plausibili conjectura posset. Hinc latiori modo ejus ad Superos transitum forte sub annum 600 in margine supra notavi, incertus, an ante sæculi sexti exitum, an vero non ante septimi annum decimum ac fortassis vigesimum, purgatam jam omnino penitentia lachrymis multisque pietatis operibus animam in manus reddiderit sui Creatoris.*

AUCTORE J. G. qua S. Augustinum in Angliam directum commendavit.

\* al. patri monioli

in quam epistolam quædam observantur.

F Incertum, quot præcisè annis S. Palladius post an. 596 in viciis fuerit.

## DE S. OSITHA VEL OSGITHA VIRG. MART.

IN SUI NOMINIS OPPIDULO COMITATUS ESSEXIÆ

IN GALLIA.

## COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Notitia loci, ubi vixit, passaque ac culta fuit : memoria in Martyrologiis : Vita edenda sublestæ fidei : quænam suadeant, illam sæculo VII floruisse.

FORTASSE  
CIRCA FINEM  
SÆC. VII.  
Sancta in  
Chiche, Esse-  
xiæ villa,  
ecclesiam  
habuit.

**U**t loci notitiam, in quo hæc sancta, regiaque, ut creditur, Virgo vixit, passaque atque ante Angliæ a Catholica fide defectionem præcipue culta fuit, lector habeat, huc transfero, quæ de eo Camdenus in descriptione comitatus Essexiæ pag. 225 annotavit. Postquam ibidem egerat de Colonia, seu Colcestria urbe, sic prosecutus est : Ubi Coln fluvius mari immiscetur, S. Osithæ extat oppidulum, cujus antiquum nomen Caurabolevit regia illa virgo Ositha, quæ tota Deo delixa, a Danicis piratis ibidem confossa, Sanctæ honores apud majores obtinuit; et in ejus memoriam ædem sacram posuit Richardus, episcopus Londinensis, circa annum MCCC, quam canonicis Regularibus implevit. Nunc vero sedes primaria est honoratissimorum dominorum Darcy, qui de Cauri dicti, quos ad applissimam baronis dignitatem rex Eduardus sextus provexit. Hæc Camdenus; quæ tamen non ita accipi velim, quasi nulla eo loci, in qua S. Ositha coleretur, ante Richardi, Londinensis episcopi, tempora existisset ecclesia; nam contrarium ex dicendis patet.

C a Richardo  
episcopo ca-  
nonicorum  
Regularium  
collegia au-  
ctam,

2 Quid Richardus hac in re præstiterit, narrat etiam Guilielmus Malmesburiensis, sæculi XII scriptor, lib. 1 de Gestis Pontificum Anglorum in eodem Richardo; Cum Richardus, inquit, successor ejus (Mauritii episcopi Londinensis) omnes redditus ad episcopatum pertinentes ædificationi basilicæ (S. Pauli, quam Mauritius Londini coperat) transcripsisset, aliunde se suosque sustentans, propemodum nihil efficere (propter operis magnitudinem) visus est, totumque censum ad hoc bene prodigus exhauriebat, et parum in effectum prodibat. Quare impetus boni, quem in initio episcopatus habuit, cedentibus annis, desperatione lassescens paulatim elanguit. Locus est in diocesi Londinensi apud Orientales Saxones, Ctr \* (in margine additur al. Cio) gentili vocabulo dictus, ubi est beatæ Osgithæ, in miraculis famosa virginis, requies. Hunc vir ille terris aliquantis, et Regularibus implevit canonicis; meditabaturque ipse, depositis olim involucris mundi, eo transire, præsertim longæ paralysis tabe admonitus, si non ægrum illecebris animum potestatis consuetudo retraheret. Hujus loci fuit primus Prior Willielmus de Corbuil, qui, defuncto Radulpho Cantuariæ ar-

chiepiscopo, in illum honorem evectus est. Non igitur Richardus primam S. Osithæ Chichensem sacram ædem posuit, sed in canonicorum Regularium collegium convertit, dotavitque, ac fortasse reparavit.

3 De eodem loco agunt Rogerius Dodsworth et de cujus fundatione Guilielmus Dugdale tom. II Monastici Anglicani a pag. 182, ubi aliquot donationum eidem factarum chartas recitant, in quarum prima vocatur Ecclesia beatorum apostolorum Petri et Pauli, et sanctæ Osithæ, virginis et martyris; in secunda et tertia Ecclesiæ sanctæ Osithæ et Osythæ de Chiche, ac in omnibus tribus de canonicis ibi degentibus expressa fit mentio. Sequitur ibidem Carta regis Henrici secundi, donatorum concessionem, atque inter hæc Richardi, recitans et confirmans; verum hæc ibi perperam data legitur anno ejusdem Henrici quinquagesimo tertio, cum ille anno regni sui 53, Christi 1189 obierit. In ea charta ait, se confirmasse in perpetuam eleemosinam Deo et ecclesiæ S. Osithæ de Chiche, et canonicis ibidem Deo servientibus et servituris, totum manerium de Chiche, in quo situm est monasterium sanctæ Osithæ virginis et martyris, liberum et quietum ab omni terreno servicio et seculari exactione, quod manerium habent ex dono et confirmatione Ricardi Londonensis episcopi cum omnibus pertinentiis et libertatibus, quas episcopi Londonensis ecclesiæ habuerunt in eodem manerio, dum esset in eorundem dominio etc. Ceterum locus iste ibidem abbatia vocatur.

4 Subditur denique charta Joannis Angliæ nonnulla antequam regis, qua ejusdem loci advocatiam, ut vocant, Londonensibus episcopis concessit. Hanc, quia brevis est, hic adscribo. Joannes, Dei gratia rex Angliæ etc. Sciatis, nos intuitu Dei, et ob reverentiam beati Pauli dedisse, concessisse, et hæc carta nostra confirmasse Deo et ecclesiæ S. Pauli London. et venerabili patri nostro, domino Will. London. episcopo et successoribus suis advocacionem abbatie S. Osithæ de Chiche, et totum jus, quod in ea habuimus, tam in custodia ejusdem abbatie vacantis, quam in electione ejusdem abbatiss, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus ad hujusmodi advocacionem pertinentibus. Quare volumus, etc. Dat. per manum Hugonis de Welles archidiaconi Wellensis, apud Eboracum xii die Febr. anni regni nostri septimo, id est, Christi 1206.



A 1206. *Idem Monastici Anglicani scriptores loco citato ex Lelandi Itinerario addunt: Velatarum virginum, aut alia Religiosorum domus, ut fertur, fuit, ubi hodie rectoris mansio, et testimonium extat authenticum, domum hanc Ordinis fuisse Maturinorum, alias Fratrum Ordinis S. Trinitatis.*

nunc superest eodem loco ab eadem dictum oppidulum.

B 3 Velatarum virginum illa fuerit a tempore S. Osithæ, canonicorum Regularium a fundatione, ut vidimus, Richardi episcopi Londinensis sæculo XII; sed an, et a quo tempore fuerit Fratrum sanctissimæ Trinitatis, nusquam alibi legi. Ceterum hoc canonicorum Regularium monasterium, ex quo tempore (sub Henrico VIII Angliæ rege) dissipatum ac demolitum est, annuum censum numeravit 788 libras Anglicanas, solidos 3, et octo denarios, inquit Godwinus supra laudatus; consonatque ejus temporis catalogus Religiosorum ædium apud Nicolaum Harpsfeldium ad calcem Historiæ Anglicanæ ecclesiasticæ editus, in quo tunc dicitur fuisse canonicorum nigri habitus, titulo S. Petri et S. Osithæ, fundatum anno MCCCX a Richardo episcopo Londinensi. In sæcularium nobilium manus deinde locus iste transit, ut ex Camdeno supra diximus, nuncque oppidulum superest, solo nomine, quo etiam in Mappis geographicis notum est, antiqui S. Osithæ in eo cultus, veterumque Anglorum religionis et in Sanctos pietatis memoriam servans. Ad martyrologos progrediamur.

Memoratur illa in variis Martyrologiis mensibus Junio et Octobri,

C 6 Huic sanctæ Virgini Petrus Galesinius in suo Romanæ Ecclesiæ Martyrologio ad hunc diem locum dederat his verbis: In Anglia, sanctæ Osithæ, virginis et martyris; at Cardinalis Baronius, quamquam illius martyrium in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 635 ex Vita edenda honorifice memoret, in suo tamen Romano Martyrologio eam non reposuit, in quo nec hactenus illa comparet. Verum in aliis hujusmodi sacris Fastis minime ignota est; nec ad unum solum diem ejusdem exstat memoria. Inter Auctaria Usuardina apud Sollerium nostrum eam ad diem 3 Junii breviter sic signat codex Bruzcellensis, in Anglia olim auctus: Item S. Osithæ (lege Osithæ) virginis: Attempsonianus ibidem pariter vitiose: Eodem die, sanctæ Esithæ virginis. Nomen rectius, sed postmodum, seu die 4 Junii, expressit Grevenus, additis etiam virginitati palma martyrii et genere regio, Osithæ, inquit, virginis et martyris, filia regis Orientalium Saxonum. Is ipse eandem breviter repetit ad 3 Octobris hoc modo: Osythæ virginis et martyris. Vide Prætermisso in Opere nostro ad dictos dies, unde ad hunc 7 Octobris ejusdem Acta merito dilata fuere.

ac maxime hodie;

7 Certe hoc die illam repetunt, quos mox laudavi, Usuardinus codex Attempsonianus et Grevenus, quorum prior ex ejusdem Vita sic habet: Apud Orientales Saxones passio sanctæ Osithæ, virginis et martyris; cujus caput a Danis exactum ipsa Martyr illud assumpsit, ac de loco in locum portavit: alter autem solum hæc: Ipso die, Osgidæ virginis. Accedunt Usuardina editio Lubeco-Coloniensis, nostrumque Ms. Florarium Sanctorum, per paucos annos ante hanc editionem exaratum, in quibus illa Osgida etiam appellatur. Prætereo Wilsonum in Martyrologio Anglicano, Ferrarium in Catalogo Generali Sanctorum, quorum nomina non leguntur in Martyrologio Romano, aliosque, uti et Benedictinos, Dorgainum, Wionium, Menardum, Bucelinum et Mai-

hewum, eandem sanctam Virginem, velut sui Ordinis abbatissam hoc ipso die annuntiantes, Mabillonio multo rectius eam ne inter Prætermisso quidem Sanctos Beatosque Benedictinos recensente.

8 Adde tamen annuntiationem Castellani in Martyrologio Universali, additionemque, quam in ea faciendam postea recte monuit. Verba ex Gallicis Latina accipe. In Anglia, S. Osgitha (sic in margine legitur Latine; nam Gallice habetur Osithe) virgo, Pendæ Merciorum regis neptis, instructa apud S. Modovenam, martyrio coronata a Normannis idololatriæ, e Dania impulsis. Ejus corpus postmodum pretiosæ impositum thecæ fuit a Mauritio episcopo Londinensi. Hæc ibi, sed pag. 984 inter addenda corrigendaque ad accuratiorem martyrii ac veteris cultus illius loci notitiam, pro verbis in Anglia substitui jussit ista: Chichæ (Gallice A Chich) in Essexia, Angliæ provincia. Porro quæ impulerit martyrologos ratio, ut Ositham ad prædictos varios dies referrent, compertum non habeo, nam in Vita quidem edenda nec dies martyrii ejusdem memoratur, quod solum mense Octobri contigisse in ea legitur.

9 Eam Vitam Joannes Capgravius sæculo XV inseruit suæ sanctorum Angliæ Legendæ, quam Londinensibus typis anno 1516 vulgatam habemus. Est tamen illa Capgravo antiquior, si hic illam, uti Usserius in Antiquitatibus Britannicarum ecclesiarum pag. 706, aliique affirmarunt, descripsit ex Sanctilogio Joannis Tinemuthensis, qui apud Joannem Pitseum in Scriptoribus Angliæ anno 1566 claruisse legitur. Eandem, quam Capgravius, etiam Laurentius Surius, ex quo nescio codice, ad hodiernum Octobris diem recensuit cum hoc titulo seu monito: Vitæ S. Osithæ, virginis et martyris, cujus author nomen non habet in Ms. codice; sed est tamen fide digna; putoque, esse ejus epitomen, quam scripsit Albericus Veerus Regularis. Scriptam ab hoc hujus Sanctæ Vitæ etiam laudavit Thomas Sirinus in Ms. posthumo, quo Pinius noster usus est ad diem 3 Julii in Commentario critico de S. Moduenna § 1, num. 6 et sequentibus; quæ vero ex ista ibi memorat Sirinus, tam recte conveniunt cum Capgraviæ Surianaque editionibus, ut hæc vel istius compendium, vel ipsa Veeri lucubratio possint videri.

10 Veeri elogium habes apud laudatum Pitseum, ex quo sequentia excerpti. Albericus Veerus, natione Anglus, ex illustrissimis simulque antiquissimis Oxoniensium et Clarentium comitum familiis natus, apud domesticos præceptores in Bonaclea villa Trenovantum, teste Lelando, privatim diu studuit. Locus iste ad littus Chiense non longe a fano S. Osithæ positus est. Tandem Regulam S. Augustini ibidem secutus in societatem canonicorum Regularium admissus est... scripsit... Antiquitates sui cœnobii, librum unum. De vita S. Osithæ virginis librum unum... Claruit anno Salutiferæ Reparationis MCL. Si hæc vera sint, potuit Albericus, velut loci, vita, martyrio cultuque S. Osithæ celeberris, religiosus incola, et ætate quoque Joanne Tinemuthensi potior, in ejus sanctæ Virginis gesta studiosius felicisque inquisivisse. Potuit etiam ejusdem lucubratio Joanni Tinemuthensi præluxisse, atque hinc factum esse, ut Sirinus eadem ex Veero retulerit, quæ apud Capgraviæ Surianamque leguntur.

AUCTORE C. S.

et accuratius apud Castellani.

Vita illius, sive Tinemuthensem, sive Veerum,

sæculo XIII ejusdem ecclesiæ canonice Regularium,

AUCTORE  
C. S.  
sive aliquem  
hæc paulo  
antiquiorem  
scriptorem  
habeat.

11 Interim certum est, Vitam, quam habemus, non esse sæculo undecimo exeunte, vel ineunte duodecimo antiquiorem, cum in ea mentio fiat de S. Osithæ corpore pretiosiori theca donato per Mauritium Londinensem episcopum, cujus sedis initium anno 1087, finem 1107 Godwinus affigit in Commentario de Præsulibus Angliæ. Quo tamen minus audeam illam Veero adscribere, moxet me, quod in eadem nihil legatur de fundato ad S. Osithæ ecclesiam per Richardum, prædicti Mauriti proximum successorem, canonicorum Regularium canobio, quod quidem a Veero, utpote ejusdem canobii religioso alumno, non videtur prætermittendum fuisse. Exstitisse nihilominus illud biographi tempore, colligi utcumque potest ex eadem Vita num. 10. Quapropter potest illius auctor omnino a Veero diversus esse, longeque serius scripsisse. At demus paulisper, Veeri illam setum esse; vel sic ab ejusdem sanctæ Virginis ætate longius absuerit, quam ut ab antiquitate prælium possit habere; maxime si ipsa sæculo vii, ut in eadem Vita dicitur, martyrio coronata fuerit.

B  
sublestæ fidei  
est. Sanctæ  
avus Penda,

12 Utut hæc se habeant, non possum equidem eam eidem fidem, qua Surius dignam censuit, universim tribuere, tum quod temporis ratio in illa vacillet, tum quod quædam dubia et obscura, quædam etiam fabulosa vel fabulis similia contineat, quæ ut certam fidem faciant, antiquiorem certioremq; scriptorem requirunt. Quod ad rationem temporis attinet, ex ea dubitari potest, siue S. Ositha ad sæculum vii, an ad ix, aut etiam x referenda. Pro sæculo vii, cujus anno quinquagesimo tertio martyrium passa in eadem legitur, faciunt præcipuæ personæ, in ea memoratæ. Ositha quippe Pendæ Merciorum regis ex filia Willeburga, generoq; Frithewaldo rege, neptis fuisse ibidem dicitur, quorum Pendam anno 635 in conflictu adversus Oswium Nordanhybrorum Christianum regem occubuisse, constat ex Bedæ Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum lib. v, cap. 25. Ac nulla quidem inter Pendæ liberos Willeburga alibi occurrit; sed hinc inferri non licet, certo nullam fuisse.

Frithewaldus  
pater. Sigerus  
sponsus.

13 Frithewaldus, sanctæ Virginis pater, is esse creditur, quem Florentius Wigorniensis in Chronico ad annum 675 Frithewoldum subregulum appellat, et cujus ope S. Erconwaldum, ante aditum episcopatum Londinensem, in suo Cortesiæ monasterio fundando adjutum scribit, consentiente Guilielmo Malmesburiensi in Episcopis Londinensibus, addenteq; eundem subregulum egisse sub Wlferio, nimirum Merciorum rege, quem post septendecim annorum regnum anno 675 defunctum tradit Beda lib. v, cap. 25. Eodem sæculo vii floruisse Sigerum, seu Sigheum, Orientalium Saxonum regem, cui S. Ositha e parentum suorum imperio, eodem biographo teste, nupta fuit, etiam discimus ex Bedæ lib. iii, cap. 50, ubi refert, ipsum tempore pestilentiæ anno 664 a Christianis sacris, quæ ante amplexus fuerat, cum sui populi parte ad idola relapsam, nec multo post Jarumani episcopi opera ad desertam religionem feliciter fuisse reductum.

Alfridus rex  
et episcopi in  
ea nominati  
sæculo vii  
floruerunt.

14 Ex ejusdem biographi fide Ositha quamdam sub S. Modwenna magistram habuit, nomine Editham, sororem regis Alfridi, cujus nominis duos, supra dicti Oswii Nordanhybrorum regis filios producit Henschenius noster ad 6 Martii in Commentario historico de SS. Kineburga et Ki-

neswitha § 1; alterum scilicet Alfridum, seniore ex legitimo conjugio natum, qui in parte regni à patre accepta regnans ante annum 666 obierit; alterum Alfridum juniorem nothumque, qui post legitimos ejusdem Oswii filios paternum regnum tandem anno 685 obtinuerit, annoque 705, ut habet Beda lib. v cap. 23, defunctus sit. Alterutrius igitur Alfridi soror, sive legitima sive notha sæculo vii fuisse potuit Editha a biographo memorata. Veruntamen de Editha hac atque utriusque abbatissa Modwenna peculiaris sermo infra recurret. Ad sæculum vii pariter pertinent Ecce et Bedwinus, Bisio episcopo vivo quidem, sed gravissima infirmitate ab administrando episcopatu prohibito, ut habet Beda lib. iv, cap. 3, Orientalium Anglorum episcopi ordinati, a quibus S. Ositha Deo velata fuisse in eadem Vita asseritur.

15 Atque hæc quidem omnia conspirant, ut Ositham sæculo vii floruisse, biographo credamus, non tamen æque conciliari possunt cum tempore ejusdem Sanctæ martyrii, quod ille ibidem anno Domini sexcentesimo quinquagesimo tertio illigavit. Beda enim ultimo loco citatus ordinationi Ecce et Bedwini, seu, ut ipse eos ibi vocat, Aecci et Badviai, præmisit synodum in Herusford anno 675 celebratam, eique prædictum Bisium adhuc interfuisse, observavit: unde rerum Anglicanarum scriptores merito statuunt, laudatos Ecce et Bedwinum saltem non ante annum 675 episcopos ordinatos esse. Quomodo igitur iidem episcopali ordine jam initiati Ositham Deo Virginem consecrare potuerunt, si hæc jam ab anno 635 martyrio coronata sit? Multo igitur serius collocanda est sacræ Virginis cædes, aut agnoscendus biographi in assignandis ejusdem consecratorum nominibus error, qui in his minus verisimiliter cubat, quam in anno 635, utpote qui fortasse ex sola describentis oscitantia vitiosus est, et ceteræ narrationi etiam minus congruit.

sed cum ho-  
rum aliquot  
non congruit  
annus Sanctæ  
emortalis,

E

16 Etenim, ut duo laudati antistites certo serius, quam anno 635, ordinati fuisse, ita Sigherus, Osithæ, antequam velata fuit, sponsus suum apud Orientales Saxones sub Vulthero regnum serius auspiciatus est, cum teste Beda lib. iii cap. 24, Vultherus ipse non ante annum 639 a suis adversus Oswium, Nordanhybrorum regem, rebellantibus, ad Merciorum regnum evectus sit, ejectis inde principibus, quos Oswius eis præfecerat. Nec obstant, imo favent etiam alia, ut Osithæ martyrium multis annis post annum 635 ponatur: tanto enim facilius videri illa potest Pendæ, anno 635 intersecti, neptis fuisse ex Willeburga filia, et Frithewaldo, seu Frithewoldo, de quo Wigorniensis ad annum 675 meminit. His de causis Bollandus noster tomo I Februarii in S. Brigida Thaumaturga censuit, S. Ositham primo circa annum 675 Sighero desponsatam, deinde vero ab Ecce et Bedwino episcopis sacro virginitatis velo amictam esse. At quanto tempore post hæc vixerit, quis divinet? Nam ipse Danorum, a quibus illa casa dicitur, in Angliam appulsus aliunde ignotus est, nec difficultate caret, ut infra videbimus.

qui certe se-  
rius, quam  
anno 635, sta-  
tuendus est.

F

**§ II. Referuntur rationes pro eadem Sancta sæculo IX illiganda, ac pro sæculo VII verisimilius pronuntiat.**

Difficile dictu est, quæ fuerint Moduenna et Editha, hujus Virginis magistra:

**Q**uæ in prioribus adduximus, faciunt pro S. Osithæ martyrio versus finem sæculi VII repouendo: verum sunt et alia in eadem Vita, unde prædicta cum biographi fide suspecta feri queant. In primis Ositha, dum esset parvula, a parentibus, ut bonis moribus imbueretur, tradita dicitur S. Modwenne abbatisæ, quæ juxta sylvam (verba biographi recito) quæ Arderna dicitur, duo construxerat monasteria, unum in loco, qui Pollesworch dicitur, aliud in mansione, quæ Strevshal nuncupatur. Horum alterum (Moduenna) elegit... reliquum concessit B. Edithæ, sorori regis Alfridi... quæ in congregatione sanctorum virginum mater et custos effecta est. Huic (Edithæ) aliquandiu adhæsit adolescentula Dei ancilla Ositha, a S. Modwenna abbatisa ei commendata etc. Inquirendum ergo est, quæ hæc Modwenna sit, quæ item Editha, et quo illæ ævo floruerint. Pinius noster primo ad diem 5 Julii prolixè disputavit de S. Moduenna, seu Monenna, Monynna, Monyma, Moninia, una an pluribus? Deinde vero ad ejusdem mensis diem 6, quo lectorem pridie remiserat, egit de S. Darerca seu Monynna, aliisque affinis nominibus etiam appellata, ibique geminam hujus sanctæ abbatisæ Vitam dedit; primam, auctore quidem anonymo, sed antiquiorem sincerioreque, alteram a Conchubrano scriptam, fabulis et parachronismis conspersam.

in quadam Vita S. Moduennæ dicenda esset hæc

**18** In duabus istis Vitis dicitur S. Darerca, Monynna, seu Moduenna, a S. Patricio Hibernorum apostolo sacrum virginitalis velum accepisse; quod nec citius contingere potuit, quam anno 452, quo ille apostolicos suos in Hibernia labores auspiciatus est, nec serius, quam anno 460, quo eodem beata morte coronavit, secundum ejusdem rerum chronotaxim, in Opere nostro ad diem 17 Martii, quo ille colitur, datam. Porro in Conchubraniana (non in altera) Vita num. 59 et 40 inter istius S. Moduennæ discipulas etiam quædam Osid nominatur, diciturque, postquam triduo submersa fuerat, e flumine ad vitam revocata, quod de nostra S. Ositha eodem modo legitur in Vita edenda num. 1 et seqq.; sed altera ejusdem Moduennæ discipula, quæ in Vita edenda Editha vocatur, in Conchubraniana Moduennæ lte dicitur. Ositha tamen ac Editha etiam vocantur in ejusdem S. Moduennæ Vita a Capgravo edita, ut dubitare nequeas, quin in omnibus istis allegatis locis de iisdem SS. Moduenna, Ositha, Edithaque sermo sit.

sæculo VII floruisse,

**16** Quapropter, si hæc S. Moduenna fuerit hodiernæ S. Osithæ magistra, non poterit hæc, nisi prodigiose longæva inepte fingatur, ad sæculum VII differri, sed ad sæculum V vel VI, ad quod Pinius laudatam Moduennam, die 6 Julii cultam, reposuit; atque ita inter fabulas ableganda erunt, quæ de S. Osithæ avo, parentibus, sponso, quique ipsam velaverint, episcopis ex biographo superius memoravi. At, cum in Vita edenda nul-

Octobris Tomus III.

lum de S. Patricio verbum legatur, laudatusque Pinius die 5 Julii in Moduenna § 2 opinetur, tres omnino distinguendas esse Moduennas, quarum una obierit sæculo V vel VI, altera, S. Osithæ hodiernæ magistra, sæculo VII floruerit, et ex harum trium confusione natos esse parachronismos, qui Conchubranianam S. Moduennæ Vitam sedant, non potest hæc tam vitiosa lucubratio obstare, quo minus biographo nostro credamus, S. Ositham sæculo VII vixisse, si cetera aliunde congruant.

AUCTORE  
C. S.

**20** Plus negotii facessit S. Editha, tam quæ in Vita edenda, quam in Moduennæ a Capgravo edita, curam S. Osithæ, a Moduenna sibi commissam egisse narratur. Nam quæ ista S. Editha est? In Vita quidem edenda dicitur illa fuisse soror regis Alfridi, cujus nominis duos Oswii Nordanhymbrorum regis filios sæculo VIII supra assignavi; sed in S. Moduennæ Vita apud Capgravium illa, non soror regis Alfridi, sed Adulphi regis West-Saxonum fuisse assertitur, qui Adulphus, alias Atulphus ac communius Ethelwulphus et Ethelwolphus appellatus, filium habuit Aluredum, Alfredum etiam dictum, quos ambos sæculo IX regnasse, extra dubium est. Ad sæculum ergo IX pariter referenda esset S. Ositha, si hujus magistra Editha Atulphi illius soror fuerit. At præterquam quod æque ignota sæculo IX sit Editha Adulphi, seu Ethelwulphi, quam sæculo VII Alfridi, regis soror, morari nos denuo non debet ista S. Moduennæ Vita, quæ hanc a S. Patricio, id est, sæculo V, velatam, et nihilominus Ethelwulpho regnante, id est, sæculo IX, etiam floruisse, fabulatur.

Edithæque et Osithæ magistra fuisse sæculo IX.

**21** Inter Oswii regis liberos nulla nota Editha est; tres ejusdem filios ex Beda aliisque produxit Bollandus noster ad diem 8 Februarii in Commentario historico de S. Elfreda, § 5; dictam scilicet S. Elfredam, virginem abbatissam Streneashalensem seu Streaneshalensem, in Anglia, Alhlfledam, Pendæ Medilanglorum principis, Pendæ regis filio nuptam, et Ostritham, alii Ostridam, Ostricam, Osgildam et Ostgildam appellatam, Etheldredi Merciorum regis uxorem, a sui regni primatibus anno 697 interceptam, ut constat ex Bedæ lib. V, cap. 23 in Recapitulatione. Verum hic sanctus historicus lib. III cap. 24 de laudata S. Elfreda quædam tam similia narrat assertis S. Osithæ biographi, ut dubitare cogar, an non hic in concinnanda hujus Virginis Vita quædam ex istis suo scriptionis argumento perperam ac inepte adaptaverit, sanctæque Elfredæ natales Edithæ, seu veræ, seu commentitiæ affixerit. An mea a verisimilitudine abluat suspicio, lectoris judicio libens relinquo.

Nulla nota est Editha, Oswii filia; sed videtur biographus aliqua

**22** Apud Bedam loco citato legitur Oswius Nordanhymbrorum rex Christianus anno 635 cum ipso Merciorum rege Penda conflicturus rovisse Deo, quod, si victor existeret, filiam suam Domino sacra virginitate sacrandam offerret, simul et duodecim possessiones prædiorum ad construenda monasteria donaret; eoque voto emisso, una cum filio suo Alchfrido parvoque exercitu memorabilem de Penda, in eadem pugna occiso, victoriam retulisse. Tunc rex Oswiu (ita pergit sanctus scriptor) juxta quod Domino voverat, pro collata sibi victoria gratias Deo referens, dedit filiam suam Elfredam, quæ vixdum unius anni ætatem impleverat, perpetua virginitate consecrandam. En tibi igitur regis Oswii filiam, Alchfridi regis sororem, sed Elfredam no-

quæ de SS. Hilda et Elfreda, Oswii filia

AUCTORE  
C. S.

mine, sæculo VII ab infantia sua Deo perpetua virginitate dicatam, ac postea abbatissam, ut mox videbimus, qualem Editham quoque suum fuisse, scribit biographus. Audiamus reliqua.

apud Bedam  
legerat,

25 Intravit autem (verba rursus Bedæ sunt) præfata Oswii filia, Deo dicanda monasterium, quod nuncupatur Heruteu, id est, Insula cervi, cui tunc Hild abbatissa præfuit, quæ post biennium, comparata possessione decem familiarum in loco qui dicitur Streaneshalch, ibi monasterium construxit, in quo memorata regis filia (S. Elflæda) primo discipula vite Regularis, deinde etiam magistra extitit, donec, completo undesexaginta annorum numero, ad complexum et nuptias Sponsi celestis virgo beata intraret. In quo monasterio et ipsa, et pater ejus Osuii, et mater ejus Eanfled, et pater matris ejus Edwinus, et multi alii nobiles in ecclesia S. Petri apostoli sepulti sunt. Hæc S. Beda, ex quibus hic nonnemo fortasse suspicabitur, Hildam alio nomine fuisse appellatam Modwennam, Elflædam vero Editham, aut certe Modwennam pro Hilda, et Editham pro Elflæda per errorem a biographo vocari. Ita, inquam, posset quis suspicari, nisi alia prohiberent.

ad SS. Modwennam et Editham

24 Præterea, in hac quoque opinione martyrium S. Osithæ longe serius, quam fecit biographus, statuendum esse, cum luce meridiana clarius sit, fieri non posse, ut S. Elflæda, quæ teste Beda, anno 655 vixit unius anni ætatem impleverat, magistra fuerit Osithæ, si hæc anno 655 occubuit. Verum etiam ejusdem cæde in multos annos, ut omnino faciendum est, dilata, non proinde ex eadem Vita verisimile fiet, SS. Hildam et Elflædam, velut S. Osithæ magistras, Modwennæ Edithæque nominibus designari. Etenim Arderna sylvæ, juxta quam Modwenna, S. Osithæ magistra duo monasteria, Pollesworch et Streveshal, condidisse, et in quorum altero Ositha cum Editha habitasse ab biographo nostro narratur, sita erat in comitatu Warwicensi, e duobus autem S. Hildæ monasteriis a Beda memoratis alterum Heruteu, id est, Insula cervi, nunc, teste Camdeno, Hartlepole dictum, in comitatu Dunelmensi; alterum, nunc, eodem teste, Whitby vocabulo notum, cui S. Elflæda præfuit, in Eboracensi. Ista monasteriorum distantia, non permittit, ut tam varii nominis Hilda et Elflæda eadem, quæ MODWENNA et Editha, fuisse credantur.

inepte trans-  
tulisse,

23 Mihi, ut supra insinuavi, multo verisimilius apparet, ineptum S. Osithæ biographum quædam de SS. Hilda et Elflæda apud Bedam lecta ad Modwennam Edithamque, ejusdem sanctæ Virginis magistras, transtulisse, atque hinc frustra quæri Editham illam, Alfridi regis sororem, regis Oswii filiam. Nimirum, teste Beda, Hilda duo monasteria habuit, quorum alteri S. Elflædam, Oswii regis filiam, discipulam suam aliquando præfecit. Biographus totidem monasteria a Modwenna constructa, harumque alterum discipulæ suæ Edithæ, Alfridi regis sorori, proindeque ejusdem Oswii filia, commisisse, narrat. Alterum e duobus illis Hildæ monasteriis Beda Streaneshalch vocavit; biographus similiter alterum e duobus Modwennæ Streveshal dixit, tam affini vocabulo, ut verisimillime facili calami lapsu, variove loci exprimentis modo Streveshal pro Streaneshalch hic legatur. Suspicionem augeat, quod, uti Streaneshalense S. Hildæ monasterium hodieque notum est, ita tam ignotum est,

Streveshalense Modwennæ, ut merito dubitari queat, an unquam existerit. Audi Alfordum ad annum Christi 871, num. 58: Quod ad aliud (inquit) monasterium (S. Modwennæ) attinet, Streveshalen, nihil habeo dicere: nec enim intelligi posse videtur locus ille in Brigantibus, qui Bedæ tempore STRENSHALK, et SIXUS PHARI audiebat et quem posteri WHITBY vocaverunt.

servato monasterio Pollesworthensi,

26 Cur vero biographus noster alterum Modwennæ monasterium, non Heruteu, ut Beda Hildæ, sed Pollesworch appellaverit, ea potest assignari ratio, quod, sicut aliunde noverat, Pollesworthense a quadam S. Modwenna fuisse conditum, ita eidem præfuisse aliquando sanctam aliquam Editham, tum pariter aliunde, tum ex Edithæ eo loco cultu pro comperto haberet. Camdenus in descriptione comitatus Warwicensis pag. 429 ad rem nostram hæc ait: Ultra hæc ad Boream est Pollesworth, ubi sacris virginibus Modwenna, virgo Hibernica, insigni sanctitatis opinione, cœnobium construxit, quod R. Marmion, vir nobilis, restauravit. Laudati restauratoris ejusdemque conjugis verba exstant in Monastico Anglicano tom. I, pag. 498 et sequenti, ex quibus S. Edithæ apud Pollesworthenses cultus manifestus est. En ea: Notum sit omnibus, nos concessisse Osanne Priorissæ ad relig. restaurandam sanctimonialium ibi ecclesiam S. Edithæ de Pollesworda. etc.

E

27 De structo per S. Modwennam Pollesworthensi monasterio, Edithæque in eo gesta præfectura, cultu et ecclesia consentit Alfordus ad annum 871, num. 57, Spedum quoque ibidem laudans, qui postquam dixerat, Editham in eodem præfuisse, mortuamque et cum honore sepultam esse, subdidit: Ob cujus reverentiam locus ille a S. Editha nomen sortitur. Adde Nicolaum Harpsfeldium in Historia ecclesiastica Anglicana sæculo IX, cap. 15, et in Catalogo religionum ædium ad calcem Operis adjecto, in quo inter Warwicensis comitatus cœnobia sic legitur: Pollesworthæ, T (id est, titulo) S. Edithæ F. (id est, fundavit) Modwenna, virgo Hibernica. Reparavit Richardus Marmion, vir illustris. Cum igitur habeamus Pollesworthensis monasterii conditricem Modwennam (nec enim quemquam legi, qui id neget) alteramque ejusdem loci abbatissam Editham, non alias, quam hæc debemus putare S. Osithæ magistras designatas ab hujus biographo, qui et Pollesworthense monasterium a Modwenna exstructum, et ab hæc Edithæ traditum, ac denique huic Osithæ educationem ab eadem commissam esse, narrat. Inquirendum ergo est, an ejusdem parthenonis conditum tempus cum ceteris biographi dictis possit componi.

cui has præfuisse, aliunde constabat,

28 Supra laudati Harpsfeldius, Monastici Anglicani scriptores et Alfordus, quantumque ex hoc intelligere potui, etiam Spedus, Pollesworthensis cœnobii initia sæculo IX illigarunt, secuti S. Modwennæ Vitam Conchubranianam, aut qualem edidit Capgravius, in qua Editha ista Athulphi, seu Ethelwulfi, Occidentalium Saxonum regis, soror, vel, ut alii volunt, filia, et Aluredi seu Alfridi soror fuisse dicitur; quo posito, illa certe figi non possunt ante annum 857, quo Ethelwulfus capit regnare. Non tanti mihi foret, certis, ut dixi, parachronismis infecta Vita, ut propter eam hic mihi hærendum crederem, nisi etiam alia non omnino letem pro Ositha ad idem sæculum removenda suspicionem moverent. Ipsomet biographo in Vita edenda num. 6 teste,

ex cujus loci ætate, Danorum irruptione

A *teste, hæc sancta Virgo plecta capite est a gentili-  
um caterna, e Danorum partibus... advecta.  
Sed enim sæculo vii nulla apud historicos nota  
est Danorum in Britanniam eruptio, sæculo au-  
tem ix ex fuerunt frequentes cum ingenti monaste-  
riorum strage, ut apud obvios Angliæ scriptores  
legi potest.*

et Bedæ silen-  
tio Alfordus  
duas Osithas  
fuisse suspi-  
catur.

29 *Adhæc altum est de hac sancta Virgine  
martyre venerabilis Bedæ silentium, quamquam  
ipsius regium genus, vitæque sanctimonia, ac  
recens martyrium cum communitura fuisse vi-  
deantur, ne illaudatam præteriret, si hæc ipso,  
cujus anno septuagesimo tertio ille natus est, sæ-  
culo floruisse. Contra vero hujus silentii ratio  
extra omnem controversiam posita est, si Ositha  
sæculo ix, cum Beda jam ab anno 755 excesserat  
e vivis, passa credatur. Rebus tam implicatis,  
Alfordus de S. Osithæ ætate ter meminit: ac  
primo ad annum 535, cui martyrium ipsius  
Baronius ex Vita adscripserat, recte observat,  
illud longe serius reponendum esse. Deinde ad  
annum 675, ante quem Ecce et Bedwinus, a  
quibus eadem Virgo velata fuisse in eadem Vita  
dicitur, non fuere ordinati episcopi, de illius in  
monasterium ingressu, subsequenteque martyrio lo-  
quitur. Tandem ad annum 871 Moduennæ in  
Angliam accessum sæculo ix affigens, ita dubius  
dissertit.*

quarum una  
sæculo vii,  
altera hodie-  
na sæculo ix  
floruerit.

B 50 *Scio (ait) multa, quæ de Moduenna re-  
feruntur, duorum monasteriorum fundatrice,  
ad septimum seculum a Baronio aliisque referi,  
ut ibi dictum est, cum Osithæ virginis marty-  
rium recensui: sed, opinor, multo rectius ad  
nonum hoc seculum Moduennæ sanctitas prim-  
um innotuit. Illa igitur, quæ Ositham docuit,  
Sigheri Orientalium Saxonum regis conjugem,  
in corruptam tamen, Moduenna forsitan appel-  
lari potuit: sed differt ab illa, quæ Alfrede tem-  
pore (sæculo ix) fuit illustris, quæ forte prioris  
Moduenna sanctitatis æmula in ejus nomen suc-  
cessit; et certe familiare Sanetis fuit, Sancto-  
rum, quos imitari cupiebant, nomen assumere.  
Hinc forte Ositha quoque alia hoc tempore  
(eodem sæculo ix) floruit, quæ a Danis longe  
probabilius occidi potuit, quam illa Sigheri  
quondam uxor, de qua ad annum Christi dclm  
et dclxxiii. Nam, qui Moduennam ad hoc se-  
culum referunt, Ositham quoque ab ea doctam  
affirmant.*

Verum hæc  
nobis non pla-  
cet opinio;

C 51 *Hactenus Alfordus, cujus opinione admissa,  
admittendum pariter erit, vel non constare, an  
S. Ositha hodierna, quæ usque ad Angliæ a  
Romana Ecclesia defectionem in suo Chichensi  
monasterio celebrem cultum habuit, eoque loci  
oppidulo suum nomen reliquit, unquam existi-  
terit, vel de ea nihil sciri, quam sacram fuisse  
virginem, sæculo ix a Danis occisam; reliqua  
vero, quæ de ea in rjusdem Vita leguntur, refe-  
renda erunt ad Ositham quandam longe aliam,  
binis sæculis priorem, ne ex cultu quidem no-  
tam, imo nec omnino notam, nisi ex saepe dictæ  
S. Moduennæ Vita, parachronismis et fabulis con-  
spersa. Enimvero tantam B. Ogisthæ, in miracu-  
lis famosæ virginis, ut Malmesburiensis loquitur,  
obscuritatem admittendam esse, non evincunt mihi  
allegatæ rationes; quas paupulum præterea expen-  
damus.*

quare expen-  
sationibus,

52 *Sæculo vii nulla nota est Danorum in Bri-  
tanniam insulam hostilis irruptio, notissimæ vero  
gravissimæque sæc. ix. Ita est; sed quis hinc me-  
rito statuatur, nullos quoque eodem sæculo pira-*

*tas barbaros ex Oceano Germanico per Colnum  
fluvium, juxta cujus ostium Chichensis S. Osithæ  
parthenon situs erat, in eandem appulisse?  
Hosce autem piratas cur non potuit ætate longe  
posterior biographus e Danorum partibus advec-  
tos credidisse, seu vere, seu ex fallaci conje-  
ctura, a posterioribus Danorum in Britanniam  
irruptionibus accepta? Sane biographus ibidem  
nec asserit, nec insinuat graviolem aliquam istius  
provinciæ vastationem, quales, ut diximus, eam-  
dem insulam sæculo ix affluerunt; sed solum  
subitam quandam Chichensis villæ non procul  
ab eo loco, ubi Coln fluvius (teste Camdeno) mari  
miscetur, sitæ. Verba biographi accipe: Gentili-  
um (inquit) caterva e Danorum partibus na-  
vibus advecta, apud Orientales Saxones ad vil-  
lam Chichensem appulit, atque ibi e navibus  
egressi rapinis et incendiis in Christianos sævie-  
runt.*

55 *Subditur S. Osithæ cædes; nec plura de utrimque  
Danis istis apud cum leguntur, non secus atque  
illi hac sua præda contenti in naves suas mox se  
repperint, atque inde recesserint. Hæc si, ut fieri  
potuerunt, ita facta sint, quid multum miran-  
dum, si ista Chichensis villæ subita deprædatio  
ceteris Danorum hostilibus irruptionibus ab hi-  
storicis Anglis annumerata non sit, ac penitus  
præterita. Etiam minus ponderis habet altera  
objecta a tempore ædificati Pollesworthensis mo-  
nasterii ratio; nam, dum supra adducti recen-  
tiores scriptores hujus initia sæculo ix innexue-  
runt, sola navi sunt Vita S. Moduennæ, non  
uno in loco, ut diximus, manifeste vitiosa, mul-  
toque sublestioris fidei, quam Vita edenda. De  
Editha, quæ sæculo vii in Pollesworthensi par-  
thenone fuerit S. Osithæ magistra, non major  
est difficultas, quam quæ sæculo ix, cum hæc  
soror vel filia Adulphi, seu Ethelwulfi, Occiden-  
tium Saxonum regis, non minus aliunde ignota  
sit, quam ista Oswii Nordanhymbrorum regis  
filia. Restat igitur S. Bedæ de S. Ositha silen-  
tium, quod certe gravius esset, nisi constaret,  
ipsum etiam alia præterisse; ac nominatim duas  
sanctas virgines, Pendæ Merciorum regis filias,  
Kineburgam et Kineswitham, eo etiam titulo  
magis memorandas, quod ex tam impio patre  
genitæ essent; de quibus vide Henschenii Com-  
mentarium historicum in Opere nostro ad diem  
6 Martii.*

54 *Cum igitur ex hactenus relatis constet,  
assignatos a biographo S. Osithæ avum Pendam,  
Frithevaldum patrem, Sigerum sponsum, quique  
eam Deo virginem consecraverint, Orientalium  
Anglorum episcopos Eccam et Bedwinum sæ-  
culo vii vixisse; nihilque nos cogat inficiari, eo-  
dem sæculo piratas, quales supra diximus, ad  
Chichensem villam appulisse; aliunde vero nihil  
pariter evincat, tunc temporis nullam Modwen-  
nam Pollesworthensi monasterio præfuisse; ne-  
gare quoque non possumus, a vero non esse dissi-  
mile, S. Ositham eodem sæculo vii vixisse, et a  
prædonibus istis interemptam esse; quamquam  
multis annis serius, quam anno 635, uti § 1 plu-  
ribus ostensum est.*

AUCTORE  
C. S.

E

F

verisimilius  
apparet, illam  
versus finem  
sæculi vii  
floruisse.



VITA.

AUCTOR  
ANONYMO.

## VITA,

Auctore anonymo.

## Ex Laurentii Surii collectione de Vitis Sanctorum mensis Octobris.

**B**eata Ositha, virgo et martyr, ex nobilissimis Anglorum natalibus originem duxit. Erat enim filia Frithewaldi regis, et Wiltburgæ a, filia regis pende Merciorum b. Traditur autem virgo Ositha bonis informanda moribus S. Modwennæ abbatissæ, quæ juxta sylvam, quæ Arderna dicitur, duo construxerat monasteria; unum in loco, qui Pollesworch dicitur, aliud in mansione, quæ Streveshal c nuncupatur. Horum alterum sibi elegit orationibus intenta, reliquum concessit B. Edithæ, sorori regis Alfridi d, ob sanctitatis meritum sibi familiariter dilectæ, quæ in congregatione sanctorum virginum mater et custos effecta est. Hic aliquandiu adhæsit adolescentula Dei ancilla Ositha, a S. Modwenna abbatissa ei commendata. Cum itaque hyberno tempore contingeret, B. Editham cujusdam codicis inspectioni vacare, constituit S. Modwennæ communicare ea, quæ legenti utilia in eo advertebat.

**2** Itaque accita ad se Ositha, Vade: inquit, et defer volumen istud ad dominam et matrem nostram Modwennam, in eo fortasse nonnihil sanctæ contemplationis et ædificationis reperiaturam. Ea, accepto libro, cum ad quendam pontem ligneum pervenisset, vi ventorum in pontis fastigio impulsa deorsum in flumen præceps corruit, atque ejus impetu rapta in momenta absorpta est. Elapsis autem tribus diebus, angelus Domini Modwennæ in cella oranti apparens dixit: Vade cum festinatione ad fluvium, aliquid ibi necessarium perpetratura. Ea ubi pervenit ad fluvium, invenit ibi Editham virginem, puellam Ositham queritantem; eamque velut pavescentem animadvertens: Quid est, inquit, soror? Rectene sunt omnia? Illa respondit: Jam tres dies sunt, domina, quod transmisisti Ositham ad te, venioque perquirere, quid causæ sit, quod ad me non revertitur. Estne apud te? Modwennæ ait: Revera non vidi eam, nec venit ad me. Interrogati autem pastores, num puellam vidissent, ita responderunt: Nudiustertius puellam pontem ascendere vidimus; sed quo vel abierit, vel pervenerit, nos curam pecorum agentes, et ad alia intenti, penitus ignoramus.

**3** His auditis, S. Modwenna ait ad Editham: Deprecemur, soror charissima, Dominum, ut meritis omnium Sanctorum suorum restituat nobis hac hora Puellam perditam, ut videamus et cognoscamus ejus admirandam potentiam, et collaudemus perpetuo ejus misericordiam. Cum igitur in terram sese inclinasset, et diu cum lacrymis orasset, Modwenna ab oratione surgens clara voce tertio clamavit: Ositha, Ositha,

Ositha, in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis veni foras, et de hoc flumine, in quo submersa es, per virtutem potentia ejus sana et incolumis emergas, vitæ restituta. Necdum plene verba finierat virgo sancta, et ecce, Puella e fluvio cum codice illaso prodit, terque expedita voce respondet: Ecce ego, ecce ego, ecce ego, domina mea. Eam S. Modwenna cum magna exultatione suscipiens, et gratias immensas Deo agens, Edithæ restituit, et cum codice ejus ad cellam remeavit e. Locus ille ab eventu nomen sortitus ab incolis Nunpole f appellatur: quamquam illa monialis tunc non fuit, tametsi nigro pallio amicta fuisse creditur.

**4** Post decessum g autem S. Modwennæ B. Ositha ad parentes reducta, virtute et moribus quotidie proficiebat, cumque ad nubiles pervenisset annos, rex Orientalium Saxonum Sigorius, parentes Puellæ sollicitans, Virginem sibi petiit in conjugem dari. Ut autem parentes eam ad consentiendum hortati sunt, illa blanditiis eorum respiciens, animo et actione virginittas puritatem magis cordi esse, declaravit. Attamen, quamvis renitens et invita, nuptiis regali apparatu instructis, regi illi tradita est. Sed affectum et desideria sua cælesti Sponso commendans, preces Deo et devote et constanter obtulit, ut ipsam a viri contactu immaculatam conservaret. Interim multis diebus laudabili quadam fallacia, et multarum occasionum opportuno prætextu, regis desiderium repressit; sed ille eo ardentius, quo minus erat voti ejus conscius, in secretum cubiculum eam jussit introduci, ut diu optatis ejus fruereetur amplexibus.

**5** Ecce autem nutu divino adest nuntius, regi jucundos rumores afferens, cervum habitu et forma corporis spectabilem præ foribus regie domus discurrere. Ita rex, intactam deserens Reginam, adjunctis sibi venatoribus, ad persequendum cervum perniter advolat: Ositha vero, tanquam e naufragio erepta, Liberatori suo Christo gratias agit, mittitque celeriter literas Orientalium Anglorum episcopis Eccæ et Bedwino, viris religiosis iis mentis suæ desiderium exponens. At illi festino gressu ad eam venientes religionis habitum ei tradunt, et velo imposito monialem consecrant. Rediens vero rex post aliquot dies a veneratione ad visitandam Reginam alacriter proropat, cernensque eam habitu sancto indutam et voto divino obligatam, mœrore afficitur. Sed tamen nolens amorem in odium commutare, illam proposito suo insistere, sustinet, licet invitus h, constructisque ædificiis religioni accommodatis, villam, Chichensem ei dat possidendam i. Tum illa sacras sibi virgines adjungens, vitæ austerioris propositum aggreditur, morum disciplina, silentii rigore et censura continentia singulari informat, et cum verbo et exemplo ad amorem cælestium, et mundi contemptum indesinenter accendit.

**6** Cumque in Dei famulatu aliquandiu desudasset, humani generis inimicus et virtutum exterminator diabolus beatæ ejus conversationi invidit, et quam de die in diem proficere conspexit, a via sanctitatis avertere studuit. Itaque satellites suos ad sanctæ Virginis eversionem misit e Danorum finibus k filios perditionis, Christianæ fidei et pietatis expertes, ad depollendam Orientalium Anglorum plagam excitans

Regia virgo  
traditur  
S. Modwennæ  
educanda;  
a magistra  
Editha

a

b

c

d

ad Modwennam  
missa,  
in fluvium  
lapsa sub-  
mergitur,

C

ex quo triduo  
post incolumis  
regreditur:

D

e

f

Nupta Sigero  
regi virginitatem  
servat,  
g

E

et clam velata,  
eo deinde  
consentiente,  
virginibus  
præest.

F

h

i

Jussu Danorum  
piratarum principis

k

tans

**A** tans *l.* Ejus barbaræ gentis consuetudo fuit piraticam exercere, Christianorum cædibus delectari, rapinis inhiare, ocium inane ducere, quoties a sceleribus et impiis facinoribus manus continerent. Anno igitur Domini sexcentesimo quinquagesimo tertio *m.*, mense Octobri, gentilitium caterva, e Danorum partibus navibus advecta, apud Orientales Saxones ad villam Chichensem appulit, atque ibi e navibus egressi rapinis et incendiis in Christianos sævierunt.

*decollata caput suum fert: fons in loco martyrii scaturiens.*

**7** Ille vero, qui inter scelestos illos primas obtinebat, conditione *B.* Osithæ et religione comperta, precibus et muneribus eam cepit ad idololatriam provocare, subjiciens etiam minas verberum et vulnere, nisi deorum, quos colebat, venerationi consentiret. At Virgo sancta, et blanditias contemnens et minarum asperitatem nihil reformidans, supplicia impendentia parvi pendit. Quam ob rem princeps ille, neque ejus constantiam, neque deorum suorum injuriam ferre sustinens, capitali in eam lata sententia, caput submittere eam coegit. Quod cum amputatum ei esset, mox corpus sese subrigit, et caput humi jacens manibus apprehendit, rectoque gradu et firmis vestigiis progrediens, usque ad ecclesiam Apostolorum Petri et Pauli per tria fere stadia illud deportat: ad ostium autem ecclesiæ obseratum subsistens, manibus cruentatis, ut ipsi aperiatur, pulsat, et sanguinis illic vestigia relinquens in terram corruit *n.* Eo autem loco, ubi capitalem Virgo sancta subiit sententiam, fons perspicuus erupit, variis morborum generibus præbens sanitatem *o.*

*Corpus, Aiglesburgum deferitur, unde, ipsa jubente,*

**8** Porro auditò ejus martyrio, parentes ejus præcipuo aestuabant desiderio, ut vel truncati corporis penes ipsos deposito pignore consolati, doloris jacturam redimerent. Cumque corpus ejus ad illos allatum esset, in ecclesia Ailesbiriæ *p.* in locello plumbeo illud honorifice collocarunt. Perpetratis vero multis postea eo loco meritis sanctæ Virginis miraculis, illa in visu cuidam fabro apparens: Surge, inquit, et vade ad ecclesiam Ailesbiriæ, et tollens loculum illum plumbeum, in quo sunt ossa mea, et equo eum caute imponens, ad ecclesiam Chichensem deferto. Et ne tantus labor tibi pariat diffidentiam, ubi iter ingressus fueris, in viâ labore, et sarcinæ sudore relevatrix et adjuatrix tibi adero.

*ad suam ecclesiam relatam portiose theca includitur.*

**9** Post trinam ejusmodi apparitionem nocte quadam nactus opportunitatem, ecclesiam ingressus, excubantes sopore gravatos offendit, loculum plumbeum e terra extractum equo imposuit et abscessit *q.* Mane evigilantes custodes excitant vicinos, platearum diverticula et callium secreta compendia rimantur, si forte, quem persequerentur, possint comprehendere. Cernens autem faber ille, hominum turbam propinquare, fusa ad Deum et sanctam Virginem prece, persequentes eum mentis alienatione, oculorumque stupore mirabili percussus ad propria vacui redierunt. Faber vero ubi cum reliquiis sanctæ Virginis ad ecclesiam Chichensem pervenit, Mauricius Londoniensis episcopus in precioso scrinio eas honorifice reposuit; et Rossensis episcopus *r.*, qui præsens aderat, a gravi infirmitate curatus est.

**10** Cum quidam nauæ frustum marmoris ex porticu templi S. Osithæ virginis clam secum auferrent, navicula, in qua marmor illud

deposuerant, velut terræ affixa, immota permansit, donec culpam suam illi agnoscerent, et marmor suæ ecclesiæ restituerent. Clericus quidam voto simplici in monasterio S. Osithæ virginis habitum monasticum se susceptorum promisit *s.*; sed propositum, male blandiente fortuna, exequi differens, ad extrema vite, morbo ingravescente, perducitur. Ei S. Ositha apparens: Quid est, inquit, quod me tam solcite invocas? An non meministi, quid quarto abhinc anno tibi præstiterim? Cum ægrotares morti vicinus, cumque satisfacerem provinciæ huic mortalitate imminente, impetravique a Domino meo Jesu Christo, ut visitaret populum meum; tunc etiam Dominum pro te rogavi, et tu ab infirmitate liberatus vite conversionem promisisti: et tamen ab eo tempore te ipso semper deterior exististi. Qua igitur fronte, lucris et nugis aulicis deditus, me invocare ausus es? Illo vero emendationem vite cum lachrymis pollicente, sane Virgo hilariori jam vultu eum intuens: Misereor, inquit, tui, si tu ipse tui misertus Deo servire vel sero volueris. Mox ille ejus contactu sanatus monasticum habitum accepit, et devote Deo serviens in Priorem apud S. Bartholomæum Londoniæ *t.* electus est.

*AUCTORE ANONYMO. Furtum divinitus impeditum: clericus ad frugem reductus:*

*s.*

**11** Mulierem contractam Virgo sancta crexit; juveni muto et surdo loquendi et audiendi facultatem restituit, et multis aliis, opem ejus in sua infirmitate implorantibus, reddita sanitate, subvenit. Puella quædam officio brachii adeo privata, ut lateri ejus inseparabiliter inhæreret, cum meritis S. Osithæ perfecte sanata esset, votum continentiæ nuncupavit; sed postea cum quodam juvene matrimonium contraxit. Ei S. Ositha apparens, cur temerario ausu vota, quæ distinxerunt labia sua, rupisset, spurcissimum conjugium improperando, redarguit, et compedum vinculo invisibili pedes ejus arctius constrinxit, ut pedem pedi subjectum divellere non valens officio pedum prorsus destituta ultionis divinæ flagellum sentiret. At tandem tamen meritis sanctæ Virginis sospitate reddita, correctius deinde vivere studuit.

*varia infirmitates ejusdem ope curata: voti violatiæ correctæ:*

*t.*

**12** Mulier quædam multis annis pedibus ingredi non potuit. Itaque a custodibus ecclesiæ S. Edmundi *u.* tanquam opprobrium hominum et plebis abjectio repellebatur. Apparuit autem illi quidam, venerandi vultus, atque in visione dixit ei: Mulier, quid hic moraris? Frustra hic expectas, quod petis. Surge: alibi tibi quaerenda est salus, quam efflagitas. Et illa: Quis es, inquit, domine? Ego sum, ait, servus Dei Edmundus. Abi ad ecclesiam S. Osithæ, ut sanitatem perfectam consequi merearis. Quo cum illa pervenisset, dolore membrorum sedato, sana surrexit.

*mulier gressu donata.*

*u.*

## ANNOTATA.

*a* Willeburga, *Pendæ Merciorum regis filia, quamquam aliunde ignota, non propterea pro commentitia habenda est. At ignotus non est Frithewaldus, seu Frithewoldus, sæculo vii. Ad Commentarium prævium num. 15. Porro Dugdale tom. II Monastici Anglicani pag. 182 ex Joannis Lelandi Itinerario verbis ex Anglicis Latinis, suppresso S. Osithæ matris nomine, de patre locoque natali hæc recitat: S. Ositha, Fedwaldi filia, Querendonæ in parochia Alesburiensi nata, et ab amita apud Elesborowe inter montes Chilternenses tertio ab Alesburia lapide Austrum*

AUCTORE  
ANONYMO.

Austrum versus, educata fuit. Quo auctore hæc dixerit Lelandus, sæculi XVI sub rege Henrico VIII scriptor, nescio; sed, quantum Osithæ ad educationem attinent, non congruunt ea sequentibus.

b De hoc impio Merciorum rege multa apud venerabilem Bedam in *Historia Ecclesiastica gentis Anglorum* legere est. Lib. III, cap. 21 docet ille, ejus filium Alchfridum fidem Christi amplectum esse, patre, utut alias Christianis infesto, non obstante, nec prohibente, quin etiam in sua, hoc est, Merciorum natione, verbum (si qui vellet audire) prædicaretur. Vide etiam dicta in *Commentario prævio* num. 12.

c Vide, quæ in utroque *Commentarii prævii* § de S. Modwennæ ætate, constructisque ab ea monasteriis disputavimus.

d Noti quidem sæculo VII sunt Alchfridus et Alfridus, Oswii, Nordanhymbrorum regis, filii reges, de quibus actum in *Commentario prævio* num. 14; sed nulla ejusdem filia, Editha nomine. Adi eundem *Commentarium* loco mox citato, et § 2.

e Tota hæc de resuscitata ad vitam sancta Virgine narratio, quæ pari modo legitur in S. Darcæ seu Monynnæ *Vita Conchubraniana*, a Pinnio nostro cum debita censura ad diem 6 Julii edita, tantam fabulæ similitudinem præfert, ut certiores pro ea testes requiramus.

f Nun Anglice Latine Monialis est: Pole vel Poll caput; unde fortasse Nunpole vertendum est: Monialis caput. Verum hinc confirmari nequit miraculum, quale mox narratum est, cum alia de causa nomen istud loco indi potuerit.

g Ex dictis in *Commentario prævio*, non modo S. Modwennæ annus emortualis ignotus est, verum etiam ipsum, quo vixerit, sæculum: at ibidem etiam observatum est, nihil ob stare, quo minus post medium sæculum VII obisse credatur.

h Huc distuli iudicium meum de modis, quibus S. Ositha hic narratur regis sponsi sui amplectus evasisse, sique voti compos facta esse. Haud equidem negare velim, eam piis suis tergiuersationibus a suo conjuge permansisse intactam, eodemque consentiente, virginitatem in Chichensi a se condito monasterio, virginali amictam velamine, reliquum vitæ suæ professam esse; cum eodem sæculo VII simile exemplum habeamus apud

C Bedam lib. IV, cap. 19 in S. Etheldreda, bis nupta, primo scilicet Tonberto Australium Girciorum principi, deinde post Tonberti obitum Ecgrifido Orientalium Anglorum regi, ac tandem, servata in utroque conjugio virginitate, cum posterioris, cui duodecim annis nupta fuit, consensu monacha atque abbatisa Elyensi. Quapropter hic locum habere potest, quod ratione istius S. Etheldredæ ibidem habet Beda: Nec diffidendum est, nostra (Bedæ) etiam ætate fieri potuisse, quod ævo præcedente aliquoties factum fideles historiæ narrant; donante uno eodemque Domino, qui se nobiscum usque in finem sæculi manere pollicetur. Potuit ergo etiam S. Osithæ, fortasse solum brevi tempore, Sighero nupta, virgo casta permansisse ac deinde velata fuisse; cerum iste opportunus cervi ad regias aedes accessus, sumptumque ab illa, absente inscioque rege conjuge, virginali velamen, nescio, quid fabulæ sapiunt. Verisimilius diceretur Osi-

D tha (uti fecit Etheldreda) fuis ad Deum precibus, suaque pia solertia sui corporis immunitatem a viro suo impetrasse, nec ante ejusdem consensum velatam esse. Porro, cum ex dictis in *Commentario prævio* num. 13, Ecce et Bedwinus non ante annum 675 ordinati sint episcopi, ante eundem Ositha quoque ab eis nequit velari.

i Hujus loci notitiam dedi in *Commentario prævio* a num. 1. Quanto tamen tempore iste S. Osithæ parthenon persisterit, minime perceptum habeo; fortasse destructus a Danis, sæculo IX vel X, quibus ab illorum irruptionibus Anglia plurimum passa fuit.

k Dacorum partibus legitur in *editione Capgraviana*.

l Cum sæculo VII nulla fiat de Danorum in Angliam irruptionibus apud Angliæ scriptores mentio, sunt, qui S. Osithæ martyrium usque in sæculum IX differendum, non sine probabili ratione existimant. Lege tamen *Commentarium prævium* a num. 28.

m Hunc annum procul omni dubio vitiosum esse, monui in *Commentario prævio* num. 13 et 16.

n Suspectas nobis esse hujusmodi capitum deportationes, in hoc Opere nostro sæpe indicavimus, velut passim perperam assertas ex imaginibus sanctorum martyrum caput in manibus suis ad significandum eorum mortis genus, gestantium, quod hic denuo observatum volo.

o Aliunde mihi minime notus hic fons est.

p Egleburgum a Saxonico Egleburg, alias Ailesburia, Anglis Ailesbury, oppidum Angliæ est in comitatu Buckinghamiensi ad fluvium Tamam.

q Pro hac quoque tam mirabili translatione, certiore biographo, testem requiro.

r Mauritius, de quo hic, apud Godwinum in *Commentario de Prasulibus Angliæ, Londinensi ecclesiæ præfuisse* dicitur ab anno 1087 usque in 1107; quo tempore, eodem Godwino teste, Rofensi præerat Gundulphus. An igitur S. Osithæ corpus a sæculo VII, vel a nono, si posteriori hoc illa vitasse credenda sit, usque ad finem fere undecimi, vel initium duodecimi Egleburgi jacuit? Id equidem ex sola hujus biographi fide non auisim affirmare. Creditur mihi apparet, sacrum ejus corpus tempore irruptionum Danicarum e sua Chichensi non longe ab Oceano Germanico sita ecclesia Egleburgum velut in tutiorem locum delatum fuisse, earundemque metu cessante, ad Chichensem relatum.

s Haud satis mihi constat, an hic de monasterio virorum, qualia puellaribus ad divina his administranda olim addi solvere, prope S. Osithæ parthenonem condito, sermo sit; an de monasterio Canonicorum Regularium S. Augustini, quod sæculo XII a Richardo, Londinensi episcopo, eo loci conditum fuisse, ostendi in *Commentario prævio* a num. 1.

t Existimo, hic indicari prioratum S. Bartholomæi in Smithfelde in Suburbio civitatis Londinensis, de quo *Monasticum Anglicanum Tom. II, pag. 166 et seqq.*

u S. Edmundus, seu Edmundus, Orientalium Anglorum rex ac martyr colitur die 20 Novembris.



A

## DE S. ADELGISO EPISCOPO NOVARIENSI CONF.

## IN DUCATU MEDIOLANENSI.

## SYLLOGE.

## Sancti cultus sacer, ætas, et in ecclesiam suam munificentia.

SUB MEDIUM  
SECLUM IX.  
S. Adelgisus  
episcopus No-  
variensis,

**I**nter nobiliores episcopatus Insubriæ, qui metropolitana Mediolanensi suffragantur, haud postremum locum obtinet Novariensis, inquit Ughellus Italia sacra auct. tom. IV col. 689, a sua prima conditione antiquus, nobilis et opulentus. Mitto illa, quæ de civitate Novariensis antiquitate; de gentibus variis, quarum dominio fuit subjecta; ac disseminatæ apud ejusdem incolas Catholicæ fidei origine, idem Ughellus scribit: duarum præsertim ecclesiarum Novariensium, de quibus infra sermo recurret, ibidem col. 690 Ughellus meminit, nempe cathedralis, assumptæ in cælum Deiparæ Virgini dicatæ, et S. Gaudentii, Novariensis episcopi, in civitate olim suburbio sitæ, nunc dirutæ, cujus Præpositus ac canonici aliquot ad cathedralem ecclesiam translati fuerunt. Novariensium dein præsulum seriem explicans Ughellus loco trigesimo secundo S. Adelgisium (aliis Adelgisum, aliis etiam Aldigisium dictum) memorat, quod item fit in Catalogo Novariensium episcoporum apud Carolum a Basilica Petri, Novariensem item episcopum, lib. 1. pag. 399. Gesta ejus fere in occulto sunt, si pauca excipias, quibus peperit invidia temporum: unde et paucis martyrologis notus, Castellani tamen diligentiam non effugit, qui illum ad diem 6 Octobris in Martyrologio Universali, Gallice scripto, verbis paucis, ac sine temporis, quo floruit, nota in hunc modum annuntiat. Novariæ in Ducatu Mediolanensi S. Adelgisus (Gallice S. Algis, ut interpretatur) episcopus.

sæculo XVI  
Officio dupli-  
coli captus,  
corpore

2 Paulo plura ex Monumentis ecclesiæ Novariensis Ferrarius suppeditat in utroque Catalogo Sanctorum: in eo, quem de Sanctis Italia exaravit, ita ad 6 pariter Octobris diem loquitur: Adelgisus, seu Aldegisius, episcopus Novariensis, multa cum religiose, tum liberaliter egit, cujus in omni opere pietas elucebat. Collegium Canonicorum basilicæ cathedralis beneficiis auxit, ipsamque cathedralem donis exornavit. Vixit in episcopatu annos XIX, Sergio II et Leone IV (quorum ille ab anno 844 usque ad annum 847; hic vero abhinc ad annum usque 833 Ecclesiam moderatus est) summis Pontificibus. Plenus autem dierum meritorumque obdormivit in Domino pridie Nonas Octobris, cujus corpus in aede S. Gaudentii tumulatum ad hæc usque tempora requiescit. Eodem recidunt, quæ de S. Adelgiso in Catalogo Sanctorum Generali Ferrarius habet. Cultus sacri Episcopo suo a Novariensibus impensi testem habemus Carolum, Novariensem episcopum, Operis, supra laudati,

pag. 280 ita scribentem: Colit eum Sanctorum honore ecclesia Novariensis, et memoriam ejus celebrat Nonis Octobris. Huc facit etiam, quod de S. Adelgiso in Annotatis scribit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italia: Hujus S. Episcopi natalis ab anno Domini MDLXXXII celebrari cœpit (ritu duplici celebrari illum, ait in Catalogo Sanctorum Generali) a Francisco Bossio, episcopo Novariensi, in tabulis ad usum sacrum compositis adnotatus. Huc denique facit etiam facta jam ante corporis S. Adelgisi e diruta S. Gaudentii ecclesia in S. Vincentii intra urbis Novariensis muros sitam translatio.

3 Carolus, Novariensis antistes, pag. 27 de illa ita scribit: Reliquiæ primum (S. Gaudentii) a vetere ecclesia S. Gaudentii in ecclesiam S. Vincentii illatæ sunt die XXI Octobris MDLIII, quo die ejus translationis memoria celebratur. Et adhuc in ecclesia sunt, quæ a parte illius novæ ecclesiæ Meridionali remanent, nunc quidem secretarii loco. Hic ergo colitur corpus S. Gaudentii, primi episcopi et patroni ecclesiæ Novariensis, et item S. Adelgisi episcopi admodum celebris. Qua occasione et causa facta sit illa SS. Gaudentii et Adelgisi per Joannem Cardinalem Moronum solennis, ut in Morono Ughellus scribit, translatio, docet idem Carolus a Basilica Petri lib. 1. pag. 374: Eo tempore (Novariæ sedente Morono) munitionis causa ecclesiæ ac monasteria, quæ prope mœnia erant, destruenda quidam (quam pie ipsi viderint) censuerunt; simul ut eorum materia usui esset ad muros ædificandos; quæ ruina jam cœpta erat anno MDI. Cum enim rursus in regione Pedemontana bellum renovatum esset inter Gallorum regem Henricum, et Carolum (F) casarem, de munienda urbe Novaria actum est, suburbiiis, quæ olim ipsa quoque munita erant, exclusis. Hæc translationis occasio et causa: Diruta vero sunt, inquit præterea Novariensis antistes Carolus, ecclesiæ et monasterium S. Mariæ Carmelitarum, ecclesia antiqua S. Gaudentii (in qua S. Adelgisi reliquiæ jacebant) ecclesia et monasterium S. Mariæ monialium ad casellas: ecclesia et monasterium S. Petri, martyris Ordinis S. Dominici: ecclesia et monasterium S. Laurentii, ecclesia et monasterium S. Joannis Ordinis Eremitarum S. Augustini.

4 Eversa veteri S. Gaudentii ecclesia, Novarienses cives novam eidem Sancto intra urbis sinum excitare voluerunt; cujus demum primarius lapis, inquit Carolus lib. 1. pag. 27, positus est die XXI Martii MDLXXVII: quæ cum annis tredecim sumptuoso opere ac elegantibus fabricata, licet non perfecta, in eum tamen statum adducta

AUCTORE  
J. B.

E

in veteri S.  
Gaudentii diu,  
dein tantisper  
in S. Vincentii  
ecclesia quie-  
vit,

F

nunc in nova  
S. Gaudentii  
quiescit,

AUCTORE  
J. B.

adducta esset, ut in ea celebrari divina possent, ab episcopo (Novariensi) Cæsare Speciano consecrata est xv Cal. Januarii mxc. Ex quibus verbis, cum iis, quæ numeri superioris initio ex eodem Carolo adduci, collatis, apparet, S. Gaudentii, et, ut pag. 287 idem Carolus addit, S. Adalgisi reliquias primum quidem anno 1355 in Vincentii ædes, ac dein post annum 1377, in novam S. Gaudentii ecclesiam fuisse translatas: unde Ughellum emendes in Adalgiso ita scribentem: Ejus corpus cum aliis Sanctorum reliquiis translatum fuit a Veteri S. Gaudentii ecclesia in Novam anno mclm. Ex iisdem item apparet, qui intelligenda sint hæc, quæ supra retuli, Ferrarii verba: Cujus corpus in æde S. Gaudentii (nimirum olim in veteri, nunc vero servatum in nova) tumulatum ad hæc usque tempora requiescit. Atque hæc de cultu sacro S. Episcopi dicta sufficiant: pauca tamen dicenda de die, quo colitur.

videturque  
coli 7 Octo-  
bris.

5 S. Adalgisum pridie Nonas ex hac vita migrasse, Ferrarius ait verbis supra citatis; quapropter illum ad diem 6 Octobris Catalogo suo inseruit. Ita fortassis in Tabulis ecclesiæ, quas laudat, invenerit: Castellanum hic non moror, qui e Ferrario S. Adalgisum verosimillime in suum Martyrologium transtulit: nobis vero, quibus Sanctos ad eos dies, quibus sive obitus, sive depositionis, sive denique translationis sint, coluntur, maxime referre mos est, ad hunc diem de illo agere visum, ut ad diem præcedentem in Prætermissis est dictum, quod Nonis Octobris S. Adalgisum Novariæ coli disertis verbis, ut num. 2 videre est, testetur Carolus a Basilica Petri, loci episcopus, idque in Opere, quod de ecclesia sua ex instituto conscripsit, et annis a relato in tabulas ecclesiasticas S. Adalgiso non admodum multis: nam ab anno 1382, quo id præstitisse Franciscum Bossium, Novariensem episcopum, Ferrarius scribit, usque ad annum 1612, quo Caroli Opus, quod præ manibus habeo, typis Novariensibus prodit, anni dumtaxat sunt 50; atque adeo decessoris sui Bossii, licet non proximi, gesta, diemque, quo, se episcopo, S. Adalgisus colebatur, optime procul dubio habuit explorata; ut, si alteruter hic errorem admiserit, hunc non Carolo, sed Ferrario, in quo alias non raro desideratur accuratio, potius adscribere, longe consultius videatur.

C  
Episcopum  
Novariensem  
egit sub me-  
dium sæcu-  
lum ix.

6 Castellanus, cum nullam adjecerit S. Adalgiso, quo vixerit obieritque temporis notam, Ferrarii dictum, quo illum sub medium sæculi noni, Pontificibus Sergio II et Leone IV, floruisse asseruit, ut minus tutum habuisse videtur: recte tamen illius ætatem Ferrarius assignavit. Conficitur id ex triplici illius ætatis monumento: primum exhibet Muratorius tom. V Antiquitatum Italicarum mediæ ævi coll. 983 et 986, estque decretum synodale Angelberti, archiepiscopi Mediolanensis et comprovincialium episcoporum, quo monasterio Briziano SS. Faustini et Jovite immunitas confirmatur, datum Anno Domini Incarnationis (Decreti verba sunt) dcccxli. Anno etiam imperii Christianissimi Lotharii imperatoris vicesimo tertio, Indictione v. Ubi secundo loco subscriptus legitur S. Adalgisus hoc modo: Ego Adalgisus indignus episcopus subscripsi et consensi. Alterum charta est ipsius Adalgisi, a Carolo Novariensi episcopo pag. 284, velut in archivio episcopali existens laudata, ac Papiæ data anno imperii Lotharii xx Indictione iii.

Tertium Ludovici II Augusti diploma est apud Muratorium citatum tom. I coll. 925 et seqq., per quod Dodoni (quem Odonem Ughellus vocat) Novariensi episcopo, et S. Adalgisi successori proximo, omnia privilegia ac jura confirmat anno Christo propicio Imperii Domni Hlotharii, gloriosissimi augusti xxxv et Hlodovici filii ejus piissimi imperatoris in Italia v, Indictione ii. Indictiones v, iii, et ii annos 842, 840, et 834 designant, quidquid sit de epocha, unde in illis Lotharii anni computentur, quam variam fuisse, docent Pogius ad annum 821 et seq., et Muratorius in Annalibus Italiæ ad annum 822. Porro ex postremo monumento liquet, S. Adalgisum post annum 834 in vivis superstitem non fuisse, et ab anno saltem circiter 855 Novariensem cathedram tenuisse, si illam annis novemdecim ab illo occupatam, auctor Catalogi præsulum Novariensium apud illustrissimum Carolum a Basilica pag. 399, ipse Carolus, et Ughellus recte scripserunt.

7 Si gentem querimus, qua fuit oriundus S. Adalgisus, suspicari ex nomine licet, eum genere Langobardum fuisse: eo enim nomine Adalgisum, Desiderii Langobardorum regis filium, vocitatum scimus. Favet utcumque huic conjecturæ etiam temporis ratio: etenim cum ultra annum 834 vitam non duxerit, ut supra diximus, nasci facile potuit sub ea tempora, quibus, inclinante jam sæculo octavo, Langobardorum in Italia regum Caroli Magni virtute excisum fuit. Ceterum sancti Præsulis gesta, ut diximus, nobis invidit temporum vetustas: non ita tamen, quin pauca saltem monumenta supersint, quæ illius in clerum suum amori ac munificentiæ testimonium perhibeant. Audi in hanc rem Carolum Novariensem episcopum, sæpenumero jam laudatum. Dedit igitur Adalgisus, optimus episcopus, inquit ille pag. 282 et seq., ecclesiæ Majori multa bona, quæ notata sunt in antiquis membranis ejusdem ecclesiæ, et in litteris Lotharii imperatoris, ut dicitur: licet nominum mutatione, ut fit, nonnulla nunc incognita sint: atque etiam a Francis hominibus corrupta. Curtem nimirum sancti Germani cum appendiciis suis, simul cum capella seu oratorio S. Michaelis, cum iis, quæ ad ipsum aspicunt. Curtem, quæ vocatur Gemini, cum appendiciis suis. Decimam annonæ vini et pecorum, accipiendam de civitate, et de quibusdam cortibus suis. Quarum nomina hæc notata sunt: Domus, Celeda, Ruscalina, Cista, Bauca, Cado, Episcopiano, Casale Madenig. Item jus accipiendi decimam de beneficiis vassallorum suorum, quæ ipsi specialiter in suo retinent domino.

8 Item decimam de aliquibus villis, per decem-  
cesim suam consistentibus, quæ vocantur Gra-  
notium, Paliada, Nemenoniæ, Piscinarioli,  
Casaligla, Glaucliana, Oblatum, Agoniata,  
Camilianum, Isarnia, Severiascum, Mateum,  
Berzini, Vebra, Aquilianum, Cameri, Seca-  
sianum, Galiatum, Berzonate, Pernitate, Ma-  
punianum, Palatiolum, Vilane, Graticinum,  
Sacianum, Tercade, Villa S. Germani. Quæ  
nomina magna ex parte corrupta sunt, sicuti  
et locutio. Hactenus Carolus, hæc magna ex parte  
ex ecclesiasticis bonis, quorum quarta pars ex  
veterum canonum instituto debebatur clero,  
eidem, quod vel ex ipso contextu donationis, a  
Carolo partim descripto, verum apparet, ab Adel-  
giso,

D  
gente forte  
Langobardus:  
latent fere  
ejus res gesta,  
E

F

supersunt  
tamen

A giso concessa fuisse, existimans : unde merito colligas, sanctum Episcopum veterum canonum observantissimum fuisse. Sed et aliam ex bonis, ut apparet, propriis, cum eam pro salute sua et parentum fecisse se dicat, hæredibusque interdicat, ne eam infringere audeant, ecclesiæ S. Gaudentii donationem fecit, quæ adhuc existat, et in sancti Episcopi memoriam ex eodem Carolo pag. 285 et seq. huc transcribitur : est vero hujusmodi : Ego in Dei nomine Adelgisus, gratia Dei sanctæ Novariensis ecclesiæ episcopus, propter salutem dixi : Considerante me Dei omnipotentis misericordia, quod pro remedio animæ meæ vel parentum meorum, ut mihi in æterna vita ad salutem proficiat : necesse est semper illud agere, unde hic et in futuro sæculo plena apud omnipotentem Deum maneant merces.

quædam in ecclesiam suam

9 Proinde ego, qui supra, Adelgisus episcopus judico, atque instituo et per præsentem cartulam judicati confirmo, id est, curtem meam dono, coltile, quod habeo in fine, vel fundo vici Cisti subterioris, vel in ejus territorio, seu et casas massarietas, quas habeo in nostro vico Cisti et mihi advenerunt ex rebus de banno Adeldardi ex genere Francorum, seu et de aliis hominibus, id est, casis, curtis ædificiis, ortis, campis, areis, pratis, vineis, silvis, pascuis, astalaris, aquationibus, vicinalibus, cultilibus, vel incultilibus, divisis aut indivisis, mobilibus, vel immobilibus, seseque moventibus, puteo, usu putei, extrinsecis, vel intrinsecis, casis, accesso, vel ingresso : omnia, et in omnibus, et in integrum curtem dono, coltile, seu, et massarietas quantascumque in nostro vico Cisti mihi per cartulam et comparationem, aut per quævis ingenio, ibidem acquisivero, judico, atque instituo ego qui supra Adelgisus episco-

pus canonicæ S. Gaudentii (S. Laurentii male apud Ughellum legitur) quæ est fundata foris murum civitatis Novariæ, ubi corpus sanctum ejus requiescit.

AUCTORE J. B.

10 Et volo, ut ipsi canonici, qui ibidem pro tempore fuerint, habeant et frui debeant nostris rebus ; et exinde vestimentum et calceamentum procurare debeant, ut mihi in æterna vita ad salutem proficiant. Et hoc volo atque instituo, ut defensionem tantummodo habeant a Pontifice, qui pro tempore in civitate Novaria fuerit. Nam alia repetitio ab eodem pontifice nihil obtineat ; sed hoc volo, ut meum factum, sicut superius legitur, perennis temporibus firmum, et stabile permaneat, et non liceat nolle, quod volui ; sed quod semel a me factum, vel conscriptum est, omni in tempore inviolabiliter conservari promitto. Et si ullus de hæredibus, vel parentibus meis contra hoc meum factum ire quomodocumque voluerit, non valeat vindicare, quod repetiit ; sed sit culpabilis auri una cum soc. fisco lib. quinquaginta, et hoc meum factum firmum, et stabile debeat permanere. Actum intra civitatem Novariæ.

munificentia

11 Ego Adelgisus ac si indignus episcopus hanc cartulam donationis a me factæ, vel roboratæ manu propria subscripsi ; et honorum hominum roborare decrevi. Signa... manuum Ragimberti Franco et Vasallo Domi regis.... Signum... manus. Ego.... Vhildritus presbyter suscrip. Ego Crembertus rogatus subscripsi. Ego Ansfredus presbyter in hoc judicatu manu propria... subscripsi.... Ego Basiliscus presbyter in hoc judicatu manu mea scripsi. Ego Julio notarius scriptor hujus cartulæ judicati scripsi, post tradita complevi, et dedi etc.

E documenta.

## DE S. MARTINO CONFESSORE

### PRIMO ABBATE BELLI-FONTIS, NUNC VALLIS-PARADISI

IN LEGIONENSI REGNO HISPANIÆ.

#### COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. Notitia monasterii veteris ac novi, ubi præfuit, cultumque obtinuit : ejus memoria in Martyrologiis, cultus et officia Ecclesiastica : gesta unde referenda.

ANNO MCLII. Situs ac nomina monasterii,

Hujus loci notitiam, quæque de ejusdem primo abbate, S. Martino, novimus, fere omnia habemus ex illustrissimi Angeli Maurique, Pacensis episcopi, sui Ordinis Cisterciensis Annalibus magna fide conscriptis. Hoc teste ad annum Christi 1157, cap. 5 num. 1, monasterium BELLI-FONTIS, hodie VALLIS-PARADISI prope Peleas inter Zamoram, Salmanticamque (regni Legionensis civitates) situm est in diocesi Zamorensi. Deinde Octobris Tomus III.

ibidem num. 8, Nomen, inquit, a fonte proximo mutuatum BELLI-FONTIS vocabulum fecit. Id varie mox retentum, omissumve, et convicino castro non raro cedens, SANCTA MARIA, nunc DE BELLO-FONTE, nunc DE PELEIS, dicta vulgari usu ; tandem mutato loco, prorsus evanuit, atque in VALLEM-PARADISI mutuatum est Ferdinandi Legionensis regis jussu, quod suo loco et tempore dicemus. Interim adnoto, eumdem Ferdinandum, cum translationem privilegio suo munit, primitiva vocabula expressisse, dum ait : 119 « Abbas

AUCTOR  
C. S.

» Abbas et monachi monasterii de Bello-fonte,  
» quod Peleas generaliter appellatur, Ordinis  
» Cisterciensis. » *Sed de his pluribus infra.*

cujus primus  
abbas

2 *Ejusdem loci primus abbas Ordinis Cisterciensis, etsi certus ejus sit et antiquus cultus, admodum paucis notus est martyrologis, e quibus Chrysostomus Henriquez in Martyrologio Cisterciensi eum hodie primo loco cum sequenti elogio annuntiat:* In Hispania S. Martinus abbas, sanctissimi patris Bernardi discipulus, quem Alphonsus imperator in obscurissimo antro seminadum, seque flagellis crudeliter cadentem invenit: quo spectaculo commotus pius princeps monasterium, quod hodie celeberrimum est, et VALLIS-PARADISI nomen obtinet, construxit, ibidemque sanctum Virum abbatem praefecit. Qui familiae Dominicae pastor constitutus sollicito curam gessit, vitaeque illi integritas mirabilis fuit, et in perferendis omnibus spiritualis militiae adversitatibus invicta animi fortitudo: totque tam in vita, quam in morte, claruit miraculis, ut Sanctorum numero sit adscriptus.

in paucis  
Martyrologis

5 *Brevius illum eodem die memorat Hugo Menardus in Martyrologio Sanctorum Ordinis Benedictini, In Hispania, inquit, sancti Martini abbatis. Non alium autem hic, quam Bellifontis Abbatem designari, constat ibidem ex lib. II Observationum, ubi eadem fere, quae ex Henriquezio mox retuli, omisso tamen rectius S. Bernardi magisterio, annotavit. Henriquezium sic secutus est Gabriel Bucelinus in Menologio Benedictino ad eundem diem, ut primam elogii partem mutaverit, ita orsus: In Hispania S. Martini, abbatis Vallis-paradisi. Martinus, vir praecleari nominis et admirandae virtutis, tenella etiamnum aetate promissis illectus Euangelicis, relictis parentibus, insalutatisque amicis, cucullo se abdidit, et absolutum perfectionis magistrum, doctorem nostrum melliflum (S. Bernardum Claravallensem abbatem) indeptus, dignissimus postea visus est, qui in Hispanias usque mitteretur. Quem cum Alphonsus etc. fere ex Henriquezio.*

hoc die annuntiatur duplici de causa.

4 *Eundem denique sanctum Abbatem Joannes Tamayus in Martyrologio suo Hispanico, hoc pariter die sic celebrat: Bello-Monti, (imo Bello-fonte) apud Zamoram in Hispania Citeriori, sancti Martini, abbatis Cisterciensis (adde Ordinis) qui cum primus abbatibus illius cœnobii infulas induisset, bonis operibus insudando, ad fulgentem gloriae clamydem evolavit. Hoc aliaque jam data elogia examinabo inferius. Apud alios martyrologos hujus Sancti memoriam hoc die non legi, ne apud Philippum Ferrarium quidem, nec apud sagacissimum Sanctorum indagatorem, Castellatum. Duplici autem titulo ille ad hunc diem Martyrologis inscribi poterat, natalis scilicet seu obitus, et translationis, quam eodem die contigisse, eodemque Officio ab Hispanis Cisterciensis Ordinis alumnis recoli, mox videbimus. Eundem tamen Martyrologium Cisterciense, inter Monastica ad calcem Romani, a Benedicto XIV Papa aucti et castigati, editum postridie sic primo loco memorat: In Hispania sancti Martini abbatis Vallis Paradisi, Cisterciensis Ordinis, sanctimonia et miraculis clari. Mutati diei ratio est, quod ex infra dicendis ejusdem Sancti Officium, dum ad universum Cisterciensem Ordinem extensum est, diei 8 Octobris fuerit affixum.*

5 *De insigni illius cultu Manricum ad annum*

*Christi 1132, cap. 4 audiamus. Miracula (ait ibi num. 2) testantur antiquae tabulae, tam viventis, quam vita jam defuncti, seu translati ad meliorem, quibus non solum ipsius propria capella [in qua] per multos annos mansere cineres Sancti, sed fanum ipsum constructum post annos aliquot, decorari conspicitur, atque ad altare majus affixae imagines, non minus ex antiquitate venerandae, quam ex situ. Ibi complures sanitati restitutos ex variis morbis, atque ipsum Sanctum imponentem singulis manus, tum flagris se cadentem, orantemque; atque id genus alia per picturas (ignorantium hominum libros) miracula et virtutes exprimentes, cernere licet. Haec ibi.*

D  
De cultu ejus  
constat ex  
anathematis  
et picturis  
publice ex  
positis.

6 *Tum rursus num. 9 subdit: Festum B. Martini celebratur non solum in proprio ejus monasterio, sed in tota alma Hispaniarum Congregatione (scilicet Ordinis Cisterciensis) die septima mensis Octobris, qua simul obitus et translatio contigere: qua item die ipsius mentionem faciunt Martyrologium Monasticum et Menologium Sanctorum Cisterciensium, Joannes abbas, et Missale antiquum Ordinis, Auber-tus Mireus, et alii recentiores. Ex his quaedam breviter per anticipationem dicta, reliqua fusius dicemus suis temporibus. Translatio, quia in eundem diem incidit, non habet peculiarem celebritatem. Praedictam autem Officii extensionem primum contigisse anno 1340, docet in Appendice ad tom. IV eorumdem Annalium, seu in Serie abbatum Palaciolensium, sub Mancio, quadragesimo octavo abbate, num. 5 dicens: In hoc capitulo (anni 1340) celebrari jussum festum S. Martini, primi Vallis-paradisi abbatis, per totam observantiam, quod hactenus, neque id a multis annis, solum in propria ecclesia celebrabatur. Laudatum Officium habere suas Lectiones proprias, discimus ex eodem Annalista, dum ibidem num. 5 praemisit octavam ejusdem Lectionem, quae de S. Martini corporis translatione agit, quam et ego ex ipso recitabo inferius.*

et ex Officio  
hoc die in  
Congregatio-  
ne Hispanica

7 *Scrispsit ista Manricus sub medium saeculum XVII, quo fortasse tempore sola Hispanica Cisterciensium Congregatio, de qua sola ille ibi meminit, annum istud S. Martini Officium celebravit. At ineunte saeculo XVII, extensa fuit ad universum S. Bernardi Cisterciensem Ordinem facultas eundem S. Martinum Officio ritus duplicis quotannis honorandi. Ita didici ex decreto sacrae Rituum Congregationis Romanae, edito die 15 Augusti anni 1701, unaque cum aliis ejus generis decretis ab eadem sacra Congregatione in gratiam ejusdem Ordinis concessis, a Clemente XI Papa die 23 Septembris anni 1710 confirmato; quod praefatum legitur Proprio Sanctorum, ad usum monialium dicti Ordinis, quae Romano Breviario utuntur, anno 1759 Molinis in Gallia vulgato. Translatus hic est cultus in diem posturum, octavam scilicet Octobris, quia dies 7 impeditus erat festo pariter duplici de S. Justina virgine martyre Patavina.*

alteroque ritus  
duplicis  
postridie cele-  
brando

8 *Officium autem S. Martini ibidem fit ex Communi Confessorum non pontificum: Lectiones I Nocturni sumuntur ex Scriptura Occurrente; secundi Nocturni ex Sermone S. Bernardi in festo S. Martini episcopi: tertii Nocturni ex Evangelio S. Matthaei: Dixit Petrus ad Jesum etc.; cum Homilia ejusdem S. Bernardi de Colloquio Simonis cum Jesu: Nemo sanae mentis etc.:*

toti Ordini  
ineunte saeculo  
XVII con-  
cesso.

Oratio

A *Oratio denique hæc est* : Exaudi, Domine, populum tuum tota Tibi mente subditum, et beati Martini abbatis supplicatione custodi, ut corpore et corde protectus, quod pie credit, appetat, et, quod juste sperat, obtineat. Per Dominum etc. *Ex hæcenus dictis dicendisque in dubium revocari nequit legitimus S. Martini hodierni cultus, eaque ratione ille vere dici potest, ut supra dicit Henriquezius, Sanctorum numero adscriptus : verum nescio, an id per formalem a summo Pontifice canonizationem factum sit, ac proinde quam vere Henriquezius in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis lib. II, distinct. 26, cap. 24 dixerit : Diploma canonizationis ejus extat Romæ in Vaticano.*

Si qua exstiterit ejusdem Vita antiqua,

9 *Exstitisse aliquam hujus sancti Abbatis Vitam, colligit Henriquezius in Menologio Cisterciensi ad hunc diem, ex adductis de eo hisce Seguinii verbis* : Unde et multis in vita et post mortem emicuit miraculis, sicut in ejus Historia legitur. *Sed nonne Historia nomine Seguinus designasse potuit proprias illius Officii Lectiones, quas, cum mihi ad manum non sint, nequeo cum ceteris Seguinii dictis ab Henriquezio relatis conferre; id tamen dicere licet, in octava ejusdem Officii Lectione, ex Manrico inferius describenda, expressam de miraculis ab eo Sancto, dum viveret, patris exstare mentionem. Adhæc, ut sit, Philippus iste Seguinus, monasterii Chalisii, seu Caroliloci, diocesis Sylvanectensis in Gallia, monachus ac Prior, vixit sæculo XVI, vivebatque etiam anno 1590, teste Carolo de Visch in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Cisterciensis, in qua et illius elogium datur, et inter ejusdem Opuscula inedita Catalogus Sanctorum Beatorumque universi Ordinis Cisterciensis, eorumdemque Vitæ plurimæ laudantur.*

ca dudum perisse videtur.

10 *Ponamus ergo, aliquam S. Martini Bellifontani abbatis Vitam, quæ Seguinto præluxerit, vere exstitisse; nihilo minus dubium erit, cujus illa temporis, cujus fidei fuerit, cum inter S. Martini obitum, Seguinique ætatem quatuor sæcula intercesserint, quorum quoto illa Vita scripta fuerit, nescitur. Porro si qua unquam, qualiscumque illa demum fuerit, Vita exstitit, videtur a solo Seguinto visa fuisse (cum hanc ex eo solo alii laudent) ac Henriquezii tempore aut jam perisse, aut latuisse, cum ipsemet in Menologio dicat : Hujus Sancti (Martini) festività in universa Congregatione Hispanica hac die solemniter recolitur, solemnissime recoleretur, si Historiam vitæ ipsius, quam Philippus Seguinus penes se habuit, Hispani obtinere potuissent. Nec notior ea fuit Tamayo, dum ad Martyrologium suum Hispanicum hoc die annotavit : Ejus Acta penes se habuit Philippus Seguinus; sed nostrorum dispendio perierunt. Frustra igitur pro eadem obtinenda laborarem, proindeque cogor solum ea, quæ recentiores, ac in primis illustrissimus Manricus, Pacensis in Hispania episcopus, in sui Cisterciensis Ordinis Annalibus, de hoc sancto Abbate scripserunt, colligere, quantumque per monumentorum penuriam licebit, illustrare.*



## § II. Sancti cognomen ac patria : susceptum sacerdotium : præfectura in hospicio pauperum : additum huic monasterium Ordinis Cisterciensis, gestaque ab ipso ibidem prælatura : illius obitus ac primi successores.

AUCTORE  
C. S.

Martinus, teste supra laudato Manrico ad annum Christi 1157, cap. 3, num. 1, fuit cognomento Cimis, genere nobilis, patria Zamorensis, jamque sacerdos, ac pio cuidam peregrinorum hospicio præfectus, dum Cisterciensia Instituta complexus est. De cognomento Cidis constat tam ex charta donationis Alphonsi VIII, alius VII, Castellæ et Legionis regis, quam ex inscriptionibus, quas suis locis recensebo. At unde id cognomen acceperit, nemo explicat. Floruit quidem in Hispania post medium sæculum XI famosus bellator Rodericus, multis victoriis de Maurorum regibus relatis clarus, ab iisque voce Arabica Cid, quæ Ducem, Gubernatorem, Regulumque sonat, salutatus, unde et id cognomen retinuit : verum huic Cido unicum filium fuisse lego, ante patrem in pugna casum, duasque filias; nec existimo, censuisse Manricum, Martinum ex illius posteris fuisse, quod ex Roderici historia minime verisimile est; ac multo malo credere, Martino cognomentum Cidis aliunde obtigisse.

Cognomento Cidis fuit, gente Hispanus,

E

12 *Hinc nihil quoque habeo, quod pro ejusdem generis nobilitate confirmanda proferam, nisi quod non incongruum nobilitati patrimonium ei fuisse videatur ex iis, quæ de erecto, cui præfuit, pauperum hospicio infra dicemus. Pro Hispana illius patria faret cognomentum Cidis, seu Cid, pro natali autem solo Zamorensi tum ejusdem in Zamorensi diocesi tam ante, quam post susceptum Cisterciensium Institutum habitatio et obitus, tum in postremo illius epitaphio, suo loco recitando, Zamorensium gloria appellatio. Tamayo in Annotatis ad Martyrologium Hispanicum hoc die 7 Octobris, eundem natiuitate Gallum potius existimasse videtur, Martinus, inquit, sancti patris Bernardi discipulus, qui ex cognomento Cid origine Hispanus creditur, ab ipso sancto patriarcha cum Ægea, Bernardo et Petro Pictaviensi in Hispanias dimissus, ut Ordinem Cisterciensem inter Hispanorum militum agmina extenderet. Fortasse ejusdem opinionis fuit Bucelinus, qui verbis num. 5 relatis dicit, Martinum in tenera ætate monasticam vitam amplexum, sub S. Bernardo Claravallensi abbate tantum profecisse, ut dignissimus visus fuerit, qui in Hispanias usque mitteretur. Verum hi nituntur Seguinii loco, infra recitando, non admittendo.*

ac verisimilius patria Zamorensis, non Gallus.

F

15 *Redeo ad Manricum, de S. Martino, jam viro, ac verisimiliter tum etiam presbytero, sic prosequente* : Eum locum (in quo monasterium Bellifontis postea fuit edificatum) speluncam latronum olim... primum quidem in domum orationis,

Jam sacerdos, pioque pauperum hospicio

AUCTOR  
C. S.

orationis, mox, junctis sociis, in transeuntium hospitium, commutaverat: inde Hispano vocabulo ALUERGUERIA, quod in eo peregrini suscipiuntur, vocitatum. Confratribus (sic enim vocabantur) præsidebat Martinus; illi pauperibus devote ministrabant; et erant xenodochio possessiones, de quibus pauperes Christi sustentarentur. Extat (in archivis Vallis paradisi notat in margine) Rescriptum Innocentii Papæ tertii, post septuaginta annos expeditum, quo recensitis non paucis possessionibus, hæc verba subjiciuntur: « Quæ omnia idem monasterium » (scilicet de Peleas, a loco vicino sumpto vocabulo « priusquam Cisterciensium fratrum Institutum susciperet, possidebat. » Quibus videas, et præcessisse ibi aliqualem conventum fratrum, confratrumve, quibus cura immineret peregrinorum; nec defecisse dotem pro necessariis, juxta tenorem et normam susceptæ vitæ. Hactenus ille.

inseverentibus  
presidens,

**B** 14 An dictum locum fuisse olim speluncam latronum, ex sola traditione populari aut inquilinorum, an ex aliquo monumento, probare antiquo Ms. testimonio, Annalista affirmaverit, non lubet mihi divinare: sed fuisse ibidem aliquod pium peregrinorum pauperumque hospitium, habemus ex supra laudata dandaque Alphonsi VIII, aliis VII Legionensis regis charta, in qua ille Aluergueria nova de Peleis appellatur. Aluergueria enim, seu Albergueria, Hispanum vocabulum, id sonat Latine. Recte item ex allegatis Innocentii III verbis statuit, fuisse ibidem, antequam locus iste Cisterciensibus se subdidit, quemdam conventum seu pium contubernium, suis dotatum possessionibus; quorum autem potius credamus, quam piorum virorum, qui eidem hospicio vel xenodochio inserverent? Certe laudata rex Alphonsus eundem locum, dum ad Cisterciensium transit, Aluergueriam, ut dictum est, vocavit, et Martinum, veluti ejusdem præfectum primo loco nominavit, et huic addidit Confratres suos, et monachos Cistercienses (tum scilicet a Martino recens eo accitos) qui cum eo sunt, inquilens, in conventu in Aluergueria nova de Peleis. Verba lege infra a num. 17.

Zamorensis  
episcopi opera

**C** 15 Pergo cum Annalista, cujus verba solum summam hic referam. Dum itaque Sanctus huic suo xenodochio, quod ipse suo ære fundaverat, auctoritate, religiose præerat, sanctioris vitæ incensus desiderio, motusque recenti exemplo monasterii Morerolensis, quod in eadem Zamorensi diocesi, sexto ab ea civitate lapide ad ripam Ezlae fluminis situm (de quo vide plura ad annum 1151, cap. 8 et sequenti) a Benedictinis Institutis ad Cisterciensia nuper transierat, Bernardum Zamoremensem episcopum convenit, flagitans, ut suam hic auctoritatem apud S. Bernardum Claravallensem abbatem interponat pro aliquot ex illius monachis e Claravalle, si fieri posset, obtinendis, quorum exempla vitæque rationem ipse cum suis æmularetur. Quod ut facilius ab episcopo impetraret Martinus, spondet, se suasque susceptam pauperum curam minime dimisuros, sed monasticam observantiam cum consuetis charitatis officiis conjuncturos.

admisso Cisterciensi  
instituto, præ-  
esse pergit,

16 Adhæc observat Manriens, laudatum Bernardum episcopum patriâ Gallum fuisse (Petra-coricensis in Aquitania dicitur apud Florez, t. XIV Hispaniæ sacræ pag. 535 et sequenti) sanctoque Bernardo familiarem. Quidquid sit de hac familiaritate, episcopus pium Viri desiderium pro-

bans, ad S. Bernardum scripsit, illiusque sanctitatem, atque exploratam in regendis subditis prudentiam, sic commendavit, ut quatuor ab eo ex ipsa Claravalle obtinuerit colonos, qui ceteris vivendi normam verbis et exemplis traderent; confirmata Martino in extruendo monasterio præfectura, quam in suo xenodochio hactenus gesserat. Hos quatuor Annalista Egeam, Gerardum, Petrum Pictaviensem ac Bernardum nominat, et post S. Martini obitum in ejusdem monasterii regimen successisse affirmat.

**D** 17 Missionem autem hanc ac monasterii initia anno 1157 illiganda esse, probat ex sæpe laudata Alphonsi-regis charta, quam ab ipso ex monumentis monasterii Vallis-paradisi vulgatam hic subjicio. Ego Alphonsus, imperator Hispaniæ, una cum uxore mea Berengaria, grato animo et voluntate spontanea, pro Dei amore, et remedio peccatorum meorum, et ut vita nostra et successorum nostrorum, cum Dei adjutorio et Matris suæ, Virginis Mariæ, valeat melius prosperari, et devotione, quam habeo erga Martinum Cidis, quem inveni virum justum et sanctum, et gratia et devotione, quam habeo erga confratres suos, et monachos Ordinis Cisterciensium, qui cum eo sunt in conventu in Aluergueria nova de Peleis circa ecclesiam sancti Michaelis archangeli, quos inveni facientes vitam sanctam et honestam, dono et concedo prædicto Martino Cidis et confratribus suis, et monachis Ordinis Cisterciensium, quicum eo sunt in dicta Aluergueria in conventu, nunc et in perpetuum duas villas meas, quæ sunt desertæ et depopulate, quæ sunt in termino de Zamora, et vocantur Cubo et Cubeto.

probante ac  
foundationem  
augente Al-  
phonso impe-  
ratore Hispaniæ,

E

**E** 18 Et dono et concedo prædictas villas Martino Cidis, et confratribus, et monachis supra-dictis, et successoribus eorum, jure hereditario.... Et mando prædicto Martino Cidis, et monachis, quod faciant ibi in prædicta Aluergueria unum monasterium Ordinis Cisterciensium ad honorem Virginis Mariæ, quod monasterium habeat jure hereditario in perpetuum prædictas villas cum suis terminis etc. Facta charta donationis Zamoræ, quarto Nonas Octobris, tempore, quo Guido Romanæ Ecclesiæ Cardinalis concilium in Vallisoletto celebravit, et ad colloquium regis Portugalliæ cum imperatore venit, m. clxxv. Subscriptiones regni procerum, quos plures fuisse, ait, prætermisit Manriens, suasque ad hanc chartam regiam observationes his verbis adjecit: Hinc primo videas sanctitatem Martini supra vulgarem, neque alias prædicandam a tanto principe. Videas secundo præcedentem conventum qualemcumque aliquorum confratrum probatæ vitæ, pauperibus ministrantium sub sancto Viro. Videas tertio associatos illis monachos, haud dubium, quin quos sanctus pater (Bernardus) miserat ad præsulis Zamorensis requisitionem. Denique videas designatum adventus annum, atque eo ipso monasterium mandatum construi.

cujus charta  
hic datur

F

**F** 19 Hiscæ etiam nostras annotationes addamus. Recte ista observavit Manriens, si missionem a S. Bernardo excipias, quam etsi, aliunde verisimilem, ego minime negare velim, ex allegatis tamen Alphonsi verbis neque confirmare. Fuit porro Alphonsus iste ejus nominis VIII, aliis VII, Castellæ et Legionis rex, qui se Imperatorem Hispaniæ dici voluit, annoque

et illustratur,

A 1153 talem coronari unguis fecit; ut apud Pagium in Critica Baronii ad eundem annum, alioque scriptores obvios videri potest. Berengarium, cujus Alphonsus ibidem meminit, Raimundi Berengarii, hujus nominis III Barcinonis ac Provinciae comitis, filiam, uxorem sibi duxerat anno 1124; cumque ipse ex Raimundo Burgundione, Gallæcie comite, natus esset, Cisterciensem Ordinem benigno prosequeretur affectu, ut Manricus ad annum 1151 jam observaverat ex Mariana lib. x, cap. 12, ubi ad propositum nostrum sequentia legere est: Bernardo Claravallensi... gentili suo in primis deditus erat (laudatus Alphonsus) eoque auctore plurima Cisterciensi familiæ monasteria extruenda curavit, ac ferme, quæ hoc tempore toto illo Hispaniæ tractu magnificentissima locupletissimaque extant.

ex qua constat, ejusdem monasterii primordia

20 De anno mandatae extructionis monasterii constat ex adscripta Æra Hispanica MCLXXV, quæ cum vulgarem Christianam annis triginta et octo præcurrat, annum Christi 1157 designat. De Guidone S. R. E. Cardinale, Sedisque Apostolicæ ab Innocentio II Papa in Hispaniam legato, consulti potest laudatus Pagius ad annos B 1156 et sequentem; paucisque hic ex Papebrochio nostro ad diem 50 Maii in Commentario prævio ad Acta S. Ferdinandi III, Castellæ, Legionis etc. regis § 5 observasse juverit, Hispanis regibus olim satis familiare fuisse, regnorum suorum annos in chartis donationum, non tam numero signare, quam re aliqua ad omnem posteritatem memorabili; quod hic quoque observavit Alphonsus, concilium Vallisoletanum a Guidone celebratum, suumque cum Lusitanæ rege colloquium memorando.

ad annum 1157, non seriis, figenda esse.

21 Ex eadem denique apposita Æra Hispanica MCLXXV recte redarguit Annalista Cisterciensis eos, qui Belli-fontani monasterii primordia post annum 1162, aut etiam post 1180 differunt. Causam vero, seu occasionem, tantæ Cisterciensium scriptorum hac super re discordiæ natam ex eo conjicit, quod solum pauci, quatuor scilicet e Claravalle coloni a S. Bernardo ad novum istud monasterium missi fuerint, solum veteri loci præfecto parituri. Nam hinc factum, censet, ut de hujusmodi domus initia instrumenta discordent etiam antiqua, et quædam neque inter Claræ vallis filias nominent, quædam postponent; quippe non misso conventu ex Claravalle, sed paucis monachis, hisque alterius imperio subfuturis, vix tanti fuit, ut tempus adnotaretur. Quæcumque hujus dissensionis ratio sit, ex ejusdem datæ chartæ anno refutantur, quotquot istud Belli-fontis monasterium, non Claravallis; sed cujuscumque alterius, eo tempore posterioris; filiam esse, voluerunt.

Altorum de Sancti in juventute monachatu

22 A relictis haud parum diversa narrat Philippus Seguinus lib. III Sanctorum Ordinis Cisterciensis, cujus verba ex recensione Henriquezii in Annotatis ad Menologium hoc die, huc transcribo. Martinus, vir præclari nominis et admirandæ virtutis, atque sedulus Euangelicæ perfectionis sectator, in Valle-paradisi regni Castellæ, abbas, in ipsa tenera ætate sacris Euangelii promissis illectus, insalutatis amicis, relictis parentibus, rebusque charissimis repudiatis, religionem monasticam professus est, ut Christum pauperem, cælibem simul et obedientem, rectius imitaretur. Secundum hæc S. Martinus jam inde a tenera ætate monachus factus est: sed in quo monasterio, quamve Regulam

secutus? Cum non aliud monasterium hic nominetur, quam Vallis-paradisi, videri potest id ipse ex Seguinii sententia fecisse in eodem monasterio, quod Cisterciensis Ordinis semper fuit, nec nisi in meliorem situm translatum anno circiter post Sancti obitum octogesimo sic appellari cepit, sicut infra exponemus.

25 Nec assentiri etiam possum ipsimet Henriquezio, Bucelino ac Tamayo, qui, dum Martinum S. Bernardi Claravallensis abbatis discipulum faciunt, sensisse videntur, eundem in Claravalle Religiosæ vitæ rudimenta posuisse, et quidem in tenella ætate, ut addit Bucelinus. Duorum priorum verba habes num. 2 et 5, Tamayi num. 12. Prorsus quoque aliam condendi monasterii sive causam, sive occasionem iidem martyrologi allegarunt; visum scilicet ab Alphonsi rege S. Martinum, seminudum sese in obscurissimo antro flagellantem, eoque spectaculo sic commotum principem, ut ex ejusdem voto monasterium Cisterciense condi fecerit, eidemque illum præfecerit abbatem. Forsitan Martinus a non nemine S. Bernardi discipulus dictus fuit, non quod ab ipsomet eodem sancto patre monasticis disciplinis fuerit imbutus, sed quod ejusdem etiam tum viventis consentientisque Institutum susceperit, inque suum induxerit contubernium: idque alius magis proprio obvioque sensu interpretatus fuit de eodem per ipsomet sanctum patriarcham instituto et in Hispaniam misso.

AUCTORE C. S.

per S. Bernardum in Hispaniam missionem, causaque,

24 Deinde cum audisset, eo loci speluncam fuisse, quæ apud Manricum a S. Martino primum in orationis recessum, mox in pauperum peregrinorum hospitium, ac denique in Cisterciensis Ordinis monasterium conversa fuisse dicitur, nesciretque, qua id ratione factum esset; aliunde vero didicisset, inter tabellas in ecclesia Vallis-paradisi appensas, esse, quæ Sanctum Ilagris se cadentem (ut num. 3 dictum est) exhibet, fortassis ista Alphonsi in charta donationis verba, Pro... devotione, quam habeo erga Martinum Cidis, quem inveni virum justum et sanctum, sic exponenda putavit, ut Alphonsus eum se flagellantem invenerit, eaque re motus, quod ille expetebat, monasterium extruendum curaverit. Divinare equidem nequeo, an tabula ista a Manrico laudata quippiam præterea contineat, quod isti faveat opinioni, tantæve sit vetustatis, ut eidem aliquid possit ponderis addere: verum quæ hactenus ex Manrico produximus, multo majorem veri speciem præferunt. Atque hæc ex conjecturis dixisse sufficiat.

seu occasione conditi monasterii narratio improbat.

25 Cetera sancti Abbatis gesta latent, seu injuria temporis, seu veterum incuria, nisi quod ille suo pacto de non dimittenda xenodochii cura steterit, dum vixit. Xenodochium (inquit Annalista ad annum 1157, cap. 5, num. 9) abbatæ subjectum mansit per multa tempora; certe usque ad ultimos annos illius sæculi utriusque domi donationes factæ leguntur, huic per monachos, illi per confratres inhabitatæ, utrosque sub abbatis dispositione. Plura etiam peculiariter illius facta non tradidit Seguinus, qui ejusdem elogium, cujus primam partem num. 22 recitavi, generalibus solum laudibus conclusit hoc modo: In qua quidem vivendi ratione ille incredibili fervore mentis in oratione cum Christo sæpe pernoctavit, Deum omnipotentem in spiritu et veritate adoravit, multos Religiosorum hominum cœtus ad perfectiorem vitam verbo simul et opere traduxit: unde et multis in vita et post mortem

Reliqua ejusdem Sancti gesta ignorantur.

AUCTORE  
C. S.  
Mortur San-  
ctus anno  
1152.

mortem emicuit miraculis, sicut in ejus Historia legitur. *De hac Historia egi superius § 4.*

26 *Pretiosam sancti Viri mortem anno Christi 1152 illigandam esse, probat ibidem Annalista cap. 4, num. 1, incidisse, inquiens, in hoc tempus, MEMORIE produnt, quarum hæc verba: « Æra MXXC Pridie Nonas Octobris obiit Dominus » Martinus Cidis, primus fundator, et abbas » loci istius. » Data æra Hispanica anno Christi 1152 vere congruit, subductis ab illa annis 58, quibus hæc illum præcedit. Eadem æra etiam recte convenit cum octava Lectione officii proprii inferius danda, in qua et idem Christi annus signatur, et quindecim anni a monasterii fundatione usque ad illius obitum numerantur, ducto scilicet horum principio ab anno 1157, quo Alphonsi imperatoris chartam pro ejusdem monasterii fundatione datam vidimus. Conveniunt item inscriptiones, suis pariter locis recensendæ, quæ ipsius corpus per octoginta annos in primo suo sepulcro jacuisse memorant, dum inde primo translatum fuit.*

die 6 vel 7  
Octobris,

27 *Sed an allegatæ a Manrico Memorie, quæ ejus ætatis sint, ille non explicavit, etiam diem obitus recte signant? Si ita est, Martinus, contra ac Manricus ipsemet statuit, non die 7 sed 6 Octobris obiisse dicendus est; nam Pridie Nonas Octobris hunc, non istum, diem indicat. Aut igitur vitiosæ hæc in parte sunt istæ memorie, aut describentis vel tythothetæ errore vitiatæ; in usque pro Pridie Nonas legendum est Nonis, aut sancti Abbatis mors uno die, quam alius creditur, maturanda. Ut sit, de anno non de die 6, consentit octava Lectio Officii Ecclesiastici, quæ apud Manricum loco citato, num. 3 sic habet: Transactis a fundatione domus quindecim annis, charos filios suos relinquens sanctitatis hæredes, et terram suam suis virtutibus decoratam, signisque mirabilibus ac innumeris beneficiis ditatam et illustratam, mundi despector, ejusque principis debellator, supra mundum ascendit, divitiis meritorum abundans, clarus triumphis, miraculis gloriosus, mensis Octobris, die septimo, anno Domini millesimo quinquagesimo secundo. Sacrum sui Patris sancti corpus filii ejus et fratres in ecclesia prioris situs honorifice condiderunt; ibique per octoginta annos est asservatum.*

completis in  
prælatura  
annis 15:  
ejusdem pro-  
ximi succes-  
sores.

28 *Jam dixi supra, annos quindecim, qui a fundatione monasterii usque ad Martini obitum transacti dicuntur, inchoandos esse a Charta donationis Alphonsi imperatoris, data anno 1157, die 4 Octobris, a quo tempore si numeres usque ad diem 6 vel 7 ejusdem mensis Octobris anni 1152 annos quindecim biduo triduove completos reperies; proindeque recte se habent calculi in Officio proprio positi. Ceterum ex quatuor monachis Cisterciensibus, quos Martinum a S. Bernardo impetrasse dixerat Manricus, Egeam eidem successisse, ait, huic Gerardum, ac Gerardo denique Petrum, dictum Pictaviensem; subditque, Ea (fuit) Bernardi in Martinum reverentia, cui nullum subdiderit, nisi quos sciebat dignos præesse aliis; ea Hispanorum modestia monachorum, qui nullum unquam ex suis sibi præfecerint, quandiu missi a Bernardo perdurarent.*



### § III. Monasterii Bellifontani situs ac nominis mutatio : geminæ sacri corporis translationes, inscriptiones seu tabulæ de iisdem factæ : reliquiæ ecclesiæ Zamorensi concessæ : monasterii fortuna.

Hactenus pauca illa, quæ de S. Martini gestis novimus, deprompsimus ex illustrissimi Manrici Annalibus Cisterciensibus, ex quibus etiam cetera quædam ad ejusdem gloriam posthumam spectantia referemus. Caput 5 anni 1252 sic orsus est : Hoc anno Ferdinandus Castellæ rex, quod olim avus, (imo proavus) condidisset imperator Alphonsus, monasterium, dictum de Bellofonte, seu de Peleas in Zamorensi diocesi, ob intemperiem aeris atque alia incommoda, quæ monachi in ea dudum experti essent, in alium locum commodiorem transtulit, atque nomen cum loco mutare jussit, ædificatis, ipsius regis expensis, novis habitationibus, quas sive ab ipso, in quo surgebant, fundo supra modum amœno; sive ex sanctorum, quibus præparabatur, conversatione, Vallem-Paradisi præcipit appellari, litteris de translatione expeditis appellationeque, quas ex archivis ejusdem monasterii (insigne monumentum regie pietatis largitatisque, atque ejus, quam Cistercio exhibebat, venerationis) breves et graves pro meo more transcribam.

Monasterium  
Bellifontis  
munificentiâ  
S. Ferdinandi  
regis.

50 « Ferdinandus rex Castellæ et Toleti, Legionis et Galleciæ Dei gratia, omnibus, ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem et gratiam. Scripturæ sacræ testimonio declaratur, quod spiritualis homo propositum non mutat, cum pro salute animæ suæ utilius aliquid meditatur : inde est, quod, cum abbas et monachi monasterii DE BELLO-FONTE, quod PELEAS generaliter appellatur, Ordinis Cisterciensis, ibidem diutius fuerint conversati, et propter inæqualitatem loci, et aeris distemperantiam graves corporum ægritudines et alia incommoda quamplurima sustinerent, propter quæ divinum servitium, ad quod specialius sunt adstricti, commode explere non possunt, ut ex voto tenentur; eorum tranquillitati providere volentes, et ut religio temporibus nostri Dei servitio suscipiat incrementum, dictos abbatem et monachos transferimus ad monasterium, quod mandavimus constituendum in loco, qui VALLIS-PARADISI vulgariter appellatur; firmiter prohibendo, ut deinceps, nisi VALLIS-PARADISI locum, sive monasterium, aliquis audeat appellare. »

E

cujus charta  
recitatur.

F

51 « Si quis ergo hanc chartam infringere, seu in aliquo diminueri præsumperit, iram Dei omnipotentis plenarie incurrat, et regie parti mille aureos in cauto persolvat, et damnum super hoc illatum prædicto monasterio restituat duplicatum. Facta charta apud Avilam, regis expensis, secunda die Novembris, æra M CC LXX; id est, anno vulgari 1252, subductis inde annis 58. Ferdinandus, cujus charta est, fuit hujus nominis III Castellæ ac Legionis

situm et no-  
men mutat  
anno 1252.



A Legionis rex, non minus sanctitate, quam rebus bellicis adversus Mauros in Hispania gestis celeberrimus, cujus gesta illustrata apud nos sunt ad diem 30 Maji, quo colitur, Romanoque inscriptus Martyrologio legitur. Matrem hic habuit Berengariam, regni Castellani heredem, patrem Alphonsum IX regem Legionensem, avum Ferdinandum II, Alphonsi imperatoris Hispaniæ filium tertium, qui proinde Alphonsus imperator, monasterii Belli-fontani conditor, S. Ferdinandi proavus, non avus fuit, sicut Mauricus dixit, sive id casu factum fuerit, sive ex confusione alterius Alphonsi, Castellæ regis, quem idem sanctus rex maternum avum habuit.

Eodem circiter anno Sancti corpus

52 Translato in mitiorem locum monasterio, transferendum etiam fuit sacrum ejusdem primi Abbatis corpus, quod circa eundem annum 1252 factum esse, docent inscriptiones, seu tabule ad secundum tertiumque illius tumulum, seu depositorum ossium loca apposita. Prima ad secundum illius tumulum, ab Annalista ad annum 1152 num. 7 transcripta, sic habet: Sub hoc lapideo tumulo est lapis planus, et sub eo lapide est cavum lapideum, in quo sacrum corpus patris nostri Martini Cidis, abbatis primi hujus monasterii (quod monasterium alibi constructum in initio dicebatur Monasterium sanctæ Mariæ de Peleas, et huc translatum dicitur Vallis paradysi) sepultum est anno ab Incarnatione Domini M. C. LII, in qua sepultura fuit asservatum per octoginta annos, videlicet usque ad annum M. CCXXXII, in quo anno transvecta sunt dicta sepultura et præfatum sacrum corpus ex ecclesia prioris ædificii ad hoc sacellum, quod ex tunc vocatur SANCTI MARTINI ABBATIS, ubi per tercentum et duos annos mansit reconditum in prædicta sepultura, lapide cooperta, et per multos annos clatro ferreo circumseptum. Postmodum ablato clatro superpositus est hic tumulus lapideus, non ruditer elaboratus, anno MD. XXXIV.

in aliud sacellum translatum est

55 Inscriptionem hanc prioris tumuli esse, ait, Mauricus; at non omnium primum, sed priorem a prima translatione intelligendum esse, eadem ipsa clamat inscriptio. Adjectus annorum numerus, quibus sacrum corpus in suo primo sepulchro jacuit, cum assignato primæ translationis tempore concordat; nam anni octoginta anno Christi 1152, quo ille obiit, additi annum 1252 produciunt. Hinc Annalista ibidem num. 5 emendandam merito monet Lectionem octavam Officii Ecclesiastici, in qua licet verbis supra datis idem mortis annus, idemque octoginta annorum spatium mortem inter primamque translationem medium assignentur, nihilominus hæc anno Christi 1202 contigisse legitur. Sic enim, eodem Annalista teste, ibidem dicitur: Postmodum circa annum M. CC. II (in quo pro translatione domus rex Ferdinandus ex Abula civitate regales litteras expeditit ad sacellum, quod sibi antiqui patres adquisierant, pretiosum illum thesaurum asportarunt. Pro anno M. CC. II substituendum esse M. CC. XXXII, ipsæ quoque probant laudatæ Ferdinandæ litteræ, non ante diem 2. Novembris anni æræ Christianæ 1252 datæ. Quam ob rem in altera inscriptione, suo loco pariter danda, eadem translatio rectius circa annum M. CC. XXXII facta legitur.

54 Observandum præterea est, in hac prima translatione, non solum sancti Abbatis corpus, verum etiam ipsam, in qua jacebat, sepulturam, quam eadem inscriptio cavum lapideum vocat

(ego loculum marmoreum sæævumve interpretor) simul esse transvectam, eoque in sacello infosam humo, superimposito sepulchrali lapide, additisque religionis ergo clathris ferreis, qui sacri depositi profanationem prohiberent. Aucta vero deinceps Sancti veneratione, post annos trecentos ac duos, seu anno 1354 pro clathris substitutus fuit honorificentior tumulus, de quo apud Mauricum in Appendice post tomum IV eorundem Annalium, seu in serie abbatum Palaciensium, abbate LXXIX num. 16 in eadem inscriptione minus accurate repetita additur: Quamvis a devotis fidelibus pie fuerit deformatus; nimirum ut quippiam e Sancti tumulo reliquiarum loco haberent; sed fortasse ista verba interpolatoris potius sunt, quam primæ inscriptionis. Verisimile quoque est, occasione hujus translationis captum esse in ista nova ecclesia vel sacello Officium Ecclesiasticum celebrari, quod anno 1340 ad universam Observantiam Hispanicam extensum fuit, quod hactenus, neque id a multis annis, solum in propria ecclesia celebrabatur; ut dictum est num. 6.

AUCTORE C. S. una cum suo loculo: tunc etiam forte captum de illo Officium celebrari.

53 Porro in eodem isto sacello sacrum pignus usque in annum 1619 permansit, quo ferme quatuor sæculorum lapsu nihil de illo insuper factum didici præter ea, quæ Annalista ad annum 1152, cap. 4, num. 5 narrat, et ego malo illius, quam meis verbis exponere. Traditione, aut, quam scripto, aut pictura, compertus est, ab anno M. CC. XXXII, quo prima fuit translatio celebrata, usque ad annum M. DC. XIX, quo secunda et celebrior hoc nostro sæculo, multorum animis incedisse, sacri corporis exuvias inviserit (id est, opinor, inspicere,) quos tamen omnes, aut inflicta audaciæ pœna, aut repente de cælo terror incussus, ab inceptis aruerit: excæcato primum sacerdote, suppreto conventus, qui solus ausus; cui postmodum, peracta poenitentia, ad sancti Viri sepulchrum visus redditus: dein cum totus conventus accessisset, et sacerdos in albis præparatus aggrediretur opus, repentino tremore percussos omnes abstinuisse ab opere, satis superque gratos divino Numini, quod indemnes evaderent: denique sæculo patrum diffusa nebula ac replente capellam, destitisse id ipsum ausos, non sine ingenti omnium admiratione. Hæc Mauricus ex traditione, mihi penitus incerta.

E Traditio de inspectione ejusdem corporis divinitus impedita.

56 Exploratoria sunt, quæ ibidem subjicit num. 6, sic modeste præfatus: Hæc ergo gloria reservata nobis cælesti providentia; non quia melioribus, sed quia egentioribus Sancti patrocinio, prædicto anno, Christi nimirum M. DC. XIX, reverendo patri, fratri Andree de Cordaba, tunc Vallis paradysi abbati, cæterisque alumnis ejusdem domus, imo et toti ecclesiæ Zamorensi, felix contigit, post multas sane preces et sacrificia, ut sacrum corpus, a sepulchro priori erutum, atque ad sacellum majus ecclesiæ, ipso Sancto volente, translatum sit, ingenti concursu confinium populorum. Hisce consonat octava Lectio Officii illius proprii, in qua post verba num. 29 recitata sic pergitur: Ac tandem honorificentissime, apparatu insigni, magnoque populorum, nobiliumque virorum ac foeminarum, et cleri ac Religiosorum concursu, ex sacello prædicto in humeris sacerdotum advectum, per manus Joannis episcopi Zamorensis in tabernaculo ecclesiæ monasterii Vallis paradysi, summa lætitia affectuque ferventissimo collocatum est die

F Transferitur denuo in ecclesiam Vallis paradysi anno 1619.

AUCTORE  
C. S.

die septimo mensis Octobris anno ab Incarnatione Domini M. DC. XIX ad honorem et gloriam Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, qui vivit et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen.

ut etiam docet  
inscriptio,  
quae recitatur.

57 *Accipe etiam inscriptionem, quam Annalista huic novo sacri depositi loco appositam esse, ibidem num. 8 asserit, atque ita recenset: Sacrum corpus S. Martini Cidis, primi abbatis hujus monasterii, alibi statim post felicem ejus transitum sepultum est, in ecclesia videlicet prioris aedificii, ubi per octoginta annos requievit. Inde translatum est circa annum M. CC. XXXII ad ecclesiam, quae ex tunc dicitur S. MARTINI ABBATIS; ibique per CCC. LXXXVII annos est asseratum: tandem honorificentissime, apparatu insigni, magnoque populorum concursu, viro- rum nobilium ac illustrium feminarum coetu non parvo, sericisque tapetibus hoc magno templo perornato, cantorum melodia, permultis multiplicibusque artis poeticae varietatibus, circumstantibus diversorum Ordinum viris religiosis, comitantibus reverendis abbatibus monasteriorum S. Martini de Castegneda, de Nogales, de Benauides, et istius domus, in humeris monachorum e sacello sui nominis asportatum, per manus illustris, ac reverendis. D. D. Joannis Zapata Osorio, episcopi Zamorensis, assistentibus sibi praedictae ecclesiae sanctae illustribus dignitatibus, associantibusque ejusdem sanctae ecclesiae viris nobilibus, in tabernaculo ecclesiae hujus monasterii, Vallis paradysi ab antiquissimis temporibus communiter nuncupati, summa laetitia, affectuque reverentissimo collocatum est die septimo mensis Octobris, anno ab Incarnatione Domini M. DC. XIX, totam sanctam Ecclesiam Catholicam summo Pontifice Paulo V, hujus nominis, gubernante, Catholicissimoque rege Philippo III regnante, ad honorem Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, qui vivit et regnat per infinita saecula saeculorum.*

Dantur item  
epitaphium  
Sancti, et pars  
postrema

58 Sequitur (sic ibidem pergit Annalista) alia inscriptio seu epitaphium: « Quis hic? Cid ille » fortis? Haud is. Marsne fortissimus? Neuter: » sed fortior utroque Martinus Cidis, Cistercii » splendor, decus Hispaniae, Castellae scutum, » Zamorensium gloria, soli gemma praefulgens, » poli sydus praeclarum, domus basis firmis- » sima, sacrae et magnae prosopiae archiman- » drita primus, in Paradysi Valle arbor salu- » tis. » Ex cognomento Cidis alludit ibi epitaphii auctor ad celebrem illum bellatorem Rodericum Cidum, cujus breviter memini num. 11. Ceterum subjungo hic postremam partem inscriptionis, quam ad S. Martini tumulum in sui nominis sacello, ad quod illius corpus primo translatum fuit, appositam fuisse diximus, et cujus primam partem jam dedimus num. 52. In hac itaque post ibidem transcripta, quae priorem illam translationem memorant, sequuntur apud Manricum alia, quae de secunda meminerunt, quidque eo loci supersit, exponunt hoc modo.

inscriptionis  
ad secundum  
tumulum.

59 Dictum S. Patris nostri corpus translatum est ad ecclesiam monasterii, ibique in perpulchro tabernaculo juxta altare majus gloriosissime collocatum per manus illustrissimi ac reverendissimi D. D. Joannis Zapata Osorio, episcopi Zamorensis, die VII Octobris. Itaque

sub jam dicto lapide plano (vide num. 52) ex eo die in dicto cavo tantummodo est terra, qua praenominatum S. Patris nostri corpus fuit obvolutum, et ea, in quam fuit resolutum, simulque aliquot parvae reliquiae ejusdem sacri corporis, ac denique ibidem reperietur oclusa lapidea capsula, alio lapide plano cooperta, in qua per aliquot dies saepe jam dictum sacrum corpus mansit repositum usque ad tempus translationis supra assignatae. Insuper et terra fuscior, quae immediate reperietur superposita ipsi lapidi plano, qui operit sepulcrum (et relicta est ibi tempore translationis) reverenter tractetur; quia debuerat supponi dicto lapidi, si caperetur; sed superfuit, et operata mansit albiori terra et lapidibus solutis et rudibus \* in superiori cavo praedicti sepulchri. Ad honorem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per infinita saecula. Amen.

40 Hactenus de S. Martini corpore, translationibus ac sepulturis ex Manrico, qui in supra laudata Serie abbatum Palaciensium de concessis Zamorensi civitati ejusdem reliquias, postquam ibidem num. 17 postremam translationem narravit, haec adjecit: Nec multo post eadem urbs Zamora ab abbate et monachis integro osse Sancti donata est, quod ipsa devotissime suscepit, atque in sacario ecclesiae cathedralis decenter collocavit, non minori concursu cleri et populi. Ejusdem donationis pariter mentionem praemisera in Annalibus ad annum Christi 1132, cap. 4, num. 6, Extant, inquit, epistolae, ecclesiae Zamorensis, atque ipsius episcopi, ad eundem abbatem (Andream de Corduba) conventumque, gratulationis plenae ac reverentiae in Sanctum, ex cujus ossibus frustum (os integrum supra dictum est) accepissent. Extant et aliae abbatibus et conventus Carracetensis, idem sibi conferri, postulantium; sed quas vulgari idiomate conscriptas referre nobis satius, quam transcribere. An Carracetensibus suae preces successerint et votis, tacente Manrico, nescio.

41 Porro ibidem num. 9 promiserat fore, ut, qui ex his omnibus quaedam breviter per anticipationem hactenus dixerat, reliqua fusius... suis temporibus exponeret; verum ille sui Ordinis Annales ultra annum Christi 1256 non perduxit, nec nobis aliunde plura suppetunt. Quapropter cogimur huic Commentario finem imponere, dolentes, quod hujus sancti Abbatis gesta vel coavorum incuria numquam fuerint litteris consignata, vel posterorum negligentia, temporumque injuria, sint amissa, aut certe lateant. Coromidis igitur loco hic adscribo, quae saepe laudatus Annalista ad annum Christi 1157, cap. 5 num. 9 de ejusdem Vallis-paradisi monasterii veteri ac recentiori statu annotavit. Haec, (inquit) de initiis insignis monasterii, quod sanctitate et doctrina monachorum non semel erit nobis repetendum. Numeratur in litteris Innocentii Papae tertii, atque Gregorii noni, legatis et causis commissis ejus abbatibus de quibus infra. Est et in libris Camerae Apostolicae, in Zamorensi diocesi, ad quam pertinet, sexaginta dumtaxat florenis valorata, praedives alias domus, quamvis hoc sacculo (decimo septimo) tenuioribus redditibus, ut fere aliae.

\* an ruderi-  
bus?

Reliquiae Zamorensibus concessae, ab aliis expetite.

E

Vallis-paradisi status ac fortuna.

F

A

AUCTORE  
C. S.

## DE S. GEROLDO COLONIENSI,

## PRO MARTYRE CULTO,

APUD CREMONAM IN INSUBRIA.

## SYLLOGE HISTORICO-CRITICA.

## § I. Sancti apud perpaucos martyrologos memoria : ejusdem gesta unde primo accepta, et a quibus scripta et typis edita.

ANNO MCCL.  
In utroque  
Philippi Ferrariorum Catalogo Sanctorum

**H**unc Virum, Coloniae quidem Agrippinae ad Rhenum mundum natum, sed in peregrinatione, religionis ergo suscepta, in agro Cremonensi apud Insubres circa medium saeculum xiii a latronibus trucidatum, cultuque martyris, quam certis gestis notioerem, primus e martyrologis, quem novi, Philippus Ferrarius utriusque suo Sanctorum Catalogo hac die 7 Octobris inseruit. In Catalogo eorum, quorum nulla exstat in Romano Martyrologio memoria, laudans Tabulas ecclesiae Cremonensis, sic paucis habet : Cremonae S. Geroldi martyris; additque in Annotationibus ibidem : Patria erat Coloniensis, apud Cremonam peregrinando interfectus; cujus Vita typis extat excusa. Latius de eodem agit in Catalogo Sanctorum Italiae, ad eundem diem elogium illius, seu quoddam Vitae compendium, recitans, quod totidem verbis subiungo, infra examinandum.

hoc die eum  
elogio, velut  
martyr,

2 Geroldus, Coloniae Agrippinae anno Salutis mcci natus, a puero pietate et abstinenciae deditus, factus grandior multas tentationes diaboli superavit. Ubi ad aetatem virilem pervenisset, cilicio indutus humi cubabat, seque in Dominicae passionis meditatione, donec sanguis in terram deflueret, flagellabat, jejuniis et orationibus intentus. Is humili amictu contentus, absque ullo saecularis auxilii adminiculo multas, et quidem longinquas, suscepit peregrinationes. Cum autem post S. Jacobi in Hispaniam, et Romae peregrinationem, in Palaestinam transmittere pararet, apud Cremonam in pago Marnica, a Pado fluvio absorpto, dum ad duos latrones, rixam inter se simulantes, pacificandos accurrat, ab illis ratis eum pecuniam habere, multis in capite vulneribus inflicis, impie occiditur. Cujus corpus insigni miraculo deprehensum traditur, campanis civitatis sponte sonantibus, odore suavissimo ex eo exhalante, luminibusque divinitus in eo loco splendentibus.

inscriptus le-  
gitur;

3 Quare sanctus Vir jacens cum libello, in quo nomen suum et patriae cum aliis rebus scriptum erat, inventus est : cujus corpus ab episcopo et clero cum tota civitate, quae ad tantam rei novitatem confluerat, solemniter pompa elatum, in urbemque delatum, in aede S. Vitalis conditum est, cum portitores, ad aliam ecclesiam divertere conantes, immobiles

Octobris Tomus III.

effecti fuissent. Illud nunc in propria ecclesia pie asservatur. Ex vita ipsius Cremonae MDLXXXI typis excusa. Haec ibi Ferrarius, in Annotationibus ibidem subiiciens ista : Cum, praeter enarrata, nova post mortem ad ejus tumulum super caecis, claudis, et aliis morbo aliquo laborantibus miracula fierent, sacra suo nomini aede dicata, celebrari cepit illius natalis hac die, nempe 7 Octobris. Accepta sunt haec ex Vita edita, inferius expendenda, ex qua etiam prolixius S. Geroldi elogium Peregrinus Merula Cremonensi Sanctuario ad eundem diem intexuit.

4 Castellanus in suo Martyrologio Universali hoc itidem die Ferrarium sic secutus est, ut pro martyrii laurea, Confessoris titulum adscribendum putaverit. Verba ex Gallicis Latina accipe : Cremonae S. Geroldus confessor, Coloniae Agrippinae natus, cujus reliquiae, quae in ecclesia S. Vitalis quiescebant, deinde in ecclesiam sub illius invocatione exstructam translatae fuere. Cur pro Martyre Confessorem dicendum censuerit, patebit ex dicendis, ex quibus etiam constabit, eundem ac Philippum Ferrarium rectius scripturos fuisse, si omissis, quae de Sancti corpore in ecclesiam sub illius invocatione conditam translato habent, divissent, illud aliquando e terra levatum, in tumbam marmoream sub altari sacelli, intra eandem S. Vitalis ecclesiam, ejusdem S. Geroldi nomine dicati, transpositum fuisse, eandemque S. Vitalis ecclesiam a beneficiis per S. Geroldi patrocinium in ea divinitus collatis hujus etiam nomine appellari cepisse. De cultu quoque plura dabo inferius.

5 Dixi supra, S. Geroldum notioerem cultu esse, quam certis gestis; non quod nulla illius exstat Vita, sed quod ex, quae exstant, multo serius scriptae sint, quam ut fidem facere queant, ac nihilominus multa contineant, quae non nisi a synchronis aut aequalibus, imo etiam multa alia, quae ne a synchronis quidem sciri potuerunt, nisi vel ab ipsomet Sancto tradita, vel divinitus revelata fuerint. Merula in Sanctuario Cremonensi laudat Romanum Borghum in Vita ipsius Sancti, Cremonae impressa; neque alium laudavit Ferrarius, cujus verba jam dedimus. Eundem pariter, Romanum Borgum, scribens, citat Hermanus Crombachius, Societatis nostrae presbyter, etiam aliis Operibus hagiophilis vulgatis notus, in Vita S. Geroldi anno 1652 sermone Germa-

E

at in Martyrologio Castellani, ut Confessor.

F

Borgo, qui Vitam ejus anno 1581 typis vulgavit.

AUCTORE  
C. S.

nico Coloniae Agrippinae typis edita; verum hic antiquiores biographos, ex quibus sua Borgus hauserit, quosque nemo prudens recusaverit, modo de horum scriptioe constat, ibidem assignat.

praetaxisse fertur liber apud ipsum Sanctum re-pertus, vel scriptor synchronus:

6 Ait igitur primo, ipsimet S. Geroldum in libro, penes ipsum post obitum reperto, suum suorumque parentum nomina, suam patriam, genus, aetatem, vitae rationem ac peregrinationes scripto reliquisse; sed Romanum Borgum censuisse, eadem non ab ipso Geroldo, sed divinitus in eodem libro exarata fuisse. Ait secundo (quidquid sit de istius libri auctore) certum esse, ejusdem Sancti Vitae ac miracula, brevi post mortem ejus a quodam scriptore synchrono, sed ignoti nunc nominis, Latino sermone scripta fuisse ex praedicto S. Geroldi libro, usque, quae Anonymus iste viderat, et a testibus fide dignis audierat. Ait denique, hanc Vitam Latinam a laudato Romano Borgo, nobili cive Cremonensi in sermonem Italicum translata, sed protaxius atque in elogium potius, quam in Vitae modum conscriptam esse, anno 1584 Coloniensi illius temporis archiepiscopo Electori dedicatam.

B at ex neutro omnia, quae prior narrat, sciri poterunt.

7 Primus igitur, qui nomine notus sit, S. Geroldi biographus, et ex cuius fide pendet omnis Aetorum illius auctoritas, Romanus Borgus scripsit annis trecentis et quadraginta circiter post Sancti caedem, quae anno 1241 illigatur. Inventas penes ipsum fuisse litteras vel schedas, ex quibus constabat de ejusdem patria, parentibus, aetate, ceterisque hujusmodi rebus, facile crediderim; cum soleant similes peregrinantes litteras suscepti baptismi testes, cum a sacro, tum a civili magistratu testimonia securitatis gratia secum ferre. At quis Borgo mox credat, omnia, quae ex illo recensuit Crombachius, in reperto apud sanctum Virum libello divinitus scripta fuisse; aut quis etiam assentiat ipsi Crombachio, eorundem maximam partem ab ipsomet S. Geroldo in eodem annotatu esse; cetera vero a scriptore adjecta. Puto equidem, cum ambo agnoscerent, maximam eorum partem, quae de Geroldo audierant, narraverantque, non nisi vel divinitus, vel ab ipso solo Sancto, sciri potuisse, eorum alterum eadem in saepe dicto libello divinitus revelata, alterum ab illo ipso Geroldo annotata fuisse, dicere compulso esse. Utraque opinio magnam patitur difficultatem; ac Borgi quidem propter insolentiam facti, non leviter credendi; Crombachii vero, quod credibile non sit, S. Geroldum, virum utique humilem, tot in eo laudes suas congestisse.

C Vitam Germanice anno 1652 edidit Crombachius,

8 Porro, cum ego nec Geroldi librum, nec ejusdem primigeniam, quam laudavit, nec unquam (opinor) vidit Crombachius, Vitam Latine, ut aiunt, a synchrono scriptam, nec Italicam Romani Borgi versionem habeam, cogor utramque ex Crombachio utcumque aestimare. Hic occasione insignium reliquiarum ejusdem Sancti, Coloniae Agrippinae translatarum, de quibus infra pluribus agemus, illius Vitae sermone, ut jam dixi, Germanico vulgavit anno 1652, fassus, se de eo nihil in Annalibus Coloniensibus reperisse, ac propterea Romanum Borgum secutus est, non tam presse tamen, quin eundem crebro deseruerit, ut apposita ad Vitam illam annotatio Ms. monet; nimirum quia Borgi narratio ipsi nimis proluxa videbatur ac elogium potius, quam Vita. Immiscuit autem suae Crombachius multa parerga ex Chronicis temporis, quo Geroldus floruit, accepta, sed ad ipsum neutquam perti-

D nentia, pliasque praeterea conjecturas ac salutaria monita, quae non exiguum in ea Vita locum obtinent. Quam ob rem operae pretium me minime relaturum putavi, si eam ex Germanica Latinam facerem, maxime cum jam supra ex Ferrario dederim amplum elogium ex Borgo concinnatum, ac praecipua S. Geroldi gesta complectens.

9 Ut tamen studiosus lector habeat vel quoddam Crombachianae lucubrationis breve compendium, totius Opusculi capitulum argumenta libet hic ex Germanicis Latina recensere. Divisum est illud in duos libros, quorum primus tractat de S. Geroldi pueritia, juventute et aetate virili. CAPUT I. A quibus ejus Vita conscripta sit. CAP. II. De S. Geroldi nomine, patria et parentibus. CAP. III. Tempore belli anno mcci nascitur Coloniae Agrippinae. CAP. IV. In timore Dei educatur. CAP. V. Dei Matrem colit; fugit otium. CAP. VI. Vitae prava consortia tempore interdicti a sacris. CAP. VII. Sub S. Engelberto archiepiscopo florent Coloniae Agrippinae virtutes, et Geroldus sectatur castitatem. CAP. VIII. Ipsius temperantia in cibo potuque. CAP. IX. Per obedientiam confessario suo praestitum superat religiosae conscientiae angores. CAP. X. Illius orandi modus et studium. CAP. XI. Exemplo regis Hierosolymitani, tres sanctos Magos Coloniae Agrippinae venerantis, incenditur desiderio peregrinandi. CAP. XII. Gloriosum S. Engelberti martyrium S. Geroldum ad parem coronam exstimulat. CAP. XIII. Bona sua elargitur pauperibus. CAP. XIV. In singulos dies proficit in humilitate et mentis puritate. CAP. XV. Vitae laudem et abstinentiam sui. CAP. XVI. Conversatio illius utilis ac patiens. CAP. XVII. Ejus vigilantia in tentationibus. CAP. XVIII. In adversis hilaritas et constantia. CAP. XIX. In aetate virili corpus suum severe castigat, temperate tamen. CAP. XX. Geroldus mundana omnia abdicat. Haec usque capita libri primi.

10 Sequitur liber secundus, agens de ejusdem peregrinationibus, martyrio, et cultu. CAP. I. Geroldus anno mccxli Compostellam ad S. Jacobum in Hispaniam peregrinatur. CAP. II. Inde Romam ad Sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli sepulchra proficiscitur. CAP. III. Die vi Octobris, qui Dominicus erat, Cremonam advenit. CAP. IV. Die vii Octobris summo mane Cremona egreditur. CAP. V. Occasio martyrii illius a militibus et praedatoribus repetitur. CAP. VI. Apud Manicam, veterem vicum, incidit in altercantes latrones. CAP. VII. Eos conciliare studens, ab iisdem confoditur. CAP. VIII. Deus prodigiis corpus S. Geroldi piscatoribus manifestat. CAP. IX. Piscatores ista in urbe Cremona nuntiant, civesque ad sacrum corpus festinant. CAP. X. Piscatores, non sine magno prodigio, corpus deferunt. CAP. XI. Corpus ad varias ecclesias frustra portatur. CAP. XII. Apud S. Vitalis ecclesiam innumera fiunt mirabilia. CAP. XIII. Ibidem ab episcopo sepelitur. CAP. XIV. S. Vitalis ecclesia propter multa mirabilia nomen S. Geroldi adsciscit. CAP. XV. Sepulcrum ejus noctu caelesti luce, fragrantia et cantu illustratur. CAP. XVI. Sacrum corpus incorruptum inter magna prodigia levatur e terra. CAP. XVII. S. Geroldus Catalogo Sanctorum adscribitur. CAP. XVIII. Presbyteri congregationis Somaschae ab anno mclvi S. Geroldi cultum promovent. CAP. XIX. Per icones, quae S. Geroldi caput attigerant, multis febres eximuntur. Cap.

E cujus capitulum argumenta

F

G

A CAP. XX. Quædam capitis S. Geroldi reliquie Cremona Coloniam Agrippinam ad ecclesiam Societatis Jesu translatae.

quantique ea valere videatur, edicitur.

11 Habes, erudite lector, totius Vitæ S. Geroldi a Crombachio nostro, Romanum Borgum præmanibus habente, Germanice vulgata argumentum, elogio, quod ex Ferrario recitari, plane similis, sed multo prolucioris, variisque piis conjecturis, cultusque tum antiqui tum recentioris expositione auctioris. Verum in ea multa sunt, quæ viæ, quæque ne viæ quidem etiam a scriptore synchrono sciri potuere. Ego sane nullus dubito, quin vel Borgus, vel Crombachius, vel etiam ambo, in eadem componenda conjecturis suis æquo liberaliter indulserint, ut sacrum Heroem suum facerent talem, qualem fuisse, pie meditantur. Non eodem tamen loco omnia eorum asserta habenda sunt. Sunt enim in hisce aliqua, quæ mox a Sancti obitu haud difficile cognosci poterunt, et in quæ indagatum tunc fuisse, omnino verisimile est. Sunt præterea ad inventum, delatamque in civitatem Cremonensem illius corpus attinentia, quæ, sive scripto, sive traditione (quamvis verisimilius non sine aliquot alienis adjunctis) ad posteros transmissa fuisse, credere fas est. Sunt denique certiora de cultu. Itaque ea solum referam, discutiamque, quæ ad vitæ illius historiam propius certiusque pertinent, missis ceteris, quæ ex solis conjecturis incertis in ea dicta videntur.

§ II. Præcipua vitæ illius capita examinata : cædis tempus et causa : corporis in civitatem Cremonensem translatio, sepultura, elevatio et honorificentiori loco intra eandem ecclesiam depositio : canonizatio Sancti leviter asserta : potens patrocini-um.

C Patria illius, annusque natalis facile sciri poterunt,

Geroldum in Germania Colonia Agrippinæ apud Ubios mundo natum esse, anno 1201, libens credo Crombachio, et quem hic secutus est, Romano Borgo; cum hæc facillime sciri potuerint ex repertis apud ipsius cadaver litteris, puta, quas Baptismales appellant, atisque ejus generis scriptis testimoniis, quæ peregrinantes passim secum ferunt. Solus, quem legerim, Ludovicus Cavitellus in Annalibus Cremonensibus ad annum 1211 eundem ex Constantiæ urbe Germaniæ... oriundum dixit, nescio, suone, an typhethæ vitio. Certe nullum novi alium, qui hanc gloriam suæ civitati vendicet præter laudatos Agrippinenses, consentientibus etiam ipsis Cremonensibus, apud quos occisus, sepultusque, ac primo cultus fuit. Hoc vero aliorum omnium silentium non parum confirmat Agrippinensium possessionem : nisi enim de hac illius patria constitisset, non defuisset alii, qui eundem suis civibus adscribere tentassent.

non sic tamen multa alio, quæ de eodem narrantur.

15 Parentum illius, imo et majorum nomina, horumque nobilem prosapiam, posterorum egestate obscuratam, in sæpe dicto penes demortui corpus reperto libello annotata quidem fuisse,

sed a primo Latino biographo prætermissa, post Borgum affirmat Crombachius; at cum hæc multaque alia in prioris isto libello, dudum, si unquam exstiterit, amisso, Borgus divinitus, Crombachius vero ab ipsomet S. Geroldo, consignata fuisse, velint, mihi neutrum persuadent. Certum nihilominus esse, ait Crombachius, progenitores illius e nobili stirpe oriundos, sed bellorum tempore et iniquitate avito censu suo diminutos. Vereor equidem, ne ista divinet potius, quam ex certis indicis asserat, hicque locum habeat satis communis biographorum proclivitas in illustri generis prosapia Sanctis, nihil horum indigis, adscribenda. Præterea cetera, utpote hisce etiam incertiora, quorum argumenta ex datis capitum titulis intelliges, et ad Sancti peregrinationes mortemque procedo.

14 Perfectam a S. Geroldo Compostellanam in Gallicia ad S. Jacobi tumulum, alteramque Romanam ad sanctorum Apostolorum Principum Petri et Pauli peregrinationem Cremonenses discere potuerunt vel ex eo ipso Roma Cremonam ingresso, vel ex repertis apud eundem post mortem schedulis; non item alia peculiaris, quæ ex Borgo vel piis conjecturis suis præterea memoravit Crombachius. Fortasse etiam ex eodem didicerint mediatum ab eo iter Hierosolymitanum, quod iidem scriptores pariter asserunt; quamquam, ut Roma Hierosolymam pergeret, Cremona ei minime fuerit adeunda. Minus dubitandum videtur de anno, quo Cremonam advenit, ac mox inde egressus occisus est. Fuerit is æræ Christianæ 1241, quem post Romanum Borgum Crombachius signat, consentiente supra laudato Cavitellio, corrigendo tamen, dum ait, Geroldum illuc advenisse ex Constantia urbe Germaniæ, ex qua erat oriundus. Addit Crombachius, adventus illius diem Dominicum fuisse, et 6 mensis Octobris.

15 Postridie ejusdem diei martyrium illius figunt iidem scriptores, septimo scilicet Octobris, quo etiam Cremonæ haecenus colitur. De anno dieque conveniens Cavitellius, id non in recessu ex Urbe Roma, sed in aditu ad eam Christiani orbis metropolim factum scribit; rectene, an secus, non ausim certo affirmare. Sic autem habet ad citatum annum 1241 : Die vii Octobris circa ipsum tempus divus Geroldus, dum e Constantia urbe Germaniæ, ex qua erat oriundus (hæc corrigenda jam monui) habitu eremitico se conferendo Romam, ibi visitandi gratia reliquias Sanctorum, facto transitu Cremonæ, et ultra eam spatium fere mille passuum juxta ripam ceteriorem Padi in contrada (id est, vico) Menicæ mox corrosæ per ipsum flumen appulsus fuerit \*, et duos ibi invicem digladiantes sedare voluisset; credidissentque illi, apud eum esse pecuniam, per illos fuit occisus.

16 De ejusdem cæde, sed anno, mense, die ac determinato loco prætermissis, breviter sic memorat Catalogus episcoporum Cremonensium a Ferdinando Ughello in Italia sacra vulgatus, tom. IV editionis auctioris col. 607 in Homobono episcopo : Sub hoc etiam pontifice fuit a quibusdam sicariis externis martyrio affectus Geroldus, extra tamen urbem. Ceterum ex eodem Catalogo constat, Homobonum istum prædicto anno 1241 in Cremonensi cathedra sedisse; quod autem attinet ad vicum Menicam, quem Ferrarius Manicam, Crombachius Manicam appellant, cum iidem conveniant, eum jam dudum sub Pado fluvio latere, frustra eundem in tabulis topographicis vel

AUCTORE C. S.

Illius peregrinationes, tempus adventus Cremonam

E

ac cædis, quæ diei 7 Octobris anni 1241

F

\* an fuerat?

affigitur, nil habent difficultatis

AUCTORE  
C. S.

vel geographicis quaerens. Modum causamque caedis peractae ex Borgo, ut existimo sic enarrat Crombachius, quasi alteruter adstisset, eademve ex alicujus oculati testimonio nota, ac partim etiam divinitus revelata fuisset. Rem paucis exponam.

at ejusdem  
caedis causa  
et adjuncta,  
qualia perhi-  
bentur.

17 Haud procul a praedicto vico in spisso nemore grassatores quidam, insidiantes viatoribus, simul atque S. Geroldum, vili habitu amictum adventantem conspexerant, rati latorem pecuniarum esse, de partiendis inter sese illius spoliis conveniunt; utque illum propius allicerent, eorum duo e nemore prosiliunt, rixas inter se pugnamque simulant. Geroldus, vir mitis ac misericors, alienae salutis aeternam jacturam veritus, ad eos reconciliandos accurrit, quamvis minime ignarus, in quantum ipse suae vitae discrimen properaret. At illi pia monita oggerentem strictis gladiis aggrediuntur; quod ubi hic advertit, Deum precibus invocat, ut diu desiderato martyrio potiatur. Interea illi caput vulnerant, humerumque ac pectus transfigunt, nihilque pecuniae penes sanctum Virum reperto, exanime corpus cum invento apud illud saepe memorato libello eodem in loco relinquunt.

B unde sciri  
potuerunt,

18 Verum unde Borgus, qui Crombachio praecidit, ista omnia intellexit? Certe ea Sanctus ipsemet in isto libello vicus scribere non potuit, nec omnia scire potuerunt dicti latrones, quos, nullus tradit, unquam captos, suumve hoc scelus confessos fuisse. Oporteret igitur, ista, ut Borgus asseruit, divinitus, seu, ut loquitur, modo supernaturali in eo libello annotata fuisse, quod nec Crombachius ipse pro re comperta admittere ausus est. Ego, ut mentem meam candide exponam, ex istis omnibus solum pro certo habeo, S. Geroldum, nihil mali meritum, eo loci a latronibus esse occisum, verisimillime spe praedae allectis. Primum enim constitit ex invento sacro cadavere vulneribus confecto; alterum verisimile fit ex communi latronum studio, qui maclant, ut rapiant. At enim, inquires, si haec ita sint, qua igitur ratione S. Geroldi caedis martyrium potest appellari, quae ratione ipse Martyr dici ac pro martyre coli?

unde ejusdem  
stricti nomi-  
nis marty-  
rium proba-  
bitur?

19 Ad stricti nominis martyrium, quae vox Graeca μαρτυριον, Latine confessio est, omnino requiri, ut mors ex divinae fidei actusve a divina lege praeccepti vel consulti odio inferatur, pluribus probat Benedictus XIV summus Pontifex in eximio suo Opere de Servorum Dei beatificatione etc. lib. III. Hanc autem illatae S. Geroldo mortis causam quis probaverit ex dictis, etiamsi admiserit omnia caedis illius adjuncta, qualia ex Crombachio retulimus? Nam haec quidem sanctum Virum desiderio coram Deo martyrem et excellentis caritatis victimam facere potuerunt, non tamen veri nominis martyrem. Fuit ergo S. Geroldus, quantum de ipso novimus (neque enim illius laudibus quidquam detractum volo) ea ratione jam a saeculo XIII cultus ut martyr, quae etiam aliquot alii Sancti nefarie trucidati, ac post mortem miraculis illustres, olim pro martyribus habiti fuere. Haec haud dubie causa Castellanae, num. 4 relatum, movit, ut Geroldum in suo Martyrologio Universali, non cum Martyris, sed Confessoris titulo recenseret, neque pariter movit, ut eundem, non simpliciter Martyrem, sed pro Martyre cultum in hujus Commentarii fronte scriberem.

20 De prodigiis, quibus Deus pretiosam in conspectu suo sui Servi mortem mox ab obitu declaravit, Ferrario consonans Cavatellius, verbis

superius datis subjunxit sequentia: Ex cujus corpore, dum exhalasset spiritus, mira fragrantia odoris emanavit, et cum esset hora fere vigesima quarta (id est, prope solis occasum) sol in ea regione praeter modum coruscavit, et campanae ecclesiarum Cremonae a seipsis pulsari coeperunt; et, dum ibi episcopus et alii ecclesiastici, et quam plurimi saeculares, ex his stupefacti, in eam regionem accesserunt etc. Eadem prodigia narrat Crombachius, sed pro insolito ista diei hora solis splendore substituit praefulgidum cometam, qui radio suo ad sacrum corpus pertingebat; cui assertioni suffragantur ejusdem Sancti icones, quae supra caput illius praefulgidam stellam cum emissis in illud radio exhibent.

21 Ego, quamquam merito nequeam dubitare, quin sacrum Geroldi corpus divino aliquo prodigio illustratum fuerit (nam quorsum alias Cremonenses ignoti Peregrini cadaver tanto mox cepissent in honore habere?) non tamen possum ista memorata pro indubiis asserere, quod nesciam, cujus fidei ac aetatis fuerit Vita, quae Borgo praeluxisse perhibetur. Ceterum corporis fragrantia, et per caeleste lumen designatio usitata in similibus sunt divinae Providentiae prodigia, ac proinde verisimiliora, quam omnium campanarum civitatis spontaneus sonitus. Porro narrat Crombachius, piscatores, qui haud longe inde in flumine Pado sua retia mittebant, insolita fragrantia novoque illo sidere ad sacrum corpus perductos, cumque hoc etiam caelesti lumine circumfusum reperissent, e vestigio tantae rei nuncios properasse in civitatem, prodigioso illo campanarum sonitu vehementer commotam. Decretum itaque ab episcopo esse, ut sacrum illud cadaver magna cum pompa ad civitatem deferretur, honorifice sepeliendum.

22 Tum subdit, cum ad venerabile corpus perventum esset, a plurimis frustra tentatum esse illud loco movere, donec id a piscatoribus, qui primo invenerant, nullo negotio perfectum fuit. Per viam, cum, jubente episcopo, in suburbanae S. Creati ecclesiam inferendum esset, etiam ipsi piscatores dicuntur haesisse immobiles, idque prodigii secundo ac tertio iteratum, dum bajuli illud primo in veteris civitatis ecclesia, sanctae Dei Genitricis in Bethlehem dicta, deinde in altera ejusdem sanctissimae Virginis, ac denique in S. Pantaleonis ecclesiae deponere conabantur; tandemque ex communi omnium consensu in S. Vitalis ecclesiam facile illatum, in eaque ab episcopo in jam praeparato a piscatoribus sepulcro humatum fuisse. Cavatellius haec omnia breviter exposuit, exactam narrationem sic prosecutus: Dum ibi episcopus et alii ecclesiastici, et quam plurimi saeculares, ex his (praedictis prodigiis) stupefacti, in eam regionem accesserunt, ipsumque corpus confossum multis vulneribus, humi prostratum repertum, elevare voluerunt, ab aliquibus elevari non potuit, praeterquam a piscatoribus, qui illud, dum piscarentur in aquis fluminis Padi, repererant, et levatum reponere nequiverunt in ecclesia divi Creati, ibi propinqua in suburbii extra portam Mosiae, et aliis civitatis propinquioribus ipsi portensis in ecclesia divi Vitalis, prope quam tunc fiebat forum piscarium, et in qua servatur; ejusque solemnitas celebratur annuatim die VII Octobris.

23 Crombachio etiam magis consonat Merula in Sanctuario Cremonensi, ut adeo huic, aequae ac isti,

D Sacrum co-  
daver illius  
caelestibus  
prodigiis mox  
illustratum  
fuisse,

omnino veri-  
simile est, sed  
an is, quem  
tam in illius  
inventione,

E

quam in  
translatione  
ad civitatem.

F

\* an accesserunt?  
\* an voluerunt?

**A** isti, Romanus Borgus præbuisse videatur. Comode tamen addit, dicti S. Creati ecclesiam suo tempore non superfuisse: ego vero ne nomine quidem novi ullum S. Creatum, et tametsi Crombachius illum sextum Cremonensium episcopum dicat, nullus ejus nominis in ejusdem sedis antistitum serie apud Ughellum tom. IV Italiae sacrae auctæ legitur præter Creatum de Ponte, vigesimo loco ibidem repositum, annoque 394 defunctum, qui licet a pietate caritateque ibidem multum laudetur, Sancti tamen Beate titulum, ullumve cultus indicium adscriptum non habet. Itaque quis S. Creati nomine, quæ ejusdem ecclesie apud laudatos scriptores designentur, Cremonensibus edicendum relinquit. Ceterum notæ mihi sunt aliæ nominatæ ecclesie, portaque Mosæ, vulgo della Mosa appellata. Quam porro firmo monumento nitantur prodigia ista, quæ tunc contigisse dicuntur, mihi plane incognitum est; non tamen illa in hujusmodi sacrorum corporum translationibus omnino sunt nova.

**Q**uidquid quoque sit de prodigiis aliis, **B** 24 Haud magis exploratum habeo, quam certa sint rursus alia prodigia, quæ ad elevandum e tumulo corpus occasionem dedisse, atque ipsam elevationem illustrasse, idem Crombachius affirmat, silentibus Cavitellio, Merula et Ferrario. Visam scilicet multis noctibus totam S. Vitalis ecclesiam caelesti splendore coruscare; ipsum vero S. Geroldi tumulum ab angelis, Matutinas laudes Deo concinentibus, circumcinctum, ac corpus denique reperit incorruptum, carne integra, coloris naturalis et vividi, miro fragrans odore, vulneribus in capite, humero et pectore etiam tum fluido sanguine rubentibus. Quo hæc tempore, quove sedente episcopo, contigerint, alium ibi siletur, solusque nominatur episcopi vicarius Petrus, qui ex illius mandato corpus e terra tunc elevaverit; quod sane silentium tanta prodigia, quæ vel ob solam magnitudinem suam certis testimoniis consignari meruissent, mihi admodum redit suspecta.

**C** 25 Fuisse nihilominus sacrum Geroldi corpus olim e terra sublevatum, constat ex loco, quem in eadem S. Vitalis ecclesia obtinet, de quo Merula in Sanctuario, postquam dixerat, istud in prædicta ecclesia primo sepultum fuisse, infra, ut cetera, Italice adiecit: In hac ecclesia requiescit dicti (S. Geroldi) corpus tumebæ marmoreæ inclusum sub ara sacelli eidem Sancto dicati, caput vero illius in ejusdem altaris honorifico loco servatur, et in aliquot solemnitatibus venerationi publicæ exponitur. Eam capitæ thecam dimidiatam S. Geroldi argenteam statuem esse, ait Crombachius, consentitque Augustinus Grasso in Ms. relatione de maxilla ab ejusdem Sancti capite pro templo Agrippinensi Societatis nostræ separata, quam ipse anno 1652 Cremonæ Italice composuit, annoque 1748 P. Franciscus Zacharia noster ad nos transmisit. In hac enim dicitur lipsanthea illa antiquus ac pretiosus argenteus herma. Quo tamen tempore, quave occasione ista sacri corporis elevatio, capitisque ab eo separatio, et an eodem, an diverso tempore facta fuerint, hæcenus non comperi. Id unum conjicere licet, sacrum caput a reliquo corpore minime separatum fuisse tempore elevationis, si corpus tunc tale fuerit, quale supra asseruit Crombachius.

26 At quancumque ista contigerint, saltem non sine episcopi auctoritate recte fieri potuerunt, continentque quamdam beatificationem, seu, ut alii loqui malunt, canonizationem particularem,

per quam episcopi cultum publicum in suis diocesis Serris Dei olim discernere solebant, ut videre licet apud Prosperum Lambertinum, seu Benedictum XIV Papam lib. 1, cap. 6 et alibi de Servorum Dei beatificatione etc. At, inquit, an igitur S. Geroldus, ut Crombachius asserit, a nullo summo Pontifice Romano in Sanctorum numerum relatus, seu canonizatus fuit? Id equidem affirmare nequeo, nec mihi persuadent verba Crombachii, quæ ex ejusdem libri II cap. 17 Latine hic recito: Cum adeo multiplicata essent miracula, ea per Italiam Galliamque passim innotuerunt, utque probabiliter perhibetur, ipsum (Geroldum) Innocentius hujus nominis IV Sanctorum Martyrum albo inscripsit et canonizavit, sed de anno non constat, quem tamen ipse fuisse annum Christi 1231, quo Innocentius e Galliis in Italiam rediit, verisimiliter existimavit; sed nullas ejus rei Pontificias litteras superesse agnoscit.

**E** 27 Mira iterum hic, si ita sit, Cremonensium in rebus ad sanctum Protectorem suum spectantibus conservandis incuria, vel infelicitas, mihi quidem etiam aliunde non satis, ut admittatur, probabilis. Nam quod ad annum quidem attinet, non erat id tempus, quo Cremonenses sub Uberto Palavicino Ghibellinas partes sectabantur, Cremonensibus opportunum ad eam canonizationis gratiam ab Innocentio flagitandam. Deinde licet Pontificæ litteræ perditæ fuissent, Geroldi tamen, sive ab eodem Innocentio, sive ab alio ejusdem decessore vel successore Pontifice, inter Sanctos relati nomen Cremonensibus Kalendaris inscriptum fuisset. Atqui hoc factum non esse usque in sæculum decimum quintum, colligo ex triplici Kalendario Cremonensi, quod Franciscus Zacharia noster ad calcem seriei episcoporum ejusdem civitatis vulgavit, acceptum ex totidem Ms. libris majoris ecclesie Cremonensis, quodque eodem sæculo xv ipse editor antiquus non esse, pronuntiat. Frustra autem in his nomen S. Geroldi inquiras; quod quis satis miretur, si hic sæculo xii vel xiv a summo Pontifice canonizatus fuisset? Quis, inquam, istud silentium satis miretur, nisi qui summam denuo Cremonensium negligentiam sine ullo argumento culpæ voluerit?

**F** 28 Jam quod ad Ecclesiasticum illius in diocesi Cremonensi Officium spectat, Crombachius ipsemet illius initium non altius, quam a sæculo xvi repetit: Hoc certum est, inquit, ipsius festivitatem jam a centum annis (scripsit autem anno 1632) per totam diocesim (Cremonensem) in choro ritu duplici celebratam fuisse. Nescio denique, ex quo Crombachius eam canonizationem didicerit, nisi forte ex Cavitellii jam supra laudati verbis, quæ tamen necesse non est eo sensu exponi. En illa: Cum ad ejus corpus facta fuerint multa miracula pro ejus meritis ac proba et laudabile vita ex virtute omnipotentis Dei, inter ejus Electos fuit connumeratus. Etenim, cum in hæc nullum de summo Pontifice verbum fiat, quid obstat, quo minus ea in sensu proprio sic accipiantur, ut dicatur Geroldus ob probatam multis miraculis sanctitatem, decernente Cremonensi episcopo, exitum honores apud Cremonenses obtinuisse? Fortasse etiam sic captus illius eo loci cultus postea fuerit ab aliquo summo Pontifice simul cum concessione Officii pro diocesi Cremonensi approbatus; certe infra recitabo Innocentii X Papæ litteras, in quibus Geroldus et Sanctus et Martyr appellatur, concedunturque Indulgentiæ

AUCTORE C. S. ignoto tempore et auctore; illius per summum Pontificem canonizatio

a Crombachio asserta non probatur.

ac fortasse male intellecto loco nittur.

\* imo laudabili

AUCTORE  
C. S.

*Indulgentiæ plenariæ in die festo translationis partis reliquiarum illius, sed unica solum vice in ecclesia Societatis nostræ Colonix Agrippinæ obtinendæ; de quibus suo loco latius agetur, verum hæc canonizationem non continent, nec aliquando factam esse probant.*

Cur quidam  
crediderint,  
Sancti corpus  
in propriam  
ecclesiam  
suam

29 *Supra num. 4 monui, non recte a Ferrario, atque etiam expressius a Castellano dici ejusdem Sancti reliquias, seu corpus, ex S. Vitalis ecclesia, in qua primo fuerat sepultum, in alteram propriam sub illius invocatione extructam translatum quiescere; cum ab illis dictum oportuerit, illud aliquando ex humo levatum atque in sacellum, ipsius quidem nomine sacrum, sed intra eandem S. Vitalis ecclesiam situm, fuisse translatum. Cur id monuerim, satis liquet ex verbis Merula, quæ num. 25 recitavi. Is error nasci potuit ex addito S. Vitalis ecclesie nomine Geroldi, adeo ut unica ista ecclesia modo SS. Vitalis et Geroldi, modo etiam hujus solius nomine veniat, uti videre licet in Josephi Bresciani Diario sacro Cremonensi ad Dominicam Sexagesimæ, ad diem 10 Junii, et ad hunc 7 Octobris diem, quo posteriori loco sic legitur: S. Geroldus martyr. Illius festum celebratur in ejusdem Sancti ecclesia, ubi illius corpus requiescit, quæ a reverendis Patribus Congregationis Somaschæ administratur, quibus nempe hæc paulo post medium sæculum XVI concessa fuit. Hæc autem omnia prædictam S. Vitalis ecclesiam manifeste designant.*

translatum  
esse: invocatur  
ille peculiariter  
a  
cæcis

50 *Hinc rectius Augustinus Grasso in relatione sua Ms. superius jam laudata, infraque laudanda eandem sanctorum Vitalis et Geroldi ecclesiam vocavit. Est quidem Cremonæ etiam altera ædes, ab eodem Geroldo dicta, quam Coletus in Additionibus ad Ughelli Italiam sacram tom. IV, col. 379 inter piæ domos curandis fovendisque pauperibus ea in urbe erectas sic paucis indicat: Pro pueris orphanis custodiendis, S. GEROLDI vocatur, sub PP. Somaschensium cura; sed in hac corpus ejusdem Sancti non servatur. Hæc de loco sacri illius corporis dicta sufficiant: de patrocinio ejus scribit Crombachius, ipsum, tametsi in omnibus infirmitatibus, ac maxime in febribus, solet feliciter invocari, peculiarem tamen cæcorum medicum esse, ac tum quoque, dum scribebat, probabiliter perhiberi, septennio quemdam cæcum oculorum donatum lumine fuisse apud ejusdem tumbam, ad quam appensa omnis generis anathemata de beneficiis ab illo collatis fidem facerent.*

et febricitantibus

51 *Addit adversus febres saluberrime adhiberi illius imagines, ejusdem capitis tactu sacratas, huncque in finem eisdem appositus legi preces, quas infra § sequenti opportunius recitabo. De curatione cæcorum nihil peculiariter memorans Peregrinus Merula in Sanctuario, cetera congruit: Hic Sanctus, inquit, Cremonenses non modo præ ceteris suo corpore donavit, verum etiam sanavit, quotquot qualemque afflicti infirmitate ad ipsum medelæ gratia recurrerunt: quin hoc etiam tempore schedulæ, oratione ad illum inscriptæ, ejusdemque capitis tactu sacratæ, infirmis, eas pie penes se gestantibus, mirabiliter sunt salutares. Hisce adjice et alterum testimonium ex Crombachio, quod totidem verbis ex Germanicis Latine hic refero. Testatur (ait) Joannes Baptista Vertua (infra mox Vertica scribitur) Præpositus apud S. Geroldum, sæpe numero se suis oculis spectasse, eos, quibus ex febre decumbentibus istas imagines cum*

prædictis precibus dederat, sanitate donatos D esse.

52 *Cum anno MDCXLVI ardens febris Cremonam affligeret, innumera ægrorum multitudo ad S. Geroldi ecclesiam illius opem imploratura confluit; eodemque anno laudatus Præpositus Joannes Baptista Vertica (superius Vertua) ad me perscripsit, illorum innumeros, quibus coram S. Geroldi altari manum imposuerat, et pro quibus prædictas recitaverat preces, curatos fuisse, ac brevi post salvos et incolumes ad sanctum Martyrem regressos, de obtenta sanitate Deo in suo Sancto grates persolvisse. Hactenus Crombachius, a quo nominatus Præpositus verisimiliter fuerit superior Clericorum Congregationis Somaschæ, quibus SS. Vitalis ac Geroldi ecclesiam medio sæculo XVI concessam fuisse, supra observavi. Potens illius in febribus patrocinium etiam inferius confirmabitur.*

felicissimo  
cum effectu.

### § III. Archiepiscopus senatusque Coloniensi Sancti mandibulam a Cremonensibus impetrant: hujus sollemnis exaltatio Coloniæ anno MDCCLII; depulsæ grassantes febres, etiam ab ipso archiepiscopo: cultus annuus ibidem in templo Societatis Jesu.

Quæ de sacra Geroldi veneratione hactenus exposui, spectant ad illius cultum, quem Cremonæ in Insurbia, prope quam ipse occisus fuit, jam ab aliquot sæculis obtinuit; nunc agendum de eo est, quo Colonix Agrippinæ, Germaniæ ad Rhenum civitate, ubi natus fuerat, medio sæculo XVII honorari cepit, ex quo insignis reliquiarum ejusdem portio illuc fuit translata. Prælucent hic mihi Crombachius et Augustinus Grasso, quorum hic sæpe a me laudatum Ms. Cremonense eodem tempore, quo ista sacra portio a Cremonensibus concessa fuit, Cremonæ exaravit; ille vero in Societatis nostræ collegio Colonix Agrippinæ florebat. Habeo præterea alteram ejusdem rei Ms. Relationem, quam Fredericus Reiffenbergius, piæ memoriæ Societatis nostræ presbyter, secundo ejusdem Societatis ad Rhenum inferiorum Historiæ tomo inserendam paraverat, mecumque benigne communicavit humanissimus atque cruditissimus vir Augustinus Aldenbruck, nostræ item Societatis in eodem Agrippinensi Collegio presbyter, mihi amicissimus. Ordior a Crombachio.

Sæculo XVII  
captus Coloniæ  
Agrippinæ S. Geroldi  
cultus

54 *Ferne septennio (inquit lib. II Vita cap. 20) laboratum est, priusquam e S. Geroldi ossibus aliquid impetrari, Coloniæ Agrippinæ perferri, publicæque venerationi exponi potuit, variis adversantibus casibus, uti ex sequentibus liquet. Anno MDCXLV Agrippinenses Patres societatis Jesu scriptis litteris Cremonenses per amicum consulerunt, si qua spes affligeret aliquid e S. Geroldi corpore obtinendi, qua-*

per acceptam  
reliquiarum  
illius portio-  
nem.



A que tentandum esset ratione, ut id commode fieret. Responsum eis est, in primis hic opus esse Romani Pontificis facultate. Quam ob rem anno sequenti MDCXVI is assensus Pontificius per Ferdinandum archiepiscopum Electorem, providumque senatum Coloniensem impetratus fuit, annoque subsecuto MDCXVII Cremonam missus, laudatque Elector senatusque Colonienses per promotoriales litteras episcopum ac senatum Cremonenses, Præpositumque S. Geroldi, et Congregationis Somaschæ superiore Generale flagitarunt, quo expetitæ reliquiæ prædictis Patribus facilius concederentur.

diu expetitam.

55 Verum cum duo proxime sibi succedentes superiores Generales (*Congregationis Somaschæ*) nempe Augustinus Socius anno MDCXVI, et Joannes Ambrosius Varesius anno sequenti, obiissent, antequam postulatis assentiri potuere; quique his successit, Generalis Jacobus Antonius Valtorta nihil hac in re sine consensu comitorum generalium (quæ usque in annum MDCI dilata fuere) facere voluisset, ejusdem anni mense Maio creatus Generalis est Paulus Carrara, qui repetitis variis litteris, ipsiusque episcopi ac civitatis Cremonensis hortatu denique motus est, ut, cum in generalibus suæ Congregationis comitiis non expedire visum esset tumulum aperire, concederet aliquid e S. Geroldi capite mitti Coloniæ Agrippinam ad sancti Martyris venerationem in patria sua propagandam. *Post hæc subdit expetitam reliquiarum partem anno 1631 die 16 Decembris a Sancti capite separatam fuisse, sacræ thecæ inclusam, ad serenissimum archiepiscopum et Electorem Coloniensem dono mittendam; quæ omnia rectius ex supra laudato Augustino Grasso, qui Cremonæ aderat, hic subjiciam ex Italicis Latina, orsus ab ejusdem Relationis initio.*

Archiepiscopi senatusque precibus cum consensu Papæ

56 Cum a paucis annis, quadam occasione singularis providentiæ divinæ, Coloniæ Agrippinæ in sua patria renovata esset gloriosi martyris S. Geroldi memoria, inaccessit etiam serenissimum principem Electorem archiepiscopum, clarissimumque ejusdem nobilissimæ civitatis senatum ingens desiderium aliquas istius Sancti reliquias obtinendi. Hunc in finem disertissimas urgentissimasque litteras ad illustrissimum ac reverendissimum dominum episcopum nostrum, ad illustrissimos dominos ad hujus civitatis regimen deputatos, atque ad reverendissimum Patrem Generalem sacræ Congregationis Somaschorum dederunt. Præterea, quo desideria sua cum divina voluntate melius componerent, supplicarunt Innocentio X Papæ, qui per Breve ad Cremonensem episcopum directum Electori archiepiscopo Coloniensi benigne concessit, ut cum consensu, quorum intererat, unam pluresve portiones a corpore S. Geroldi martyris separare valerent, ac transferre Coloniæ, in ecclesia Societatis Jesu, ibidem, velut in ecclesia serenissimæ suæ domus Bavaricæ, a qua olim magnifice condita fuit, publicæ venerationi exponendas.

annuentes Cremonenses et Generalis Somaschorum

57 Tam pia tamque insignium personarum postulata, ac summi quoque Pontificis assensu favoreque commendata, pari devotione ac promptitudine episcopus suscepit, qui omnem suam operam huc contulit; suscepit et consilium generale civitatis Cremonensis, quod non solum suum præbuit assensum, verum etiam per decretum elegerunt dominos Nicolaum Fer-

rari, et Gerardum Asti, ut huic negotio, velut magni ponderis, assisterent; ac denique reverendissimus pater Generalis, dominus Paulus Carrara, vir singularis benignitatis, prudentiæ ac doctrinæ, qui cum primariorum suæ Congregationis patrum consensu, datis litteris mandavit, ut in hunc finem insignis pars mandibulæ a sacro capite beatissimi martyris S. Geroldi demeretur.

58 Accepto hoc mandato, multum reverendus pater Joannes Petrus Comenduco Præpositus suam sanctorum martyrum Vitalis et Geroldi ecclesiam jussit parari, in qua dum ipse cum suis patribus adesset, die XVI Decembris anni MDCI, illustrissimus episcopus una cum duobus dominis a civitate electis, multisque aliis dominis Canonice virisque nobilibus eo accessit, coram quibus sacrum ac venerabile sancti Martyris caput ex antiquo pretiosoque argenteo herma, exposito in medio, magno cum decore multisque accensis cereis exemptum fuit, et assignata pars ab eodem separata. Hanc illustrissimus dominus recognovit, cum solitis ceremoniis veneratus est, propriisque manibus decenter obvolutam, et duobus locis sigillo suo majori obsignatam, procuratoribus serenissimorum principum, Electorum archiepiscoporum, Ferdinandi sanctæ memoriæ, et Maximiliani Henrici nunc sedentis, clarissimique senatus Coloniensis tradidit, jubens, de hisce omnibus fieri instrumentum authenticum, et a duobus cancellariis episcopatus et civitatis subscribi et sigillari.

AUCTORE C. S.

mandibulam Agrippinensium procuratoribus tradunt anno 1630.

59 Interea Coloniæ Agrippinam, velut hujus sancti Martyris hospitii metatores, missæ fuerant aliquot ejusdem excusæ imagines, quæ cum distribuenter, etiam a primæ notæ viris certatim expetitæ fuerunt; cumque jam inciperent solitos suos benignos effectus in infirmis producere, tanto majus in omnium animis desiderium sacrarum reliquiarum accenderunt. Sed cum hiberna tempestas esset, viæque parum securæ, expectanda fuit opportuna eis mittendis occasio: quapropter primum anno subsecuto Coloniæ pervenerunt VIII Martii, die communis lætitiæ, quippe quæ ab omnibus pro pretioso thesauro haberentur. *Quæ deinde Coloniæ peracta fuere, rectius ex Crombachio, ibidem tunc habitante, et ex Reiffenbergio superius laudato, qui Crombachii Mss., ac collegii Coloniensis litteras annuas ad manus habuit, subjiciemus, ac in primis ipsas illustrissimi Francisci Vicecomitis, tunc temporis Cremonensis episcopi, litteras ad serenissimum Maximilianum Henricum, e Bavaricæ ducibus archiepiscopum et Electorem Coloniensem hac super re datas. Sic illas ex Crombachii Mss. refert Reiffenbergius.*

quæ tamen primum anno sequenti Coloniæ allata fuit.

40 Serenissimo ac reverendissimo Domino mihi colendissimo, D. Maximiliano Henrico, Colon. archiepiscopo, S. R. I. Electori, duci Bavaricæ etc. etc.

Recitantur litteræ quibus Cremonensis episcopus

Serenissime princeps, sanctæ et recolende memoriæ serenissimus vestræ Celsitudinis prædecessor, Ferdinandus, Coloniensis archiepiscopus, et S. R. I. princeps Elector, cum vehementiore desiderio teneretur sacræ reliquias aliquas B. Geroldi martyris hinc ad suam istam Coloniensem nobilissimam sedem, et sancti Viri patriam transferendi, jam pridem id mihi per litteras significare dignatus est, et operam subinde meam singulari in me beneficio postulare.

AUCTORE  
C. S.

lare. Cujus tam eximia pietati dum pro viribus obsequi conarer, multæ subortæ difficultates mea studia non irrita quidem effecerunt, sed tamen longius protracta magno me dolore sensuque animi distulerunt. Interea vero divinæ Bonitati visum est, præstantissimum præsulem jam dictum in eam, quæ Justorum vere est, patriam, ut pie credimus, vocare. Atque hoc ita quidem superno consilio factum esse, censendum est, ut in aula cœlesti piissimus Pontifex illud sponse suæ ornamentum a divina Majestate propius impetraret, quod in terris difficilimum videbatur.

Maximilianum Henricum Coloniensem archiepiscopum

41 Et sane his duobus postremis mensibus tam faciles diligentiae meae ubique aditus patuere, sic omnia in favorem causæ conspirarunt, ut non nisi hæc a Cælestium cœtu primum decreta ad nos emanare potuisse, credendum sit. Quam ob rem die decima quinta Decembris, profectus ad ædes SS. martyris Geroldi, solenni ritu et, qua par est, pietate, illustribus et religiosissimis viris adstantibus, majorem dimidiatæ inferioris maxillæ partem sacro ejusdem Martyris detractam capiti in manus sumpsi, ac diligenter inspectam Celsitudinis vestræ procuratori summa cum animi lætitia tradidi, velut mei erga tantum pontificem et principem obsequentissimi animi ac perpetuæ servitutis luculentissimum argumentum. Faterer sane, me vestra et prædecessoris merita præclarissima quantitate muneris non æquare: si tamen rei ipsius difficillimas specto conditiones, non parvum me meæ industriæ fructum cepisse mihi videor, et, si meæ in vestra obsequia propensissima voluntatis ratio habeatur, non illam majorem esse potuisse, conscientia mea testatur.

de hisce certior fecit.

42 Illud certe a vestra Celsitudine subnixæ precor, ut hanc meam qualemcunque operam benigne adspiciat, meoque nomine carissimo prædecessori ratam commendet; quæ si non in toto effodiendo thesauro felix fuit, sudavit tamen libentissime in parte una, in qua non minus totum spiritum vigilem ac præsentissimum ad opem, ad miracula, ad beneficia præstanda præpotens Martyr \* credendus est. Denique, ut eadem opera studiisque omnibus sæpissime uti velit, vehementer opto, ac supplicem a C. V. peto, quam humillime veneror. Dabam Cremonæ xx mensis Decembris die. A. 1650.

\* alio habere

C

C. V.

Devotissimus servus

Franciscus Episcopus Cremonæ.

Maximiliani Henrici in Coloniensi archiepiscopatu decessor Ferdinandus, a quo sacra Geroldi reliquie primo expetitæ in recitatis litteris dicuntur, fuit Guilielmi V Bavarie ducis filius ac Maximiliani Henrici patruus, virtutibus ac pietate insignis, die 15 Septembris anni 1650 vita functus, eique laudatus Maximilianus Henricus, qui ejusdem coadjutor dudum electus proclamatusque fuerat, successit, uti videre licet tom. III Gallie Christianæ auct. col. 715 et sequenti. Nunc cetera subdamus.

Ea reliquie ab archiepiscopi Coloniensis suffraganeo

45 Post hæc sic pergit Reiffenbergius: Redditæ hæc literæ sunt sequente anno, mense Martio, cum, pacato Leodio, ad Ubios Maximilianus Henricus rediisset. Respondit is humanissima epistola Cremonensi præsuli, et gratum pro beneficio animum testatus est: ipsas vero

reliquias Paulo Stravio, Coloniensi suffraganeo (alibi Georgium Paulum Stravium dictum, ac Joppensem etiam episcopum fuisse legi) accurate inspiciendas tradidit; qui pridie Idus Martias pontificali indutus trabea Agripinensis Collegii templum ingressus recitari primum jussit Cremonenses tabulas; tum principem ad aram accessit, et arcam episcopi annulo quatuor in locis obsignatam resignavit, et Geroldi martyris mandibulam reperit, adjecta hac adversus febriles æstus precatione: « Per merita passionis D. N. I. C. et B. M. semper Virginis, » et B. Geroldi martyris, et omnium SS. liberet » nos Deus ab omni malo febris. Amen. »

44 Eduxit deinde mandibulam Stravius cum tribus, qui ei hærebant, dentibus, rogavitque adstantem medicum, num humani hæc corporis maxilla esset. Annuente medico, Theologiae et Legum peritis monstravit, ac palam deinde declaravit, quam coram videant, ossium partem a divi Geroldi capite præsectam, atque eandem plane esse, cujus literæ Cremonenses meminerint: publicum proin eas cultum mereri, atque exponi palam venerationi posse. Tum vitreis illas specularibus inclusas religioso coluit osculo, et præsentibus, idem ut facerent, author fuit. Indita eandem in arcam fuerant Romanorum duorum martyrum, Constantii et Fausti, corpora, quæ e Calixti cœmeterio suis cum sarcophagis, nominibus, et plena sanguinis phiala feliciter eruta lustravit, ac pro legitimis habuit Ghinettus Cardinalis, summi Pontificis in Urbe Vicarius. Hæc ubi eadem diligentia Stravius recognoverat, et tueris sufflit veneratus fuerat, suo rursus annulo obsignata seponi tantisper jussit, dum, impetratis a Pontifice Indulgentiis, publico cultui exponi majore cum celebritate possent.

recognita approbantur. petuntur Indulgentiæ a Romano Pontifice,

45 Implevit hæc Agripinensis vota Romanus Pontifex anno mdcclm \*, quando amplo diplomate culparum penarumque condonationem obtulit omnibus, qui, peccatis rite expiatis, Eucharistiam sumerent, et ante sacra lipsana Deo, quo par est, modo supplicarent. Id ut majore cum apparatu fieret, stratum est eleganti marmore Marianum basilicæ nostræ sacellum, et Geroldo conflatum ex argento signum voluntate et sumptu Catharinæ de Colonia (von Cöllen.) Refert id Geroldum dimidiato corpore, et viatoris specie; caput petasatum est, et dextera scipione instructa; læva pugillares tenet; intra præcordia defixus hæret pugio, atque e pectore per crystallum reliquæ tralucet: subjecta hermæ huic basis, in qua præter argentea toreumata hæc ex eodem metallo legitur subscriptio: S. GEROLDUS CIVIS COLONIENSIS. Æri deinde eadem incisa fuit imago, atque una cum vitæ synopsis et precationis formula distributa in vulgus.

isique rependitur ornatum sacellum, paratur Lipsanothea argentea. \* l. mdcclm.

46 Imaginum istarum exemplar præ manibus habeo beneficio supra laudati R. P. Augustini Aldenbruck, in quo præter precationem, num. 45 jam recitatam, hæc præterea legitur ex communi Martyrum: Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut, intercedente B. Geroldo martyre tuo, et a cunctis adversitatibus liberemur in corpore, et a pravus cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum etc. Synopsis vero Vitæ sumpta est ex Philippi Ferrarii Catalogo Sanctorum Italiae, cujus verba dedi num. 2. Porro ne quid curiosus hagiophilus desideret, ipsam statuae iconem, prætermisisti, quæ, monente eodem Augustino

quam hic subijcimus

Augustino

A *stino Aldenbruck, solum in die exaltationis inclusarum reliquiarum addita fuere, chalcographo nostro imitandam dedi, qualem hic exhibeo.*



B cum paucis ad eam annotatis.

47 Addo etiam ejusdem eruditi viri ad eandem statuam in litteris ad me datis annotationes. Basi (inquit) statuæ, quæ (basis scilicet) ex ligno elaborata affabre est, atque argenteo toreumate, et in medio lamella ejusdem metalli majuscula est exornata, sicarios in Sanctum irruentes eumque confodientes exhibente, hæc dumtaxat characteribus ex argento fuis superne leguntur inscripta : SANCTUS GEROLDUS MARTYR CIVIS COLON ; sed statua ipsa tota argentea est, gladio, scipione, stella etc. inauratis, estque majoris etiam (quam basis) formæ, ut icon exhibet, ac sedecim facile librarum, Catharinæ de Colonia, vulgo Von Cöllen, donum. Hactenus ipse. Lamellæ locum in basi data icon manifeste exhibet, sed is in eadem icone arctior erat, quam ut Sancti cædis imaginem capere posset, similisque ratio obtulisse videtur, ne prædicta inscriptio eidem iconi adderetur.

Anno 1632 archiepiscopus Colonien-  
sis suos publicis litteris  
\* l. sextum  
decimum

48 Redeo ad Reiffenbergii narrationem, in qua ipsa earundem S. Geroldi reliquiarum exaltationis solemnitas exponitur. Illius verba accipe. Præstituit sacræ huic ovationi archiepiscopus septimum decimum \* Kal. Quintileis, qui tunc in Dominicam quartam post Pentecosten incurrebat. Hic subduntur archiepiscopi pro ea celebranda litteræ publicæ, quarum exemplar tunc typis vulgatum habeo, atque hic subnecto, recisis brevilitatis causa aliquot ejusdem archiepiscopi titulis, qui ad præsens argumentum nil faciunt.

Maximilianus Henricus, Dei et Apostolicæ Sedis gratia electus et confirmatus sanctæ Colonien-  
sis ecclesiæ archiepiscopus, sacri Romani Imperii princeps Elector, et per Italiam archicancellarius etc. etc. venerabili clero et universis ac singulis Christi-fidelibus civitatis et archidieccesis nostræ Colonien-  
sis salutem in Domino sempiternam.

ad solemnitatem translationis earundem reliquiarum,

49 Dum periculosæ febres in civitate et archidiecesi nostra Colonien-  
si grassantur, opportune divina Bonitas offert cælestem medicum S. Geroldum, patria Colonien-  
sem, martyrem Cremonensem, qui cum in Italia soleat innumeros ab omni genere febrium invocatus suo patrocinio liberare, speramus, non minus in  
Octobris Tomus III.

patria sua, dummodo legitime colatur, civibus suis, iisdem morbis conflictantibus, opitulaturum. Cujus sacræ reliquiæ Cremona translate, et a nostro in Pontificalibus simul et spiritualibus Vicario generali diligenter examinatæ et approbatæ, ut culta majore honorentur, Sanctissimus D. N. Innocentius divina providentia Papa X pro festo translationis dicti S. Geroldi M. (quod Dominica iv post Pentecosten, quæ est xvi dies mensis Junii, sollemniter apud Patres Societatis Jesu celebrabitur) omnibus Christi-fidelibus confessis et sacra Communione refectis, et dictum Martyrem ibidem colentibus, plenarias Indulgentias clementer imperitur hoc tenore.

AUCTORE  
C. S.

50 « Innocentius Papa X Universis Christi-fidelibus præsentibus litteras inspecturis Salutem et Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christi-fidelibus, vere pœnitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui ecclesiam domus Presbyterorum Societatis Jesu Coloniensium die festo translationis S. Geroldi M. a primis vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum exstirpatione et S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus : Præsentibus pro una vice tantum valituris. Volumus autem, quod, si pro impetratione, præsentatione et admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentibus nullæ sint eo ipso. Datæ Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xxv Novembris. Anno MDCLI Pontificatus nostri VIII. »  
» Gratis pro Deo etiam scriptura. Franc. »  
» Caetanus. »

propositis etiam Indulgentiis plenariis ab Innocentio X concessis,

51 Hisce rursus subdit archiepiscopus : invitavit et hortatur. Omnes igitur parochos et concionatores hortamur in Domino, ut auditores suos ad hunc sanctum Civem suum honore congruo excipiant, colendum et invocandum inflamment, ut, sicut hactenus Cremonam sæpius a febribus et hostium incuris liberavit, ita patriæ suæ deinceps custos, tutor et advocatus esse dignetur. In quorum fidem has per supradictum nostrum in pontificalibus vicarium subscribi fecimus. Coloniae 1 Julii anno MDCIII.

Georgius Paulus Stravius episcopus Joppensis, suffraganeus Colonien-  
sis et vicarius generalis etc.

Sequitur denique Germanico sermone invitatio populi ad eandem sollemnitatem pie celebrandam, sanctumque Geroldum, celebrem apud Cremonenses adversus febres patronum, adversus easdem invocandum. Nunc ad ipsam sollemnitatem tandem perveniamus, referente ex Collegii Agrippinensis litteris annuis eodem Reiffenbergio.

52 Profestus interea cum fulsisset dies, Stravii permisso consecrata est statua argentea, quæ Geroldi complexura erat reliquias. Excitatum deinde in aræ principis medittullo pegma eximio opere, cui purpureum insistebat cono-

Exponuntur translationis festivitas, sacer apparatus,

AUCTORE  
C. S.

peum, quod Geroldi simulacrum exciperet, et affluentem populo editore e loco ostenderet. Subjecta uncialibus literis hæc visebatur inscriptio : S. GEROLDUS MARTYR CREMONENSIS, PATRIA COLONIENSIS, PATRONUS CONTRA FEBRES. Secuta est æris campani compulsatio diuturnior, et jucunda fidium, nervorum, cornuum, ac vocum concertatio, quæ ad duas ferme horas protracta mirifice audientium animos auresque tenuit. Vix alias Agrippinensis civitas majoribus incedere lætitiis visa est. Civium, finitimorumque hominum ad sacra tribunalia concursus fuit maximus, quem dies postera sub Sacro musico, et consecuta paulo post panegyri eum in modum auxit, ut non tantum inferior basilicæ ambitus, sed chori etiam pensiles ac proxima fornicis odea referta essent hominibus, essentque plurimi, qui templi, ceteroqui amplissimi, spatiis exclusi foris cogerentur præstolari, dum egressuri locum facerent.

concursum  
pietasque populi,  
et oblectamenta  
beneficia,

B

53 Qui sacram Synaxim Dominico die frequentarunt, a sex millium numero haud longe abfuere. Nulla hic loci Paschalis festivitas tanta est hominum celebrata frequentia, nulla majore cum civium fructu, nulla pari aut concursu aut congratulatione : quo plurimum contulit, quod Geroldum populus non modo susciperet ut Sanctum, sed et ut civem amaret. Ingens certe facta est animorum commotio, cum, peractis omnibus, Ambrosianum concineretur carmen, et Marianum ad sacellum Divi signum a linteatis deferretur. Eminebant isthic in ara statuae complures, quarum aliæ sicarios, aliæ Geroldum cum cælesti genio, palmam præferente, representarent. Reliquiæ sublimiore loco intra aram conditæ, atque octo integros dies catechetica juvenutis cantu et cereis votivis honoratæ sunt. Vulgavit tum Crombachius noster, uti de se ipso in Annalibus perhibet, Vitam Geroldi idiomaticè vernaculo (de qua sæpe mentionem feci) atque eo cum fructu tradidit clientibus, ut certatim conquisitæ fuerint Sancti imagines, et ingens febrientium numerus consauerit.

maxime in  
depellendis  
febris,

C

54 Fuit etiam in his mulier gravida et partui propinquans, quæ aliis cum symptomatis periculosam insuper febrem contraxerat : jam eo invaluerat morbi vis, ut deesset officio stomachus, et cibi nihil retineret aut digereret. Humana remedia cum ipse desperaret medicus, sacer-

sacerdotum nostrorum aliquis auctor extitit D femine, ut hausta aqua Ignatii, Divo huic et Geroldo religionem annum voveret, ac tum demum se fati cælestibus permitteret. Vix votum conceperat mulier, et lympham hauserat, cum extemplo obsecutus est stomachus, retinuit aquam, et nauseam posuit; atque alterum intra mensem feliciter effudit fœtum puerpera. Tota dein urbe febrium resedit æstus, et malum per viciniam grassari desiit. Quod ubi Belgis Gallisque nuntiatum est, plures etiam in horum provinciis extitere, qui Geroldo depulsæ febris beneficium grati adscriberent.

quibus etiam  
archiepiscopus  
illius operæ  
se liberatum  
agnovit.

55 Ipse Coloniensis archiepiscopus Maximilianus Henricus, cum Hildesino ex itinere periculosam retulisset febrem, neque internos ob æstus claudere amplius in somnum oculos posset, afferri Bonnam Geroldi maxillam petiit, et piacularibus perfunctus obsequiis, mox noctu quievit; et sublatis paulo post sanguinis commoti intemperis, totus convaluit. Agnovit se voti reum, misitque quinquaginta librarum cereum, Bavaricis condecoratum insignibus, et chronica hac spectandum epigrapha : ANATHEMA E SANCTI GEROLDI. Idem princeps, ad Ratisbonensiam paulo post abiturus comitia, noluit se committere itineri, nisi impetrato a collegii Rectore Geroldi dente, quem argento inclusum circumtulit, atque ita salutarem sensit, ut, tametsi quartanam ei febrem ominati essent medici, nihil tamen ille labis hujus ac vitii in sanguine contraxerit, sed sanus, vegetus ac integer iter suum et inierit et confecerit. Ceterum Bonna civitas, ubi archiepiscopus decubuisse supra dicitur, vernaculè Bonn etiam dicta, præcipua Electorum Coloniensium sedes est, quatuor milliariibus Germanicis supra Coloniæ Agrippinam ad Rhenum condita.

56 Porro ab isto tempore usque in hodiernum diem nostri Agrippinenses Patres Societatis Jesu festum S. Geroldi quotannis celebrant Officio ritus duplicis, non tamen die 7 Octobris, ut faciunt Cremonensis, sed Dominica secunda Octobris, ab ipsis ejusdem mensis Kalendis numeranda, quasi in diem 11 Octobris incidit, festum SS. Geronis et sociorum MM., eodem die alioquin celebrandum, transfertur in diem posterum. Ita sæpe laudatus Aldenbruckius. F



A

## DE S. PIPIONE, DIACONO CONF.

AUCTORE  
C. S.

BELNÆ IN VASTINENSI GALLIÆ TRACTU.

## SYLLOGE HISTORICO-CRITICA.

## De illius cultu, gestis et ætate.

INCERTO  
SÆCULO.  
Hujus Sancti,  
martyrologis  
parum noti,

**E**x his Galliarum locis, Latine Belna, vernacule Beaune et Beaulne dictis, alter ampla cultaque Burgundiæ ducatus civitas est, quam Bruzen la Martinere in suo Dictionario geographico tribus ab Arari fluvio milliariibus Gallicis Divisionem inter, Augustodunumque ac Cabillonum sitam ait: alter nunc parvum, olim amplius, Gallie oppidum, in Vastinensi, vulgo le Gastinois, vel Gatinois, provincia, eodem teste, quatuor leucis cum dimidia Briboduro (Gallis Briare) duabus cum dimidia Bellogardia (Bellegarde) unaque circiter cum media Bosco communi (Bois-commun) distans, sub Montis Argisi tribunali, quod Galli Election vocant. Solet etiam hoc oppidum, ne cum prædicta Burgundiæ civitate confundatur, Gallice Beaune-en-Gatinois, Latine Belna Vastinensis appellari. Observat quoque Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum p. 526, in Actis concilii Sessionis (ut ait) anno 862 habitæ, villam Belnam in pago Vastinensi sitam, inter villas monasterii S. Dionysii numerari. Qui plura de hoc loco voluerit, adeat Guilielmum Morin in Historia generali Vastinensis, Senonensis et Hurepæstii provinciarum pag. 281 et sequentibus.

locum cultus  
non diem,  
Saussayus,

**B** Porro ibidem hoc die 7 Octobris colitur S. Pipio cum titulo diaconi ac confessoris, tam paucis martyrologis, cum exteris, tum Gallis, notus, ut non nisi apud duos, Saussayum scilicet ac Castellanus illius memoriam, nec etiam recte, consignatam invenerim. Ac prior quidem recte ejusdem cultus locum in Martyrologio Gallicano, at non ita diem, assignans, ad secundam Octobris inquit: Eodem die apud Belnam in Vastino depositio sancti Pipionis, levitæ, socii sancti Mathurini. Tum subdit satis amplum pro more suo illius elogium, quod quia ex ejusdem Sancti Officii Lectionibus, infra dandis, concinnatum est, hic non recitabo. Ita censuit Saussayus, quod Pipio in iisdem lectionibus legatur 6 Nonas Octobris in pace requievisse; verum apud Labbeum, qui illas edidit, loco infra indicando ad calcem adjecta est sequens annotatio: Septima die Octobris Officium illud, festumque celebrari solet, licet sanctus Pipio obiisse dicatur die (adde secunda) ejusdem mensis. Hac de causa nos ad 6 Nonas hujus mensis in Prætermisissis (ubi unius litterulæ vitio Pipia pro Pipio legitur) ejusdem gesta in hodiernum diem distulimus.

Castellanus  
diem, non  
locum, recte  
assignant.

**C** Porro, ut Saussayus alienum cultus diem, ita Castellanus in Martyrologio Universali alienum locum assignavit, ex confusione geminæ Belnæ Burgundicam pro Vastinensi nominans. Nam sic habet hoc die 7 Octobris, sed sermone

Gallico: Belnæ in Burgundia S. Pipio (Gallice Saint Pipe) diaconus. Ex aliis martyrologis nullus alius, quem legerim, ut jam dixi, sive ad hunc, sive ad alium diem illius meminit; quod eo magis miror, quo antiquiorem hunc Sanctum faciunt Lectiones Officii ipsius, quoque celebrior ejusdem in tractu Vastinensi est veneratio; neque enim a solis Belnensibus colitur, verum etiam ex circumjacentis oppidis vicisque, ad ipsum velut potentem patronum ad impetrandam arentibus agris pluviam agminatim supplicantium ritu accurritur, ut ex referendis palam fiet.

**D** Adhæc alteram S. Pipionis annum festivitatem, Translationis scilicet sacri ejus corporis, ad diem 4 Junii præmiserat his verbis: Belnæ in Vastino Translatio sancti Pipionis levitæ, cujus sacrum corpus Ludovicus Senonensis archiantistes ob miraculorum, quibus renidebat, splendorem, exhumatum in capsulam invexit, exhibuitque fidelibus perpetua reverentia percolendum. Ita Saussayus, ut opinor recte, nam et prima Pipionis translatio die 4 Junii in Lectionibus edendis facta legitur, et Papebrochius noster in Ms. Annotatione, ad eundem diem Junii seposita, sic monuit: Translatio S. Pipionis celebratur iv die Junii, quæ prima, et id ipsum etiam insinuare videntur, quæ apud Labbeum verbis de natalitio ejusdem Sancti die 7 Octobris celebrari solito supra num. 2 datis, subduntur hoc modo: Translatio prima peracta est die iv Junii an. mcccclxii. Vide dicta apud nos in Prætermisissis ad eundem Junii diem, unde lector ad 2 vel 7 Octobris remissus fuit. Fortasse etiam altera ejusdem sacri corporis translatio Belnæ celebratur, de qua rursum Papebrochius in mox dicta Annotatione subjicit: Secunda vero colitur die xxviii Octobris, quæ facta anno Domini mdccliii, et apud Labbeum pariter additur: Altera vero (nempe translatio peracta est) die xxviii Octobris anno Christi mdccliii.

Translatio  
ejusdem pri-  
ma 4 Junii,  
secunda forte  
28 Octobris  
etiam colitur;

**E** Priusquam ad S. Pipionis gesta, qualia exstant, progredior, ejusdem apud Belnenses in Vastino cultum præmitto. In Officii sui Lectionibus dicitur ille circa annum Domini tercentesimum in pace requievisse; nec tamen ullum reperio sacræ venerationis illius indicium ante annum 1462, cujus die 4 mensis Junii sacrum ipsius corpus a Senonensi archiepiscopo, Ludovico Meledunensi, elevatum, magnoque cum populi concursu in Belnensem ecclesiam illatum fuit, teste ejusdem Officii auctore, in quo et additur: Collectis itaque, et in capsula conditis sancti Confessoris reliquiis, ut ejus memoria in perpetuum haberetur, templum visitantibus, ac de bonis facultatibusque suis, prout cuique visum fuerit, largientibus, xi dies Indulgentiarum concessit, nempe

de qua utra-  
que transla-  
tione

AUCTORE  
C. S.

nempe laudatus archiepiscopus. Ludovici Melodunensis, seu De Melun, tempus sedis congruit in Senonensium archiepiscoporum Catalogis, quos Claudius Robertus, Sammarthani fratres, et Hugo Mathoudus vulgaverunt, in quorum postremo dicitur ille in hujusmodi Sanctorum pignorum visitationibus frequens fuisse, atque aliquot earum obvia recensentur, inter quas S. Pipionis non occurrat.

paucis anno-  
tantur.

6 Non propterea tamen ulla ratio est de ista illius translatione dubitandi, quam et Saussayus in suum retulit Martyrologium Gallicanum, atque annua memoria Belnensis recoli, ex supra dictis verisimile est. Mirari tamen licet, si S. Pipio jam inde circa annum Domini tercentimum mortuus sit, illius cultus nullum sæculo xv longe vetustius argumentum proferri. Elevationi corporis faciendæ occasionem dedisse miracula ad illius tumulum obtenta, facile credo Saussayo, num. 4 sic asserenti; sed, a quo sæculo ista obtineri cœperint, malim edoceri pro ætate, qua ipse Sanctus vixisse videri possit, utcumque late indaganda. De secunda ejusdem translatione, quæ verbis num. 4 datis anno Christi 1635 die

B

28 Octobris facta dicitur, nec in Officii Lectionibus, quia hæc duo circiter sæcula antiquiores sunt, nec alibi quidquam reperi. Aliquot quoque annis ante citatum 1635, nempe anno 1650 jam sæpe dictam Historiam edidit Morinus, quo tempore ipse sacrum Pipionis corpus in subterranea Belnensis ecclesiæ aëthra ecclesia quievisse, pag. 285 memorat; ex qua an forte anno 1635 eductum et ad superiorem translatum fuerit, non habeo compertum.

Alter ecclesiæ  
Belnensis pa-  
tronus est;  
fons ejus ce-  
lebris.

7 Præmiserat ibidem Morinus, SS. Martinum et Pipionem ejusdem Belnensis ecclesiæ patronos esse; deinde post alia subiit, uno milliari Gallico ab ipso oppido in declivi circa paludosa loco insignem scaturire fontem, sancti Pipionis, Gallice la fontaine de S. Pipe, appellatum, ad quem, quæ supra dixi, supplicantium agmina ad postulandas ejusdem Sancti patrocinio pluvias solent magno numero accedere; quod etiam exemplis illustrans: Anno, inquit, mxcx mensibus Augusto et Januario \*; mxcxiii die xx Maii, annoque mxcxix, die ix Junii, supra sexaginta ejusmodi supplicium agmina, atque inter alia Nemosis (Nemours), Monte Argisi (Montargis) ex Piviers, Lyricantho, Bosco-communi, aliisque ex locis ibidem affuere, postque celebratam Missam pluit vehementer, quod et presbyteri et parochi, qui cum supplicantium agminibus advenerant, authentico instrumento testati fuere. Hæc didicisse videtur Morinus ex Jacobo Boucher, artium magistro, dictæque Belnensis ecclesiæ parochi, a quo ille Lectiones Officii se accepisse, præmisit. Vide etiam dicenda in iisdem Lectionibus infra num. 13.

Ex Officio  
Missæque il-  
lius propriis

8 Ad Ecclesiasticum Sancti Belnense Officium, jam frequenter nominatum, veniamus. Papebrochius, cui idem Ms., quo Labbeus in sua Bibliotheca nova Librorum Mss. usus est, vel ejusdem apographum præluxit, in sua Annotatione Ms. alias laudata observavit, in Officio Missæque illius omnia esse propria; sed Labbei exemplo Antiphonas et Hymnos, quod nihil historicum continerent, merito non curavit describere, lectorumque pro Lectionibus ad Labbeum remisit, nec tamen prætermisit Prosam, ex qua Labbeus solum quatuor postremos versiculos vulgavit, totam transcribere, quam, quia hæc quedam Vita compendium est, hic subjicio.

9 Superni Regis Famulo lata concrepet concio,

recitatur  
Prosa, quæ et  
Sancti gesta  
et reliquias

Cujus favore benigno Belnensis gaudet regio,  
Quæ pridem gaudens jucundum curavit puerperium,

Et perplacidis moribus instruxit ac virtutibus.

Nam, ne juvenus tenella frangeretur inertia,

Nemundus vel dæmonia sua moverent prælia.  
Ad patris oves pascendum mentis applicat studium,

Oves pascit, sed melius cælesti rore pascitur;

Cujus illectus dulcore litteras cœpit amare,  
Altaris sacri postmodum se mancipat servitio,

Mathurini sacerdotis adhærens commilitio,  
Quem vita functum patrio Roma revexit sepulcro.

Levita gaudet honore, sed sacerdotis ordinis

Alienus a livore recusat gradum scandere.  
Spectabilis humilitas hunc retrahit, sed charitas

Atque morum facilitas commendat et integritas.

Vivus languet, et languores sepultus san-  
nat, fragiles.

Artus firmat, et ardores depellet prece febriles.

Dum furor sævit Anglicus, et cuncta vorat gladius,

Inflammatur ecclesia, integra restat Hostia,  
Et Pipionis meritis illæsa manet capsula,

Regi comes Clientulus servatur ex favilla.  
Qui cæli fruens otio, illi servit in gloria,

Excusans apud Dominum nostrorum lapsus criminum,

Nos ad Sanctorum gloriam per ipsius suffragia

Post præsentem miseriam Christi perducatur gratia. Amen.

10 Quæ de Sancti gestis hæc Prosa continet, in eadem ecclesia illæsa enarrat.

omitto hic exponere, quia in ejusdem Officii Lectionibus paulo latius leguntur: quæ vero in ista dicuntur de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, sanctique Pipionis reliquiis in exusta ab Anglis ecclesia Belnensi servatis illæsis, non habentur in his, sed hæc verisimiliter pertinent, quæ laudatus Morinus pag. 282 annotavit, quæque ex Gallicis Latina sic sonant: Extat Caroli VII regis (Galliæ) diploma, ex qua constat, ecclesiam Belnensem, quam Angli incenderant, ab eodem rege reedificatam esse, idemque diploma fidem facit, sanctissimum Christi Corporis Sacramentum in eadem inter cineres repertum fuisse. Quamvis autem nulla hic mentio sit de reliquiis S. Pipionis, verisimile est, auctorem

Prosa: de eodem Belnensis ecclesiæ per Anglos incendio, de quo Morinus hic, agere. Notum porro est gravissimum Anglos inter Carolumque VII, Franciæ regem, initio hujus regni bellum; at plura, quæ ad propositum meum faciant, non comperi. Ceterum jam monui, Labbeum quatuor postremos ejusdem Prosa: versiculos, in quibus miraculum istud continetur, vulgasse.

11 Nunc ipsas Officii Lectiones ex Philippi Labbei tomo I Bibliothecæ novæ librorum Mss. pag. 779 et sequenti recenseo. Exstant hæc ibi cum hac præmissa notitia: Vita sancti Pipionis levitæ et confessoris. De Lectionibus Officii, quod

in eadem ecclesia illæsa enarrat.

in eadem ecclesia illæsa enarrat.

in eadem ecclesia illæsa enarrat.

in eadem ecclesia illæsa enarrat.

in eadem ecclesia illæsa enarrat.

in eadem ecclesia illæsa enarrat.

F

Lectiones Officii referunt Sancti natalis, adolescentiam, quod

A quod R. P. Ludovicus Jacob a sancto Carolo, Ord. B. Mariæ de Carmelo, descripsit ex veteri Codice ecclesiæ urbis Belnensis in Vastino, quæ juris est illusterrimi domini Achillis de Harlay, comitis de Bellomonte, libellorum supplicum magistri etc. *Sequuntur Lectiones octo numero, quarum sectiones sciens annotare omisi.* Rure Gallicano in pago, cui nomen Belna, in Vastino, patre pastore natus est præclarus Dei confessor S. Pipio levita, qui primis annis, et ipse patris studia secutus, oves pascibat, parentum necessitati suo labore subveniens; a quibus bene educatus, et in Lege Dei edoctus, de sublimiore pascua cœpit cogitare. Nam, dum in pastorali ocio ageret, secum multa de cœlesti Pastore animo versans, ejus ovile subinde ingrediebatur et egrediebatur.

progressum in  
litteris, pro-  
motionem ad  
diaconatum,

12 Castum propositum servare volens sanctus Vir, primæ adolescentiæ suæ annis parentibus orhatus, hæreditate magna ex parte pauperibus erogata, pauca sibi retinuit: qui deinde Aurelias profectus liberalium artium studiis, ut Scripturarum pascuis amplius frueretur, admirabili prudentia impendit. Omnem enim epularum luxum, et carnis lasciviam exhorrens alternis diebus jejuniis corpus suum macerabat. Grandior autem natu eruditiorque factus Liricantum una cum B. Mathurino, sacros Ordines suscepturus, ad Polycarpum, Senonensem Archiepiscopum, profectus est. Et Mathurino quidem in presbyterum ordinato, dilectus Dei famulus Pipio supra diaconatus Ordinem promoveri recusavit: qui dum se magna humilitate a sublimiori Ordinis fastigio retrahit, Deo omnipotenti proximus constituitur.

iter Roma-  
num, et in  
patriam cum  
S. Maturini  
corpore redi-  
tum,

15 Paucis a suscepto Ordine diebus interjectis, eremitico cultu peregrinari cœpit; in medio autem itinere febre correptus aliquandiu in partibus Tolosanis commoratus est. Recepta demum sanitate, iter inceptum repetens felici successu tandem Romam, ubi Mathurinus erat, appulit; ubi non multo post defuncto S. Mathurino, multis legitur claruisse miraculis, ut ipsa miraculorum magnitudine permoti Romani eum donis promissisque amplissimis retinere contenderent; quibus neglectis, sanctus Dei Confessor, nigro per circuitum pallio indutus, defuncti amici corpus ad patris domum reducendum procuravit. Unde factum est, ut, ita Deo volente, in patriam propriam reverteretur.

preparatio-  
nem ad mor-  
tem præsci-  
tam.

14 Redditus suis sanctus vir Pipio, qui flebile corpus amici sepelierat, de propria morte ac sepultura curam egit, ad quam subterraneum quoddam sacellum, in quo postmodum provincialium consilio est inhumatus, construxit. Volens autem, ut erat Deo devotus, et ecclesiam sacello adjungere, in ipso medio opere interceptus obdormivit in Domino. Febre siquidem longa afflictus et exesus, ut morti vicinus erat, ab angelo visitatus et confortatus, coronam gloriæ sibi paratam, feliciter audivit. Ex quo tempore nihil terrenum, sed, quasi jam cælos mente inhabitaret, divina omnia spirabat et eloquebatur tantisper; dum circa annum Domini tercentesimum, vi Nonas Octobris in pace requievit: cujus precibus ac meritis, peste, febribus, variisque languorum generibus multos hodie sanari, credimus.

corporisque  
elevationem  
ac miracula.

15 Cujus sanctum corpus deinde a Ludovico Meledunensi, Senonensi archiepiscopo, anno Domini mccccxii, die iv mensis Junii elevatum est, atque translatum in præfatam ecclesiam magno

populorum concursu. Collectis itaque et in capsula conditis sancti Confessoris reliquiis, ut ejus memoria in perpetuum haberetur, templum visitantibus, ac de bonis facultatibusque suis, prout cuique visum fuerit, largientibus, xi dies Indulgentiarum concessit. Miraculorum vero excellentia multorum voluit Deus omnipotens Sanctum suum a morte honorare: nam plurimos per tumuli ejus ingressum febrium languore exolutos et quotidie exolvi S. Pipionis meritis, omnibus innotuit. Pluvias quoque siccitatis tempore, ejusdem Sancti reliquiis per vicos portatis, exoratas, a patribus nostris audivimus, et ipsi plerumque oculis nostris conspeximus, cum ordine devoto ad fontem pago vicinum, LA FONTAINE DE SAINT PIPE, quem creditur Vir sanctus manibus suis effodisse, pergeremus,

AUCTORE  
C. S.

16 *Hæcenus Lectiones Officii ex recensione Labbei, quæ quanti valere videantur, modo expendamus. Opportune Papebrochius in Sæpe dicta Notitia Ms. Prætermisam a Labbeo Officii auctoris Præfationem transcripsit, quam et hic exhibeo.*

Officii hujus  
auctor non est  
medio sæculo  
xvi antiquior,

Hoc Lucione satus, Pipionis lætus honore, E  
Thomas Picardus reddidit Officium.

Mille et quingentis junge undenos quater  
annos,

Tempus habes: præsens qui tibi scripsit  
Opus,

Belnensis vigil et placidus moderator ovilis  
Indoluit, Sanctum laude carere sua.

Ergo, ut, Christe, tibi Divisque rependit ho-  
nores,

Illi post mortem dona repende tua.

Auctor igitur præmissarum Lectionum fuit quidam Thomas cognomento Picardus, Belnensis ecclesiæ parochus, sed natus Lucione, quæ parva Galliæ civitas est in provincia Pictavensi, episcopali tamen sede gaudens, sub metropoli Burdigalensi, atque alias Lucionium et Luciona, vernacule Luçon appellata; scripsitque anno 1344, quem numeri mille quingenti et quater undeni efficiunt.

17 *Hæc epocha apprime componi potest cum annis translationum, quas supra memoravi; nam harum prioris, anno 1462 factæ, expressa exstat mentio in Lectione 7, apud me num. præcedenti; de altera vero, quam anno 1635 peractam dixi, altum in iisdem Lectionibus est silentium; ut proinde statuere liceat, Officium istud saltem non esse anno 1462 vetustius, nec recentius anno 1635, atque adeo potuisse, uti habet Præfatio, anno 1344 primum componi. Secundum hæc floruit hujus Officii auctor tertio decimo sæculo post S. Pipionem, si hic, ut iste num. 16 tradit, circa annum Domini tercentesimum... in pace requievit. Post tot autem sæculorum lapsum scribens nequit esse de ejusdem Sancti gestis idoneus auctor, nisi ei sua ætate longe antiquiora instrumenta præluerint. Atque hic uno quidem in loco apud me num. 15 de ipsius in Urbe Romana commemoratione de Pipione dicit: Multis legitur claruisse miraculis; sed nec, ex quam vetusto scriptore ista acceperit, scimus, nec, quæ ibidem narrat, sæculo iii exeunti aut ineunti iv congruunt, ut facile credantur.*

ac proinde nec  
satis idoneus  
biographus.

F

18 *Quare ego non omnia examinabo, quæ singula certe primus tradere non potuit scriptor tot sæculis ipso Sancto posterior, si tamen tot sæculis posterior sit. Credo equidem, ipsum potissimum eorum partem ex populari traditione accepisse, suisque*

Sanctum flo-  
ruisse sæculis  
tertio et  
quarto,

AUCTORE  
C. S.

suisque exornasse conjecturis; sed quam sæpe et hæc, et ista fallant, nil opus est dicere. Verum age, in ætatem, qua S. Pipio floruit, inquiremus. Si Lectionum auctori credimus, Pipio a Polycarpo, Senonensi archiepiscopo, ordinatus diaconus est eodem tempore, quo S. Maturinus ab eodem præsule creatus est presbyter, hi que duo simul Romæ fuerunt; ubi etiam Pipio tot claruit miraculis, ut ipsa miraculorum multitudine permoti Romani eum donis promissisque amplissimis retinere contenderent; quibus ille neglectis, S. Maturini, ibidem interim defuncti, corpus in Galliam reuexit, atque ipsemet apud Belnenses suos circa annum Domini trecentesimo vi Nonas Octobris in pace requieuit. Floruerit ergo Pipio vergente ad finem sæculo III et ineunte IV.

ex Actis S.  
Maturini

19 Et vero ad id temporis referendus ille esset, si de ejusdem amicitia cum S. Maturino et Polycarpo Senonensium episcopo, et de horum ætate constaret. De S. Maturino agendum in Opere nostro erit ad Kalendas Novembris, quo die hic in genuino Usuardino Romanoque Martyrologiis legitur. Interea dicere licet, ejus Acta, qualia Petrus de Natalibus ac Boninus Mombritius ediderunt, inspersa fabulis esse, nec meliora esse gemina alia, quæ descripta habemus ex codicibus D. De la Mare et Claremaresceno. Apud istorum primum dicitur S. Maturinus una cum parentibus suis ethnicis a S. Polycarpo episcopo baptizatus fuisse; apud alterum etiam presbyter ordinatus a quodam sancto Polycarpo episcopo. Similima leguntur in duobus Mss. nostris; sed nec hæc, nec illi de S. Pipione meminerunt, aut istius Polycarpi sedem assignarunt; de Maturino autem quædam minime verisimilia, neque tempori congrua narrant.

B

20 Autem siquidem, Maturinum presbyterum a Maximiano imperatore Romam invitatum, ut ex filia sua demonem expelleret, imperatori consensisse, obstrictis tamen ante jurjurando ab eo missis, ut si vel in itinere vel Romæ moreretur, corpus ejus in Vastinensem pagum reuehendum esset. Sic igitur Romam profectus dicitur ibidem non modo dictæ principis filia feliciter succurrisse, verum etiam innumeros Romanos grassante morbo liberasse, ac propterea tam a Maximiano, quam a populo, magnis muneribus honoribusque affectus, cum diem suum ibidem obivisset, magnifice sepultus fuisse; cumque postridie extra tumulum repertus esset, eodem imperatore, de supra dicta pactione monito, mandante, in patriam suam honorifice relatus fuisse. Quam fabulosa hæc sint, nil opus est exponere; nec ego alia de causa hic retuli, quam ne quis existimet, ex S. Maturini Vita solide firmari posse gesta ætate S. Pipionis, de quo insuper nullum ista verbum facti.

C

21 Polycarpi, qui in S. Pipionis Officio Senonensis archiepiscopus appellatur, quam obscura sit memoria, collige ex Saussayo, qui cum ipsum ejusdem sedis sanctis episcopis annumerandum censeat: Tamen non sine dolore (inquit ad diem 1 Novembris in S. Maturino) ferimus, quod S. Polycarpus, qui eum (Maturinum) in Christo genuit, ad tam sublimia provexit, nec exilem obtineat debiti honoris participationem. Nec enim ipsa in ecclesia Senonensi... ulla vix ejus extat venerandæ memoriæ scintilla: cum pridem ejus sacratissimum nomen ex pontificum illius ecclesiæ serie exciderit; porro inter Sanctos, quos ea honorat, nullum hactenus locum sortitus sit. etc. Inter alios quoque, qui eundem

nec potest ex  
ætate Poly-  
carpi, qui an  
Senonensis  
episcopus  
fuerit,

inter ejusdem sedis antistites recensent, Hugo D Mathoudus illum nono loco reposuit, atque: Certum item, S. Maturinum, suæ diocesis in Lyricantu Vastinensi indigenam, ad sacerdotium promovisse, ut in illius Actis a Baronio laudatis legitur.

22 Cum nullum Baronii locum determinarit <sup>controvertitur:</sup> Mathoudus, ego vero alium nesciam, in quo de S. Maturino loquitur Baronius, quam in Martyrologio Romano ad diem 1 Novembris, ejus verba huc transfero: In pago Vastinensi S. Maturini confessoris; deinde in Annotatis ibidem: Usuardus de eodem hac die. Ejus vitæ Acta habet Mombrit. tom. II, et Petrus in Catal. lib. x, cap. 6. Vixisse fertur temporibus Maximiani imperatoris. Baronius itaque laudavit quidem ista S. Maturini Acta, non tamen ait, hunc a Polycarpo Senonensi ordinatum presbyterum esse, imo Usuardino textui inhærens, ne presbyterum quidem dixit, tempusque, quo S. Maturinus floruisse in istis legitur, non nisi dubie adiecit in Annotatis: Vixisse, inquit, fertur temporibus Maximiani imperatoris. Porro eadem S. Maturini Acta pluribus, ut jam dixi, exentienda venient ad diem 1 Novembris: mihi interim cum

Tillemontio tom. IV Monument. Eccles. pag. 484 non satis idonea apparent ad S. Polycarpi episcopatum Senonensem confirmandum.

23 Si tamen Polycarpus sæculo III vergente ad finem Senonensem (ut voluit) tenuerit cathedram, eodemque tempore floruerit Maturinus, mihi multo verisimilius videtur, vel S. Pipionem amborum ætate longe esse posteriorem, vel, que de eodem Romæ degente in Lectione 4, apud me num. 16 dicuntur, non minus esse pro fabulis habenda, quam ea, quæ num. 25 de oblati Maturino donis honoribusque ex hujus Vita retulimus. Par enim utrinque stat ratio; nimirum, quod istæ Christianorum principum, non ethnicorum, temporibus congruant. Majorem quoque speciem veri habebunt, si ad posteriora Maximiano tempora referantur, quæ lectione 2, apud me num. 15, velut jam tum publica litterarum studia Aurelianis flourissent, de eodem Sancto Pipione dicuntur: Deinde Aurelias profectus liberaliam artium studiis, ut Scripturarum patris amplius frueretur, admirabili prudentia [se] impendit.

neque ipsius  
istis sæculis  
gesta congruunt  
Pipionis.

24 Et vero multis illum sæculis (nisi typographicus error sit) juniorem facit jam plus semel laudatus Morinus, pag. 284, ubi ejusdem obitum anno 1506 Nonis Octobris affixit. Proficitur tamen hic, sese ea, quæ de illius gestis memoravit, accepisse ex Lectionibus ecclesiæ Belnensis, submissis sibi a Jacobo Boucher, Artium magistro ejusdemque ecclesiæ parochi, uti supra jam observavi. Si has recte secutus fuerit Morinus, erant eæ cetera Labbeanis fere conformes, atque æque ac hæc de S. Maturino ac Polycarpo meminerunt, quorum tamen cum istum Morinus ipse pag. 561 sub Maximiano Galerio floruisse, asserat; constetque, Maturinum, utpote jam sæculo IX ab Usuardo memoratum, sæculo XIV longe esse antiquiorem, necessum est, vel annum emortualem S. Pipionis vitiosum apud ipsum esse, vel commentitia, quæ ipse quoque de amobus Sanctis sacris Ordinibus per Polycarpum Senonensem archiepiscopum simul initiatis profert.

F  
Atibi legitur  
obisse anno  
1506; sed nec  
hic annus

25 Sed et altero quoque argumento probari <sup>cum ejusdem gestis congruit:</sup> potest, eundem annum 1506 longe a vero aberrare, aut falso asseri, S. Maturini corpus a Pipione nostro Roma in Gallias unquam relatum fuisse.



A fuisse. Dubitari enim merito nequit, quin S. Maturini corpus in Wastinensi Galliarum pago jam quieverit, dum Usuardus illum sæculo IX ad Kalendas Novembris sic annuntiavit: In pago Vuastinensi, sancti Maturini confessoris; nam alioquin Maturinus non hic, sed Romæ annuntiandus fuisset, si Romæ mortuus, Romæ etiam tunc jacuisset. Si itaque S. Maturinus, ut ejus quoque Acta perhibent, Romæ obierit, in ejusdemque corporis in Galliam translatione partem aliquam habuerit Pipio, non potuit hic id officii serius, quam sæculo IX, præstitisse, atque adeo nec usque ad annum 1506 vivendo pertigisse ullo modo credendus est. Verum quis ex hujus tam recentibus sublestæque fidei Actis translationem illam eidem tuto adscribat?

itaque incerto ille sæculo floruit.

26 Quam ob rem, ne diutius in tenebris palpem, hæc pauca de illius ætate observo. Primo: gesta ejus, in Lectionibus narrata, Maximiani

Galerii aliorumque gentium imperatorum temporibus minime congruunt, minusque a veris abhorrent, si ad Christianorum principum sæcula referantur. Secundo, si idem Sanctus vel paulo ante, vel etiam post Usuardum vixisse diceretur, minus mirandum esset, quod hic martyrologus, qui Maturinum, in eodem, ut volunt, pago natum, ac certe cultum, non prætermisit, de Pipione siluerit; nimirum sive quia hic tunc temporis vel nondum notus esset, vel cultu suo nondum innotuisset. Tertio, cum ejusdem Sancti corpus primum anno Domini MCCCCLXXII elevatum fuisse in Lectionibus Officii legatur, tam seram sacri pignoris elevationem multo minus mirabimur, si ille anno 1506, ut habet Morinus, quam si circa annum Domini tercentimum, ut in iisdem Lectionibus narratur, obiisse diceretur. Hisce ego rationibus inductus, Pipionem nulli certo sæculo potui adscribere.

AUCTORE  
C. S.

### ADDENDA AD DIEM V OCTOBRIS.

## IN S. MEINULPHO DIACONO.

C. B.

Opus, sero ad nos allatum, nonnulla de S. Meinulpho complectitur.

**A**cta S. Meinulphi diaconi una cum Commentario hisce prævio typis jam erant excusa, cum tandem scriptorum, qui variorum Religiosorum Ordinum res historico-monastico-eclesiasticas litteris mandarunt, allata ad nos fuit, quam diu expeteramus, Collectio. Opus hoc, ejus tomus ultimus non ante annum 1768 prælo fuit subductus, in tomos sex diversos est distributum. Tertius ex his a pag. 63 priorem Germanie Canonico-Augustinianæ, a R. D. Francisco Petro, Wettenhusano in Suevia canonico Regulari, sæculo præterito collectæ, partem complectitur, in qua cum eo loco, quo de collegio seu monasterio Bodecensi sermo fit, non pauca de hujus fundatore S. Meinulpho occurrant, quæ, si lucubratio ista ad manus nostras citius pervenisset, commemoranda in Commentario, Actis ejusdem Sancti prævio, nobis fuissent, præcipua saltem ex his fuerit hic recensuisse, relictis interim intactis præter alia nonnulla etiam iis, in quibus auctor laudatus perperam a nobis dissidere videtur. Primo itaque is pag. 218 et seq. suppeditat, quæ, cum summam etiam Ferdinandi Furstenbergii, celsissimi ac reverendissimi Paderbornensis episcopi principis, in S. Meinulphum venerationem testentur, iis sane, quæ de hac in Commentario, Sancti hujus Actis præmisso, num. 158 et binis seqq. dicta sunt, merentur adjungi.

hæcque inter, præter insignem in hunc Sanctum venerationis argumentum,

2 Sunt autem hæc: Nostris temporibus insignem quoddam altare beatissimo Sospitatori suo gratius in ipsa Bodecensi ecclesia magnis sumptibus apparari quidem constituit, qui, quamvis immatura morte præventus absolvere haud potuit, potuit tamen mortuus et post fata sua per alios absolvi voluit celsissimus ac reverendissimus princeps ac dominus Ferdinandus de Furstenberg, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus Paderbornensis, S. R. I. princeps etc., qui, anno MDCCLV de gravissima corporis infirmitate ex voto restitutus, pretiosissimum quemdam obtulit calicem argenteum, undique deauratum, novam quoque tumbam magnis sumptibus fieri voluit affabre factam et elaboratam, in qua novissime sub annum MDCCLXXXI condigno honore

repositæ fuerunt ejusdem S. Meinulphi reliquiæ. Secundo chartam publicam, qua Bodecensem parthenonem ultima hujus abbatissa Walburgis de Walde in Wilhelmi, Paderbornensis episcopi electi et confirmati, manus anno 1408 resignavit, pag. 220 et seq. recenset. Hanc forte, qui, quæ de resignatione ista in Commentario, Actis S. Meinulphi prævio, num. 105 diximus, evolvent, ad manum habere desiderabunt, lubetque proinde et documentum illud hic transcribere.

5 Sic habet: In nomine Domini. Amen. Universis et singulis, quorum interest, vel quomodolibet interesse poterit, per præsens instrumentum publicum pateat evidenter, quod anno Nativitatis ejusdem millesimo quadringentesimo octavo, Indictione prima, mensis Septembris die prima, hora vespertina vel quasi, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et domini nostri, domini Gregorii Papæ divina Providentia Papæ XI anno secundo in mei notarii publici subscripti, testiumque infra scriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum præsentia personaliter constituti reverendus in Christo pater et dominus, dominus Wilhelmus electus ecclesiæ Paderbornensis et confirmatus parte ex una, et venerabilis domina Walburgis de Walde abbatissa monasterii Bodecensis Paderbornensis diocesis parte ex altera, habito tractatu inter eos super resignatione abbatiæ prædicti monasterii per ipsam dominam abbatissam ob spem reformationis ejusdem monasterii faciendæ, et super usufructu certæ pensionis, eidem abbatissæ ad vitam suam de bonis præfati monasterii ministrandæ in arbitros seu arbitratos, videlicet honorabiles viros dominos Bertholdum Besselim thesaurarium et Witi-kindum Spiegel cantorem ecclesiæ Paderbornensis prædictæ ad hoc per dominum electum supra dictum, strenuos viros Ravenonem de Brenken et Hermannum de Sterzen famulos ad idem per ipsam dominam abbatissam electos sponte et libere concordabant sub hac forma, quod, priusquam arbitri sive arbitratos supra dicti super quantitate, forma et modo usus fructus supra dicti concorditer determinarent, hoc partes

publicum etiam, quo Budicense monasterium ultima hujus abbatissa

AUCTORE  
C. B.

in manus  
Paderbornensis  
episcopi  
resignavit,

partes supra dictæ absque contradictione inviolabiliter observarent.

4 Si autem super præmissis inter se concordēs non fierent, tunc partes ipsæ pronuntiationi et definitioni honorabilis viri et domini, domini Henrici Westphaler, camerarii ecclesiæ memoratæ, quem ad hoc in arbitrum seu arbitratorem superiorem elegerint, absque omni contradictione starent in præmissis. Promiseruntque partes antedictæ sub modo et forma supradictis arbitrium supradictum per omnia servare sub pœna centum marcarum per partem nolentem, partem servare volenti hujusmodi per pronuntiationem unam medietatem, et dominus de capitulo Paderbornensis ecclesiæ reliquam medietatem solvendas mihi notario publico subscripto vice et nomine omnium et singulorum, quorum interest, vel interesse poterit stipulatione solenni. Quibus peractis, domina Walburgis abbatissa prædictam abbatiam monasterii supradicti cum omnibus et singulis suis juribus et pertinentiis universis tam spiritualibus quam sæcularibus per calami traditionem in manus domini electi supradicti resignavit; quam quidem resignationem præfatus dominus electus admittens, ratamque et gratam habens tandem supradictam abbatiam cum omnibus juribus et pertinentiis venerabili viro Joanni Wael Priori canonicorum Regularium in Swollis Trajectensis diœcesis ibidem præsentem contulit, ipsumque de eodem per calami supradicti traditionem investivit.

instrumentum  
hic transcri-  
ptum,

5 Super quibus omnibus et singulis reverendissimus dominus electus, dominaque Walburgis abbatissa, et dominus Joannes Prior prædicti conjunctim et divisim petierunt sibi unum vel plura publicum seu publica meliori forma, quibus fieri potest, per me notarium publicum subscriptum fieri instrumentum vel instrumenta. Acta fuerunt hæc in domo antiquæ librariæ ecclesiæ Paderbornensis prædictæ, præsentibus honorabilibus viris domino Hildebrando de Oesler, præposito ecclesiæ sanctorum Petri et Andree Paderbornensis, domino Alberto de Hexthauser canonico ecclesiæ Paderbornensis prædictæ, domino Gerardo officiali curiæ Pa-

derbornensis, Hermanno Lippmann presbytero, et strenuo Joanne Wesphaler milite, testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Joannes Gherdeners Clericus Paderbornensis, publicus imperiali autoritate notarius, quia prædictis compromissis, resignationi et collationi abbatie supradictæ, omnibusque aliis et singulis præmissis, dum sic, ut præmittitur, agerentur et fierent, una cum prænominationis testibus præsens interfui, eaque omnia et singula præmissa sic fieri vidi et audivi, præsens publicum instrumentum mea propria manu scriptum exinde confeci, subscripsi, publicavi et in hanc publicam formam redegei, signoque et nomine meis solitis et consuetis signavi in fidem et testimonium omnium et singulorum præmissorum vocatus specialiter et rogatus.

6 Tertio integrum, quod de monasterii Bodi-censis ad canonicos Regulares translatione ejusdemque reformatione tractat, Opusculum, in Commentario, Actis S. Meinulphi præmisso, num. 20 et seq. a nobis memoratum, pag. 225 et quinque seqq. recenset; quod hic saltem, ut, si quis forte dictum Opusculum consulere voluerit, invenire id queat, monendum existimari, licet interim, uti in Commentario de S. Meinulpho loco proxime cit. jam indicavi, magni momenti lucubratio haud sit. Quarto idem illud Opusculum in titulo, quem ei præfixit, Gobelino Personæ discrete attribuit, nec illum hac in re falsum esse, pro certo affirmare ausim. Etsi enim, quod unum idemque factum alio modo in Cosmiodromio, quod Opus Gobelini certo est, alio modo in dicto Opusculo referatur, hincque an Gobelinum, an alium hoc habeat auctorem, loco proxime cit. revocarem in dubium, illos tamen, qui Gobelino idem adscriberent, erroris nusquam indubitanter insimulavi. Neque vero merito facere id potuissem; licet enim reipsa lucubratiunculæ istius auctor foret Gobelinus, fieri tamen posset, ut unum idemque factum alio modo in illa, alio modo in Cosmiodromio unus ipse narrarit, quod aliter quam prius in alterutro Opere notasset, rem fuisse peractam, postea compererit.

una cum Opusculo, quod revera forte Gobelino adscribendum.

## AD DIEM VI OCTOBRIS.

### IN S. BRUNONE CONFESSORE.

Nobiscum  
communicavit  
prænobilis  
toparcha de  
Ronshove  
publicum

ag. 497 et quinque seqq. Cum jam Commentarii, Actis S. Brunonis prævii, § 2, quo de Sancti hujus nobili genere, patria temporeque natali actum, typis fuisset excusus, Brugis primum, nobili Flandriæ civitate, allatæ ad nos fuerunt litteræ publicæ, anno 1672, die tertia Novembris datæ. Per hæc, in vivis tum adhuc agentem Wilhelmum Ignatium de Hardevust toparcham de Laghe in ditone Burburgana, Ruddersvelde etc. e Brunone de Hardevust, Latine de Duro pugno, qui S. Brunonis pater exstiterit, aut saltem e Brunone de Hardevust civitatis Coloniensis consule, anno 1275 in populi seditione occiso, qui ejusdem Sancti ex fratre Balduino de Hardevust abnepos fuerit, ducere originem, nobilissimus ac amplissimus civitatis ejusdem imperialis senatus testatum facit, nonnullisque, quæ eodem spectant,

adductis, probare etiam videri potest. Istud porro familiæ suæ monumentum humanissime nobis submisit, qui præfati Wilhelmi Ignatii de Hardevust toparchæ de Laghe, Ruddersvelde etc. per aviam paternam pronepos est, prænobilis dominus de Schynckele, toparcha de Ronshove, Henau, Voorde etc. civitatis Brugensis consiliarius syndicus, forique criminalis ibidem Graphiarius.

2 Cum ergo si, quod litteris illis adstruitur, veritati consonet, nulla ratione, quin, quod tamen § proxime citato in dubium revocari, et nobilissima Coloniensi Hardefaustorum seu Hardevustorum familia natus sit S. Bruno, dubitandum non appareat, hic modo, ut de re per semetipsum studiosus lector ferre queat judicium, meliusque, quæ post dicam, intelligat, compendio, quid iisdem potissimum contineatur, expono, non paucis etiam ipsarummet litterarum verbis transcriptis. Sequentibus initio concipiuntur: Omnibus has visuris,

familiæ suæ monumentum, hic partim describendum,

visuris, lecturis aut audituris salutem in Domino. Nos equestris ac patricii ordinis viri Ammannus, Consules, Quæstores, Proconsules cæterique imperialis civitatis Coloniae Agrippinae Senatores notum facimus et in perpetuam rei veritatem declaramus ac attestamus, familiam, cognomento de Hardenuust vel de Hardevust, van Hardenuust vel van Hardevust, von Hardenuust vel von Hardevust, Hardenuust, vel Hardevust, unam esse ex illustrissimis et antiquissimis hujus civitatis, fuisseque hic stabilitam a Brunone de Duro Pugno, equite generosissimo et patre sancti Brunonis, Carthusianorum fundatoris, circiter annum MXXVII, regnante Henrico tertio Romanorum imperatore, sanctoque Annone Coloniensium archiepiscopo; ex quo omnes ex eo stemmate descendentes e nobilissimis ac florentissimis tam in inferiori quam superiori Germania uxores sibi copulantur familiis.

quod de contractis per Hardevustos illustribus matrimonii, gestis magistratibus amplissimis,

5 *Plurimæ hic, e quibus Hardefaustani seu Hardevusti sibi accipere uxores, familiae admodum illustres recensentur, sed hæc brevitate causa omitto, sequentiaque, quæ iisdem enumeratis proxime subduntur, verba describo.* Diversis porro muneribus curisque præcipuis summa cum laude perfuncti sunt tum in imperatorum, tum regum principumque Electorum aula militari ceu politica, immo non pauci hujus nobilissimæ et maximis magistratibus gestis clarissimæ familiae non raro consules et primi senatores prudentissime hujus civitatis fasces gubernarunt, ac militarium sancti Jacobi, Rhodiensis, Teutonici ac Melitensis Ordinum equestris dignitate et commendis fuerunt honorati; quin et plures ex ea emeruerunt episcopi, et illustrium utriusque sexus per utramque Germaniam cœnobiorum prælati, nec non capitulorum præpositi ac canonici, in quæ non alii admittuntur ac cooptantur, quam qui illustrissimo sanguine orti vetus equestre octo proavorum stemma demonstraverunt.

possessis variis terris ac dominiis,

4 Insuper varias terras et dominia possederunt, et etiamnum possident, qualia imprimis respective sunt ea de Texteldonck, de Grebenclau, de Brait, de Wichem, de Blanckenborgh, de Nerwen, de Szecke, de Ringelbergh, de Lustorp, de Assenborgh, de Langheraet, de Ghemen, de Lavenbach, de Dutche, de Ghemenick, de Bodeberg, de Humen, de Schagen, de Coninxsmar, de Gasteren, de Bodekercke, de Bouckenem etc., quorum nomina et insignia nonnulli gestare et veteris familiae eadem insignia variis ex causis, et ob stirpium ex aucta sobole numerum diffusionemque ex more patriæ immutare præsumperunt, mutatis vel metallis vel coloribus, quin et etiam aliquatenus figuris et symbolis; unde, quot olim fere stirpes in equestri hac gente, tot fere armorum... inter se diversitatibus discernantur, ita ut, quamvis ex eadem radice ceu stipite oriundæ communia habuerint exordia, in plures tamen ramos et propagines scissæ militaris virtutis tradita a majoribus insignia non prorsus eadem quidem, sed tamen valde affinia, præferre voluerint.

adhibitis ac mutatis subinde

5 Cum enim Bruno de Hardevust, eques auctus, toparcha de Grebenclau et Brait, sancti Brunonis Carthusianorum archimandritæ ex fratre Balduino atnepos, ac hujus civitatis consul, ab invita et tumultuante plebe anno MCLXXII interfectus, variis ex Maria von Poppinghausen

Octobris Tomus III.

et Ursula von Jabach, domini de Wichem hærede, uxoribus sustulisset filios, visum fuit nonnullis, eorum familiam, in varios jam dissectam ramos, stirpemque et posteritatem cuique suam cognato quodam ac decerpto ex eodem majorum atro gentilitiorum digmate discriminare, et ob id Arnolde, præfecto de Keyserwerdt filiorum secundo (de Vygh etiam cognomine ob res natus assumpto) duo miniata niveisque limbis adornata ad manicas brachia et quasi tumescentem in gyrum ad armos argenteo intercisum circumducta aureo in clypeo decussatim disposita pro signo exhibere, et sic plantare Vyghiorum originem, Joanni autem serenissimi principis Henrici Virnenburgici Electoris Coloniensis aulae præfecto filiorum tertio genito armatum in atro scuto brachium, cui evaginatus in pugno gladius manuario tegmine inaurato, mox etiam Christiano, eorum ex Henrico toparcha de Grebenclau et Brait primævo fratre nepoti, et Joannis toparchæ de Grebenclau et Brait, cui conjux fuit Margarita van Ruysenborch, fratri natu juniori bina miniata et decussata in argentea parma brachia ostentare.

AUCTORE  
C. B.

6 Aliis denique lunulam, aliis stellam, aliis avem vel lilium aliasve notulas addere, discrimenque illud in filios et nepotes, (in quibus etiamnum hodie illustres eorum florent prosapia) cum sanguine transmittere, exceptis tamen duobus, qui pro insigniis duo armata et cancellata in miniato campo retinuerunt brachia, primordialia nempe et universæ quondam ante hanc inchoatam stirpium divisionem huic genti arma indistincte communia, quæ ad nostram usque ætatem invariata, integra et illibata apud eorum posteros permanserunt, quorum stirpis et nominis et insignium caput etiamnum exstat illustrissimus ac nobilissimus dominus Ferdinandus Leopoldus de Hardevust, baro de Grebenclau et sacri Romani imperii toparcha de Brait, Gasteren, Schagen etc. Cæsareæ majestati a cubiculis et a sanctioribus aulicisque consiliis in Silesia jam residens, ducta in uxorem comitissa de Falkenstein.

scutis gentilitiis, stirpibusque etiam

7 Qui nobis pluribus litteris patefecit, et manifestissimis argumentis ac probationibus demonstravit, quod omnes ejusdem cognominis de Hardevust jam inde a ducentis et amplius annis in Castellanis Flandriæ ditionibus civitatum Casletanæ, Burburgensium ac Winociberganæ gestent itidem pro gentilitiis in scuto nigro armatum brachium, evaginato in pugno gladio, cui manuarium tegmen inauratum, et quod hi directa et legitima serie descendant ex familia prædicti Brunonis annos MCLXXII hujus civitatis consulis populari seditione interfecti, originemque suam ex eo, tamquam e communi secum stipite et cum illustrissimis dominis Roberto von Hardevust, toparcha de Bodekercke, Bouckeveem etc. ammanno Hildershemienensi, ac Theodoro comite de Vygh et sacri Romani imperii, toparcha de Dutche, Humen etc. Cæsarianorum equitum præfecto et moderno Vyghiorum prosapie capite, nec non cum toparchis de Coninxmar, de Ghemenick et de Bodeberghe, stirpem autem e præfato Joanne serenissimi principis Henrici Virnenburgici Electoris Coloniensis ad annum usque MCCCXXI aulae præfecto, tamquam gentilitiorum suorum auctore jure repetant.

ditersis nonnulla commemorat

8 *Modo, ut, quod hic per plures litteras a Ferdinando*

AUCTORE  
C. B.  
quodque, etsi  
quidem Leo-  
poldum de  
Grebenclau  
et praefati  
toparchae de  
Rondshore  
proavum

dinando Leopoldo de Hardevust barone de Grebenclau etc. patet factum asseritur, probatum etiam evadat, paucis dumtaxat, quae ad rem non faciunt, interpositis, genealogicum, quod a Brunone de Hardevust Coloniensi consule, anno 1275 interfecto, usque ad Petrum de Hardevust, summum Burburganorum praetorem, ac supra memorati Wilhelmi Ignatii de Hardevust, in ditione Burburgensi toparchae de Laghe proavum, deducitur, schema una cum adjuncto filiationis, uti vocatur, fragmento subnectitur, ac tandem ita concluditur: Quem proinde (videlicet Wilhelmum Ignatium de Hardevust toparcham de Laghe, Ruddersvelde etc.) pro vero ac indubitato agnato et consanguineo, uno eodemque ac communi secum oriundo et stipite, illo scilicet ordine, quem praemissum exhibet filiationis fragmentum et hisce junctum magis dilucidat genealogicum schema, cum nata jam prole et legitime ex eo nascitura a se suisque haberi et merito ab omnibus habendum, praenominatus illustrissimus dominus baro (de Grebenclau nempe, Ferdinandus Leopoldus de Hardevust) insuper addidit ac declaravit, favorem illi omnem ut tali operamque suam, si quando forte prodesse posse contigerit, lubenter addicens.

adductis per  
horum prio-  
rem docu-  
mentis

9 E cujus domesticis familiae suae documentis, tabulisque gentilitiis et authenticis probatissima fidei panchartis in concessu nostro exhibitis seriem hanc genealogicam adeo evidentem, efficaciter ac irrefutabiliter demonstratam ac e publicis hujus patriae ac civitatis monumentis et sanctioribus archivis confirmatam judicavimus, ut nec citra injuriam et non nisi incassum fidem ejus argui posse recte concludamus; et quia praedictus toparcha de Laghe eorum omnium nostras testimoniales rogavit, hasce lubenter in earum, quas hac super re ix Julii hujus anni adhuc dedimus, confirmationem ampliolem sub sigillo hujus imperialis civitatis et unius secretariorum nostrorum signatura concessimus, ut occurrente qualibet occasione et necessitate ei inservire valeant. Date Coloniae Agrippinae anno MDCCLXXII die tertio Novembris. Subsignatum Franc. Dabbendorp cum scuto Coloniae Agrippinae.

e communi  
stipite, Bru-  
none de Har-  
devust anno  
1275 consule  
Coloniensi  
ortos esse,  
ostendat.

10 Sane Ferdinandum Leopoldum de Hardevust baronem de Grebenclau caesareae majestati anno 1672 a consiliis, et Wilhelmum Ignatium de Hardevust toparcham de Laghe ex eodem stipite communi Brunone de Hardevust, consule Coloniensi anno 1275 in seditione populari occiso, priorem quidem per primogenitum hujus filium Henricum de Hardevust toparcham de Grebenclau, Brait etc., Senatorem Coloniensem, posteriorem vero per filium ejusdem tertio genitum Joannem de Hardevust equitem auratum ac serenissimi principis Henrici Virnenburgici, Electoris Coloniensis aulae praefectum, ducere originem, adducta in partem jam recitatis litteris atque a me brevitate ergo ommissa Genealogicum schema et filiationis, uti vocatur, Fragmentum, dilucide, ni forte, quod tamen non puto, bina ista documenta a veritate alicubi deviant, evincunt.

hunc tamen  
ex altero Bru-  
none de Har-  
devust, qui  
S. Brunonis

11 Verum in iisdem litteris nihil omnino, quod, Brunonem de Hardevust, Coloniensem consulem anno 1275 in seditione populari occisum, e Brunone de Hardevust, qui S. Brunonis pater existit, per filium Balduinum ducere originem, pariter evincat, in medium profertur, nec quidem eo conduens datis etiam Coloniensem Agrippinam iteratis litteris potui acquirere. Quid si

ergo nullum hactenus, quo, Brunonem de Hardevust, Coloniensem consulem anno 1275 occisum, e S. Brunonis patre oriundum esse, queat ostendi, documentum antiquum seu Coloniae Agrippinae seu alibi fuerit inventum? Nullum sane Coloniensi senatui anno 1672 fuisse ad manum, vel ex eo apparet, quod, quo Brunonis de Hardevust, Coloniensis consulis anno 1275 occisi, e S. Brunonis patre originem probatam det, nihil omnino in litteris, quarum jam partem dedi, in medium adducat, et tamen documenta bina, plus semel jam memorata, quibus, Ferdinandum Leopoldum de Hardevust baronem de Grebenclau, et Wilhelmum Ignatium de Hardevust toparcham de Daghe ex eodem stipite communi Brunone de Hardevust, Coloniensi consule anno 1275 occiso oriundos esse, evictum dat, proferre non omittat.

12 Et vero per verba, quibus sub litterarum pater existit, suarum finem, datam in hisce genealogicam seriem certam omnino ac indubitam sibi haberi, indicat, spectare dumtaxat videtur seriem genealogicam, qua Ferdinandum Leopoldum de Hardevust Baronem de Grebenclau, et Wilhelmum Ignatium de Hardevust toparcham de Laghe e Brunone de Hardevust, consule Coloniensi anno 1275 occiso, oriundos esse constat; non autem etiam, qua hunc a S. Brunonis patre originem trahere, sit probatum. Ita apparet, quod de serie genealogica, quam e familiae suae documentis, tabulis gentilitiis ac panchartis illustrissimus dominus Ferdinandus Leopoldus de Hardevust, baro de Grebenclau, Brait etc. probavit, dumtaxat loquatur; hic autem seriem genealogicam non aliam, quam qua sese et Wilhelmum Ignatium de Hardevust toparcham de Laghe ex eodem stipite communi Brunone de Hardevust, consule Coloniensi anno 1275 occiso, oriundos, asseruit, e familiae suae monumentis probasse videatur.

15 Quod si nihilominus, et hunc e S. Brunonis patre oriundum, senatui Coloniensi Ferdinandum Leopoldum de Hardevust ex antiquis familiae suae documentis probasse, fortassis adhuc contentas, velim haec in lucem proferri, ut familia Hardefaustanum seu Hardevustianum existisse S. Brunonem, tandem constet. Mihi interim Bruno de Hardevust, occisus anno 1275 Coloniensis consul, a senatu Coloniensi in datis ex parte litteris e sola, quae apud Colonienses viget, populari traditione asseri potuisse S. Brunonis ex fratre Balduino abnepos videtur; quam parum autem traditionibus popularibus fidendum sit, historicorum etiam vulgo notum est. Ceterum, quem supra laudavi, praenobilis dominus de Schynkele, toparcha de Rondshore etc. mecum etiam communicavit litteras, aliasque praeterea penes se esse, significavit, e quibus, pro S. Brunonis agnatis a pluribus Ordinis Cartusiensis praepositis generalibus aliisque Superioribus agnitos fuisse Hardevustios, intelligitur; verum id dumtaxat opinionem, in qua viri isti Religiosi fuerunt, ostendit, non autem etiam familia Hardefaustanum seu Hardevustianum reipsa existisse S. Brunonem, evincit.

Pag. 319, § 6, num. 124 Manasses, Simoniacus Remensis archiepiscopus, comesque Ebalus Romam sese anno 1078 contulisse asseruntur; verum anno huic, qui per errorem irrepsit, substituentum esse annum 1077, e rerum, dicto § et sequenti tractatarum, serie facili negotio quisque perspiciet. Eundem porro comitem Ebalum, qui, quemadmodum memorato § 6 docui, adversus Manassen

pater existe-  
rit, originem

suum traxis-  
se, evincere  
non videtur.

S. Brunonem,  
Remis profu-  
gum, rece-  
ptum fuisse  
ab Ebalis, qui  
Reciacensis  
comes esset,

Manassem, Simoniacum Remensem archiepiscopum, in castro suo et S. Brunonem et Manassem, ecclesie Remensis præpositum, tutatus est, pro comite Reiciacensi homonymo tum ibidem, tum aliis locis habui; opinio autem, qua id feci, longe etiam (quod idcirco loco isto dictis addendum) verosimilior efficitur ex eo, quod Manasses, ecclesie Remensis præpositus, ipsiusmet hujus Reiciacensis comitis avunculus exstiterit, uti fidem faciunt duæ donationis chartæ, Majoris-monasterii abbati ab eodem comite anno 1082 datæ atque a Mabillonio tom. V Annalium Benedictinorum pag. 645 et binis seqq. relatæ, in quarum posteriori Manasses ecclesie Remensis præpositus diserte vocatur Ebali Reiciacensis comitis avunculus, in priori vero inter eos, qui donationi adfuerunt, notatus occurrit hunc in modum: Manasses Remensis præpositus, avunculus Ebali comitis. Atque ita quidem comitem Ebalum, qui in castrum suum S. Brunonem et Manassem, ecclesie Remensis præpositum, recepit, pro comite Reiciacensi homonymo habendum, prope certum apparet.

prope certum apparet; at non item, intra castrum homonymum id factum.

¶ Verum de castro, intra quod hic illos receperit, paulo aliter loquendum est. Etsi enim castrum istud, ut eodem iterum § 6 docui, verosimiliter non aliud, quam Reiciacense, exstiterit, de re tamen hac ambigi etiam non immerito potest, quod, an ad Ebalum comitem jam inde ab anno 1077 et seqq., quibus is in castro suo S. Brunonem et Manassem præpositum fuit tutatus, Reiciacense castrum spectarit, dubium faciat Annalium Benedictinorum lib. LXV, num. 64 Mabillonius, ea ibidem scribens, e quibus Ebali, Reiciacensis comitis, parentes Hilduinus et Adalais non modo in vicis tum adhuc fuisse superstites intelliguntur, verum etiam in ipso Reiciacensi castro domicilium habuisse queunt videri. Adhæc in ambabus chartis mox laudatis Bartholomæus, Majoris-monasterii abbas, dicitur ad Novum-castrum adivisse Ebali, Reiciacensis comitis, presentiam, in illoque abs hoc honorifice ac debita urbanitate fuisse susceptus. Quid si ergo Ebalus castrum istud anno 1077 et seqq. inhabitavit, tuncque in id S. Brunonem et Manassem præpositum receperit? Sane ex iis, quæ Marlotus tom. II Historie Metropolis Remensis pag. 194 memorie prodit, castrum aliquod, nomine Novum-castellum seu Novum-castrum, ad comitem Reiciacensem Ebalum aliquando spectasse, indubitatum apparet, ut a vero, qui intra illud S. Brunonem et Manassem præpositum fuisse abs hoc receptos, statuerit, aberraturus forte non sit, etsi interim, quo loco idem castrum situm fuerit, certo determinari non posse videatur, quod multa olim, uti apud Valesium in Galliarum Notitia videre licet, illius nominis castra in Gallis exstiterint.

Pag. 373, num. 551 silentii universalis, quo, qui integro amplius primo post rem gestam saculo labente floruerunt, scriptores prodigiosam doctoris anastasin prætereunt, rationem sat solidam reddi non posse, asserui; verum sunt, qui, quemadmodum modo intelligo, universalis illius silentii causa ab ipsa, circa quam id versatur, re repetita, per synchronos hanc suppresque scriptores, quod infamie, ut loquuntur, plena sit, non commemorari, imo nec commemorari, ne cujusquam fama læderetur, potuisse contendunt. Atque hi quidem, qui ita arguunt, isthanc universalis, quo damnati prodigium a scriptoribus omnibus æqualibus supparibusque præteritur, silentii rationem tam validam autmant, ut mirum potius ob hanc futurum fuisse affirmant, si ab ullo ex iis illud commemoraretur. Verum quis, quæso, a re, coram infinita prope modum hominum multitudine gesta passimque proinde nota, recensenda sub peccati reatu abstinendum existimet? Nullus sane, quantum apparet: sed, etsi etiam secus foret, nonne saltem tum infelicis damnati, tum familie ac academiæ, e qua is fuisset, nomine suppresso, narrari absque piaculo luctuosa potuisset historia?

AUCTORE C. B.  
Damnati prodigium sub peccati reatu tacendum fuisse, hincque id ab omnibus

¶ Adhæc, ut quam parum universalis, quo hæc a scriptoribus synchronis supparibusque omnibus involvitur, silentii ratio, a nonnullis, ut dictum, obtensa, roboris habeat, luculentius patescat, Petrus abbas Cluniacensis, cognomento Venerabilis, lib. II Miraculorum, cap. A narrat, comitem Matisconensem, qui Ecclesiam oppræsserat, ipso diei tempore a diabolo, plurimis spectantibus, fuisse abreptum, nec unquam post comparuisse, cumque deinde obturatum, per quod abreptus fuerat, palatii ostium Otgerius, Wilielmi, Matisconensis comitis alterius, præfectus, qui et ipse Ecclesiam vexabat, aperiri curasset, fuisse et hunc a diabolo raptum, subitoque ex alto, cum longo temporis spatio in æra, videntibus, qui aderant, cunctis, fuisset sublevatus, in terram tandem, graviter e lapsu corpore colliso, brachioque etiam confracto, fuisse demissum. En duo horrenda sane infamieque pariter plena seu facta seu prodigia, et tamen, tam unum, quam aliud, viri etiam, cui postremum obvenit, nomine non suppresso, litteris mandavit Petrus Venerabilis, vitæ sanctitate perquam illustris. Quod cum ita sit, quis, quæso, factum credat, ut omnes prorsus scriptores prodigio Parisiensi tum æquales, tum suppres, quos inter sane non pauci multo minus, quam Petrus Venerabilis, conscientia puritate morumque integritate conspicui exstiterit, silentio id, ne fama cujuspiam læderetur, prætereundum duxerint, reque etiam ipsa præterierint?

æqualibus supparibusque scriptoribus silentio præteriri perperam contenditur.

## AD DIEM VII OCTOBRIS.

C. S.

## IN S. OSITHA VEL OSGITHA V. M.

Pag. 957, num. 3 de cultu adde, tom. III Monastici Anglicani pag. 515 in charta visitationis sacrarum cimeliorum in thesauro ecclesie S. Pauli Londini anno 1295 per magistrum Radulphum de Baudak, ejusdem ecclesie decanum factæ inter sacras reliquias sic legi: Item brachium S. Osithæ, continens capud in manu, et

ornatur laminis argenteis in limbo deauratis, insertis lapidibus xxii, et antèrius habet laminam triphoriatam cum aymallis et perlis, et deficiunt in toto sex lapides. Triphorium vel triforium est ornamentum cujusvis rei oræ adjectum, aymallum Anglis Amel, Gallis émail, encaustum est; itaque lamina triphoriatæ etc., est encausto gemmisque in ora exornata.

INDEX